LIBRARY OF THE
CASE 66
SHELF B
CATHOLIC CLUB.

LIBRARY OF THE
LAKE COLLECTION.
—GIFT OF—
Rev. P. F. DEALY, S. J.
XAVIER UNION.

RPJCB


NARCISSUS
AD FONTEM
P. Falcone C.R.
Interprete
P. Voltolini C.R.

NARCISSUS AD FONTEM;

VIDELICET

HOMO SUB ILLIUS SPECIE ADUMBRATUS,
in inſitæ miſeriæ ſpeculo ad unguem ſeſe explorans.

OPUS PER SINGULOS PERSONARUM Status digeſtum;

Moralium Documentorum ſublimitate, Conceptuum Prædicabilium delectu, Eruditionum ubertate quàm inclytiſſimum;

In duas Partes diviſum,

A. P. D. HIPPOLYTO FALCONE
Syracuſano, C. R. vulgò Theatino.

Quod vernaculo Idiomate tertiò recuſum, latinitate donavit

P. DON LUDOVICUS VOLTOLINI
Trident. memoratæ Sodalitatis Theologus.

EDITIO NOVA.

COLONIÆ ALLOBROGUM,
Sumptibus FRATRUM DETOURNES.

M. DCC. XLIII.

CASE 66
SHELF B

RPJCB

APPROBATIO.

HOc Opus inſcriptum NARCISSUS AD FONTEM, à P. D. Ludovico Voltolini, noſtræ Congregationis Theologo, traductum, & juxta aſſertionem Patrum, quibus id commiſimus, approbatum; ut Typis mandetur, quoad nos ſpectat, facultatem concedimus. In quorum fidem præſentes litteras manu propriâ ſubſcripſimus, & ſolito noſtro Sigillo firmavimus in Ædibus Divi Antonii Mediolani. Die 27. Jul. 1699.

D. Gregorius de Baucio, Præpoſ. General. C. R.

D. Cajetanus Ant. Papafava,
Secretarius.

APPROBATIO CENSORUM.

HOc Opus, NARCISSUS AD FONTEM à P. D. Ludovico Voltolini, noſtræ Congregationis Sacerdote Theologo Latinitate donatum, ſedulâ pervolvimus diſcuſſione; nihilque deprehendimus non conſonum Orthodoxæ Doctrinæ; & quia Interpres genuinos Authoris ſenſus Latiâ perſpicacitate attigit, dignum cenſemus, ut Typis mandetur ad totius literariæ Reipublicæ utilitatem. Ita teſtamur Monachii 17. Auguſti 1699.

D. Cajetanus Felix Verani,
C. R. S. T. D.
D. Wenceſlaus Vratiſlau,
C. R. S. T. D.

CONCISUM INTERPRETIS
ad Lectorem quemcumque Præludium.

AD cryſtallini fontis marginem, ad vitreas undas, ſe vitrum fragiliter ſplendidum, Narciſſus Narciſſum ardens, Narciſſum deperiens offendit. Lympha lymphato fluxè ſpectantis vanitatem objecit. Ut omnis ætas, ut uterque ſexus, ut togati ſagatique in hunc ſeſe Fontem penitus immerſerint; profectò ſe cinerem, ſe cœnum deprehendent, ac ampullari dediſcent. Quiſquis hos latices ſitit, dum gelidas undas haurire maturat, amoris ebibit ignem: Propriæ ſiquidem mortalitatis objectu, cœleſtium flammis accenditur, fitque ſibi flamen, quod fuerat flumen. Redivus Phœnix eruditur, ſibi ad beatam immortalitatem conſtruere rogum, in hoc Fonte rimatus, ſe mox Libitinæ gelidis amplexibus diſſolvendum.

Minimè decoxi creditoribus meis, poſt unam & alteram Partem Paradoxorum Moralium, quaternos Sermonum Paſtoralium Codices, Parænefim Teleturgicam de Sacrificio Miſſæ, Tractatum de Spe, deque Timore mihi exarata, recentem Lucubrationem pollicitus. Præſentes exhibendo Paginas, oppignoratam fidem omnino exoneravero, nondum attamen novorum moliminum hujus farinæ, ſaturato appetitu, quem irritat, & acuit Lectoris emolumentum, quiſquis ille ſit. Typographiæ ſphalmatibus, quæ avulſus à prælo eliminando non fui ſuccenſere dedignatus, inſitæ benignitatis ſpecimen edes. Exhedrum me profiteor ut à natali ſolo, perinde à typis. Cæterùm argumentum operis, cui ſe Author accinxit, ſi ſpectes, quid præclariſſimum, abſolutiſſimumque tam commendabis, quàm ſuſpicies; haud ſecus atque multiplici Eruditorum calamo coronatum effulget, quemadmodum annexa præconia luculenter declarant.

AD

AD HIPPOLYTUM FALCONE, CLER. REG.

EPIGRAMMA

P. D. Evangeliſtæ à Panormo, Caſſinenſis Prioris SANCTI MARTINI.

QUid ſua mors nobis falces, ac ſpicula torquet?
Narciſſi ad Fontem fallitur egregiè.
Non mortis, Martis falces Falconius affers
Vitales, feriens, ore mederis amans.
Corda petis Chriſto chara fur arte, favillas
Imponis (colis) hic Angelus unus eris.

Hoc ultimum Diſtichon Anagrammaticum, idem ſonat ac

Hippolytus Falcone à Syracuſis Clericus Regularis, Author Narciſſi ad Fontem.

EJUSDEM DE EODEM ANAGRAMMA ARITHMETICUM.

Hippolytus. 997.
Author Narciſſi ad Fontem. 997.

PRO NARCISSO AD FONTEM HIPPOLYTI Falcone Cler. Regul.

DECASTICON

JOANNIS SPATAFORA, Cler. Reg.

INſanos ignes hauſit Narciſſus ad undas,
Fitque ſibi flamen, quod modò flumen erat.
Deperiit propriæ deceptus imagine formæ,
Seque videns, umbra fallitur ipſe ſua.
En alios fontes, puro ac manantia lacte
Flumina Falconis docta Suada ſcatet.
Tu Narciſſus eris, Lector, namque omnibus unus
Ora referre valet, qui fluit inde, latex.
Merge, ſed impavidus vir, nos non decipit umbra,
Sed docet hîc verò, quòd brevis umbra ſumus.

AD

AD HIPPOLYTUM FALCONE CLER. REGUL.
de Narciſſo ad Fontem,
JOSEPH SILOS, Cleric. Regul.

UT videt, ut perit, in vitrei dum margine fontis
Narciſſus formam conſpicit ipſe ſuam.
Narciſſumque ardet Narciſſus, & ebibit undis
E gelidis flammam, merſaque imago coquit.
Fabula ſic priſca: Hippolyti at monumenta diſerti
Perlege, Narciſſos edidit ille novos.
Auſpice nam quiſquis fœcundo hoc Rhetore, fonte
Se videat, vultus oderit inde ſuos.
Et genus, & formam, tituloſque, & vellera Phryxi
Aurea, & ingenium viderit eſſe nihil.
Fallimur, Hippolyte, ementitâ ab imagine: verùm
Edocet, è calamo quæ fluit unda tuo.

AD HIPPOLYTUM FALCONE CLER. REG.
EPIGRAMMA
D. STEPHANI MONTAPERTI, Salinarum Baronis.

PRona triumphatos ſubdit tibi Gloria faſces,
Victaque dat geminas pompa ſuperba manus.
Sternitur è calami vibrato fulmine faſtus,
Quæque animos rapiunt, alta theatra ruant,
Non equidem miror tantas te carpere palmas,
Si cognomento diceris Accipiter.
Ilicet Accipitris fertur victoria pennis.
Accipitris victor nomen, & omen amat.

AD HIPPOLYTUM FALCONE, CLER. REG.
EPIGRAMMA
P. MICHAELIS CANTELLI, è Societate JESU.

NOn Jovis hìc Aquilæ jactent armaſſe miniſtræ
Dextram: non memorent fulmina grata Jovi.

Non

Non ſua tela canant antris fabricata, Gigantum
Confoſſæ inſanæ queis cecidere vires.
Ambitioſa ſuis meritis non vindicet aſtra
Nunc Aquila: Accipiter ſidera jure petit.
Hic nova tela refert, nova cui ſunt ſpicula Flores,
Crimina Narciſſo nam jugulare docet.

EPIGRAMMA ejuſdem.

EN novus Accipiter pennas nunc explicat, impar
Non Aquilæ, aëreas itque, reditque vias.
Jamque iter immenſum metitus Fontibus hæret,
Aucupio prædas his meditatur Aquis.
Inſidias avibus caſtas errantibus auceps
Implicat innocuo ſollicitante dolo.
Huc properare licet Volucres, huc flectere pennas
Exoſæ lethes, & Phlegetontis aquas.
Retia blanda manent redivivi hoc Fonte virentis
Narciſſi, illecebræ, & vulnera caſta manent.
Jamjam nulla fugit, fraudatur nulla volucris
Accipitris fraudes, & ſine fraude dolos.
Huc Aquilæ, huc Phœnix, huc omnis turba volucrum.
Tanta hunc Accipitrem prœmia præda decet.

P. D. HIPPOLYTO FALCONE, CLER. REG.

ELOGIUM

P. D. THOMÆ SCHIARA, Cler. Reg.

POrtentum hìc ingenii vides
Lector.
Neſcias, Narciſſus ad Fontem,
An fons uberrimus eloquentiæ
Debeat eruditus hic labor, ac liber dici?
Quid, ſi aptiùs appellaveris mare,
Ubi pro ſcopulis ſcientiarum acervi,
Ac tot gemmæ, quot verba:
Deſine, quiſquis es, mortem metuere,

b Ejus

Ejus, ſi neſcis, falcem
In calcar commutavit Hippolytus,
Ut citiùs ad perfectionis montem graſſeris.
Moritur ſecus Fontem Narciſſus;
Tu vives, ſi moraberis.
Vides tantum ineſſe ejus ingenio, & ſtylo lucis,
Ut vel ipſe mortis tenebræ inde inclareſcant,
Quid mirum?
Tenebras ſi clarificat, ergo Solem æmulatur.
Vides in exiguum Fontem tot eruditionis flumina confluxiſſe.
Vides in uno Narciſſo omnigenam Floræ pompam.
Vides in cineribus,
Vel ipsâ admirante naturâ,
Integras vernare florum areolas.
Vides, quod Plinius ignoravit,
Scilicet,
Non modò Phœnices, ſed Falcones etiam
E cinere ad immortalitatem evolare,
Tu verò, ornatiſſime HIPPOLYTE,
Splendidiſſimam Trinacriæ Decus:
Ne quæ de Te ſentio, ab ſimplici hoc ſtyli ductu
Metiare.
Quæ non capit mens iſta,
An calamus abundè expreſſerit?
Libamenta laudum fuêre hæc, non laudes:
Nimirum de tuo Narciſſo,
Loqui deberent Flores,
Non ego abſque floribus eloquentiæ.
Eia igitur Fama,
Salubrem hujus Narciſſi odorem latura
Naribus, dum avolas immortalitatis,
Ipſe Fontem, delicias hauſurus, non deſero.
At hìc bibere ut queam,
Silere cogor.

NARCISSUS

NARCISSUS
AD
FONTEM.
PARS PRIMA.
PROŒMIUM.

Minùs oneroſum crediderim, frænare tumidas æquoris procellas, æſtu tumultuario ad littora ſeſe rapientis, impellentis ad oram; quàm ingenium ab inani ſuimet voluptate retrahere, fraudulentarumque cogitationum indulgentiâ removere, cui ad profundas abyſſos iter ſternendo, ceu aurea Æneæ virga, pretioſa duntaxat audiunt: queîs attamen pertinaciùs quàm pro prudentiæ præſcripto, nemo non indulgere prægeſtit, ratus, cum fœnore temporum impendiſſe momenta. Homo, ſui inevitabili neceſſitate ſtudioſus, ac amans, bracteatis ineſcatus illiciis, nedum ſibi bonum exoptat, ſed inſuper votis conſecutioni antevertit, & præcurrit: ac veluti jam amplexatus, effunditur ultra caſſam mentitæ poſſeſſionis metam, nec non pavonis adinſtar, expansâ ſtellatâ propriæ fortunæ rotâ, ad ingenitæ pompæ ſpectaculum, atque magnitudinis decora, faſtu turget, ſuperbit, amplectitur. Hinc prudentiæ leges quemadmodum plumbeam ſarcinam ſtomachatur, haut ſecus atque graviſſimum jugum maturat excutere: quoniam gnarus, ſe ſpiritum cœlorum hauſiſſe ſublimibus, ægrè ſe probris ſubjectum permittit, quòd ex limo, terræque fæcibus plaſmatus ſordeſcat. Ut veſtibus, ſic memoriâ pulverem excutit, reluctaturque id in capite geſtare, meditationi peridoneum, quod plantis proterendum indulgentis naturæ permiſſus illi ſubdit. Tacitus ſuas prærogativas expendens, ſe pellucidis, limpidiſque rivulis parem amat jactare, qui ſupra Sphærarum ſublimitatem perjucundè ludendo, cunctam eliminant impuritatem,

ritatem,

ritatem, fœditatemque proſcribunt; ſuavique liqueſcentis elementi murmure, velut hilaritate perfuſi, magnificare certant Altiſſimum, colludendoque Majeſtati triſagiæ prolixiùs applaudunt. Et aliquam ſubeſſe cauſſam, nullus inficiabor: quippe nobilior, ſui portio compoſiti, uſquequaque nævo caret, claritate fulgida nullâ execœcatur labeculâ, ut in illa ſemet penitiſſimè ſcrutando, propriam excellentiam, nitoremque medullitus ponderando, quis ad limpidum, diaphanumque fontem ſuam reddat imaginem, ſuiſque ſe pictum coloribus agnoſcat. At oppidò in hoc ſitus occurrit vanitatis cardo; quandoquidem oculis gnaviter in fonte defixis, unam ſpeculatur aquam, haud gnarus, ſibi tunc pro ſpeculo deſervire, cùm terra diaphanitati terminum imponit, cujus cæterùm haut capax habetur. Sedulâ ventilatione ſuperſedens, minimè intelligit, ſibi ancillatura loco ſpeculi, à propinquo fundo mutuetur opacitatem congruere: Cui ſiquidem conceſſum perhibetur, uti niſi fonte ex opacitate, diaphanoque compoſito, videlicet aquâ, terraque, ad vivum ſua reſultârit icon?

2. *En, homo improvide, paucis lineamentis adumbratam tuam vanitatem, tam deploratam, quàm incognitam. Conaris equidem in humana conditione, temet ipſum ſpectare, verùm ex ſpiritu, & materia, cœli, miſeriæque ſymbolis, coaleſcere nequaquam penſitas. Hinc infauſtus Narciſſus temet anxiùs explorans, remota quadam tui parte, tuarum cogitationum fundo obviam nanciſceris in ſepulchrum, quam terram haud dubitâſti repudiare conſortem: Quum, nî detrectaviſſes contemplari in tuarum dotum venuſtate, tuarum deformitatem calamitatum, ac in voluptatum tuarum ſuperficie, tuorum diſcriminum profundum, perditè ſupplantatus illecebroſis propriæ nobilitatis lenociniis, haud migrâſſes in prædam infelicem infeliciſſimæ tuæ fragilitatis. Narciſſi ad fontis marginem ſemet depereuntis, quis finis, ô mortalis? devenuſtatur; & utut in ſui nominis florem florida metamorphoſi mutetur, anguſta unius diei periodo flacceſcet, elanguet, areſcet, eraſo priſtinæ formæ veſtigio. Verùm enimverò, quod ab hoc exemplo derivamus emolumentum, in cujus umbra Antiquitas magiſtra, tantum lucis recondidit, tantum jubaris obruit? captivi Protoplaſti Liberi, ne gravaminor erectas aures præbere: quò minùs noſmet ipſos expendendo, noſtra non effluat venuſtas, conſultum ducitur, æqua lance ſcrutinio inhiare, cujus conditionis ærumnæ ſpiritûs, quo conſtamus, unde noſtra nobilitas exſurgit, immortalitas agglutinetur; rurſuſque quanto preſſurarum ſatellitio, cui anima noſtra deſtinatur, ad quam*

aſpirat,

aſpirat, quam ſitit, quò vita noſtra collimat, in nobis felicitas coronetur, circumdetur, obſepiatur. Ut verbo abſolvam, multaque paucis complectar; neceſſitati accumbit ineluctabili, ſepulchralem aſſumere lapidem, cui fonti impreſſis, atque defixis noſtræ mentis obtutibus, non ſolùm nobis innoteſcamus lethi mancipia, ſed etiam proſcriptis feriis ſupremam neceſſitatem memoriâ revolvamus, funera ruminemur: Homo (*eructabat Themiſtocles*) memoria ſui ipſius obliviſcitur. *Quo quid pronuntiari poteſt acutiùs: Tabulam Geographicam [aliis allubeſcat ſpirantem Mundi mappam indigitare] æmulatus, Urbes numerat, montes, maria cum fluminibus, dum ſinuoſis mæandris per cliva, perque rupium exeſarum aſperitatem, opacaſque valles fugaci pede clanculum dilabuntur. Ab epitoma nec latum unguem abludit, repetitque nomina, geſta, loci, temporiſque circumſtantias veterum hiſtoriarum, unde ſuperbiunt faſti, Imperiorum, Rerumpublicarum vetuſtiſſimarum annales. Vivi Lycei ſibi vendicat honorem; aſt dum recordatur uberrimæ ſcientiæ, ſuimet duntaxat obliviſcitur, propriæ conditionis immemor. Ratiocinatur de morte, velut de alieno, cùm attamen Chriſtus clarâ voce comminetur:* Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus. *Quod oraculum interpretatur Os aureum:* Hoc dicebat Chriſtus, non ut lignum crucis ſuper humeros feramus, ſed ut mortem ſemper ante oculos habeamus. Hom.5. ad pop. *Mortales ob oculos mortem identidem habeant, ac ſuis cogitationibus ſcopum præfigant: in umbra quà obſcura, quà fœtida, illuvieque reſtagnante, cautus Narciſſus ſe contempletur oportet, emaculaturus devenuſtatas pulchritudines.*

3. *Ad Evangelium converſus prorumpo: Si tellus corde caret, quì proindè:* Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, ſic erit Filius Hominis in corde terræ? *Hîc myſteria notate, exclamat Albertus Magnus, Redemptore de proprio ſepulchro verba contexente:* In corde terræ. Nota virtutes ſepulchri. Cor enim terra non in Math. 12. habet, ſed ſicut operationes animales maximè ſunt in corde, ita ubi ſunt maximè terræ operationes, ibi dicitur cor terræ. *Quandoquidem operationes naturales à corde derivent originem, morales à potiori proficiſcentur à conſideratione reſerati tumuli, nec non fracidis ſcatentis. Cor ſtat pro ſepulchro, cui onus incumbit præſtandi, virtuti, gratiæ, Paradiſo vivas: Quippe quoties humana progenies ſedulâ diſcuſſione expenderet, quis exitus propria maneat, adornetur poſſeſſis; oppidò corporis cul-*

tui, redigendi in vermium eſcam, ocyùs nuncium mitteret Juvenis, avarus, alter adultus adamus, avelleretur ab auri complexu, guloſus, ritu Davidis, ſepulchralibus cineribus ſe paſceret: in quibus & laſcivi, & vindictæ mancipati flammæ ſopirentur, ac demum faſtus quodcunque Polyandrium ingreſſus, ſeu aliud quidpiam vitium, turgere dediſceret, ſupercilium demitteret, perfricatam frontem exueret. Ad Fontem accedite, Narciſſi, hortatur tolerantiæ Prototypus: Flagitioſe properato, te-
Job.c.5. *que rimatus in monumento, ſerenatæ mentis jucunditati reſtitueris, quoniam* viſitans ſpeciem tuam non peccabis.

Cap. 1. 4. *Neque deſiderantur Iſaïæ lamenta;* Omne caput languidum, & omne cor mœrens, à plantâ pedis uſque ad verticem capitis, non eſt in eo ſanitas: Vulnus, & livor, & plaga tumens. *Per infeſtas ægritudines, Numen in hominibus infauſtum mortis vexillum explicat. Exſucci, effœti, vix oſſibus hærentes, mortuis quàm vivis adſcribendi veniunt, ac penitus omni denudati carne, procelloſæ fortunæ ludibrium occurrunt. Unus innixus baculo, ægrè novo vulneri locum facere valet. Alius ſemet raptando, laborat, ſudatque in ferenda proprii corporis ſarcina, exiguum carnis, pelliſque ſuſtinens pondus. Tam horrendis ſpectaculis funeſtantur plateæ, forum cum compitis, teterrimis repletur larvis, erudiendæ mortalitati; unde ad reciprocum aſpectum, in noſtro ſe Fonte ſpeculans, propriam conditionem deprehendat, atque tenorem, & ad quam metam duriſſimæ neceſſitatis impulſu dirigantur. Igitur niſi hâc conſideratione duce, ad laudabiliorem vivendi rationem tendant, & morigerati refulgeant, atque cadaveribus magiſtris, corruptioni ſe ſubtrahere diſcant, nec non edoceantur à fœtida carne, odoram animam cuſtodire, incorruptamque; in morte immortalitatem empyrei extrahant, ecce dolentis Iſaïæ lachrymoſa ſuſpiria:* Quid ultra faciam vobis addentes prævaricationem! *Quod nullum remediorum hocce magis præſentaneum exiſtat, nullum efficacius adverſus ægritudines, habeaturque noviſſimum pro*
Lib.3.in Geneſ. c.25. *impetranda valetudine.* Quid ultra? *Quaſi mortis meditatio ſit Abila, ſit Calpe ſpiritualis medelæ, ſuffragante Ruperto:* Qui ſedet in ultimo equo pallido, *mors vocatur.* Si non in hoc convertitur impius à via ſua, non habet DEUS quid adjiciat ultra. *Proinde, ô homo, mortis pabulum, hoc Opuſculum tuis objiciens oculis, poſtremum tuæ ſalutis argumentum tibi propino. Hoc unum arcendis effectibus par invenietur, dum cogitationum faſcinationibus noſtri Fontis limpitudinem agitantes,*

non excitemus terreni fœtorem, non Camarinam moveamus, unde turbetur, ac in inſalubrem degeneret: Nam immodica ſui exiſtimatio, vanitati copulata, dedignata coram ſeſe tam validas perſiſtere exprobrationes, excutit ſuperbam cervicem, adeò formidandis objectibus inviſa, id negando, cui ſubjacere renititur. Intellectus humanus, inſanùm nobilis, magis accidentium admirationi, quàm contemplationi aſſuetus, per ſua documenta, ceu ſua per joca, medius prætergreditur, auréque deceptâ æternas Numinis voces haurit, veluti meras caſûs notas. Hinc nullum inde fructum decerpit. At, contingátne præ ſuperbiâ, vanitate, ignorantiáve, mea parùm intereſt; dummodo meo non deſim muneri, illíque ſim præſtò, ut, atratis atramenti jaculis mihi confoſſus, cordis nidulo propulſatâ pertinaciâ, in ſe ipſo ſe ipſum intueatur, atque ſperare liceat confore, ut hoc proficuo vulnere lux cognitionis transfigatur, quod vitæ balſamum commendatur.

5. *Fœcundandæ ſoli ſterilitati, juxta Maronis effatum, cinis accitur:*

Effœtos cinerem immundum ſparſiſſe per agros. Lib. 1. Geor.

Plinius itidem aſtipulari videtur, cinis fœcunditatem cauſat. *Pari* Lib. 17. c. 3. *paſſu inſinuaturus virtutis fœcunditatem, Mortalium cordibus ex vitii corruptela ſylveſcentibus, ſepulchrales cineres effundam. Cumque ob reatûs labem mortalis Creatori terga vertere non erubuit, præſtabo, ut cinerem ſpargendo fugitivum conſtituam reducem. De apibus fidem moliente Plinio:* Pulvere è veſtigio anguium collecto, ſparſas apes in Lib. 3. c. 16. alvearia reverti. *Id itaque tacto pectore vobis polliceor, Adæ poſteritas, in hiſce paginis. Haut me fugit, de morte differentem, fervidi calorem ingenii dedecere, ſanè expectari nequire, ſed duntaxat egelidum languorem. Probè fateor, eſſe mihi curtam ſupellectilem. Quid inde? licet & ego veſtro ex grege, ex modico pulgere, frigidoque cinere compingar, & coaleſcam; attamen adverſus vos inflatis buccis obſtrepam, denudabo noſtræ miſerabilis naturæ miſeriam; ac redivivus Abraham:* Loquar, cùm ſim pulvis & cinis.

SYLLABUS

SYLLABUS CAPITUM
PRIMÆ PARTIS.

CAP. I. Juvenes ad Fontem.
II. Senes ad Fontem.
III. Pontifices ad Fontem.
IV. Cardinales atque Prælati ad Fontem.
V. Religioſi ad Fontem.
VI. Imperatores, Reges cum Principibus ad Fontem.
VII. Gubernatores, Judices & Advocati ad Fontem.
VIII. Bellatores ad Fontem.
IX. Literari ad Fontem.
X. Muſici ad Fontem.
XI. Pictores ad Fontem.
XII. Mulieres ad Fontem.
XIII. Superbi ad Fontem.
XIV. Avari ad Fontem.
XV. Laſcivi ad Fontem.
XVI. Iracundi, nec non vindictæ Cupidi ad Fontem.
XVII. Guloſi ad Fontem.
XVIII. Invidi, Deſideſque ad Fontem.

JUVE-

JUVENES
AD
FONTEM.

CAPUT PRIMUM.

AD numeris omnibus abſolutam naturæ noſtræ notitiam, haut directè illius ſtatus eſt aſpiciendus, quòd erroribus appropinquet, caſſæque ſit molis; ſinque contingat, intellectum inhiare hominis conſtitutivo, quò firmiùs intelligit, ſe exorbitaturum, eò certius ſcit, ſe hallucinaturum. Abyſſum Jure meritiſſimo dixerim, ob fundum nimis profundum, inexhauribilem: Solem æmulatur, cujus radii lùſtrantibus impervii. Hinc quoniam immodicè viſibilis, neceſſum eſt, ſpectantium aciem obtundat, ut in imaginibus conſiderandus veniat, inter comparationes agnoſcendus: Secus, conando ſeſe in effrænis Oceanum lucis ingurgitare, oleum quis & operam perdet, inſaniſſimis aſcribendus. Igitur, noſtri latices Fontis, inter terminos, queis hic ſtatus circumſcribitur, exponendi veniunt, quoniam in ſemetipſis ſe indagini ſubtrahunt intellectûs, terrenis inquinamentis commiſſi: Satius experimenti ductu, quod ſibi Magiſtri arrogat honorem, præfixam dirigemur ad metam, portumque attingemus, ac appellemus oræ.

2. Juvenis inflatur ſuperbiâ, robuſtam ſibi ſpem aſtruit, numquam evertendæ proſperitatis, quâ triumphat; ſe nullo temporis articulo perire poſſe lætatur, nullis obnoxius cataſtrophibus: quum, navis ad inſtar, aſpirantibus hinc inde zephyris, fœcundiſſimæ navigationi

favoniis alludentibus, elementi liquentis dorſum calcantis, fortunatum ſe jactat. Minutius, ſcrupuloſiuſque Tertull. veritatem explorans, hujuſce farinæ quà temerariis, quà cervicoſis illuceſcit, contrarium evincendo, quoniam, niſi abſoluto devexæ ætatis curriculo fatis haut ſe conceſſuros arbitrantur: *Vis eſt illa navigii, cùm longè à Capareis ſaxis, nullis depugnata turbinibus, nullis quaſſata decumanis, latente curſu, adulante flatu, lætante comitatu, inteſtino repente perculſu, cum tota ſecuritate deſinunt: Non ſecus naufragia ſunt vitæ etiam tranquillæ, mortis eventus.* Ego verò dicam: In Syracuſarum armamentario quædam conſtruitur navis, quæ undis immerſa, ignotas lenocinantis ponti vias tentare auſpicatur. Ad puppim Æthnam relinquit, flammivomum in ſolo montem, ipſa montis ſpeciem, pelago innatantis, præ ſe ferens: Remis, veliſque inſtructa, liquidos ſulcat campos, tam auſu, quàm faſtu referta. Præalta proræ, puppiſque propugnacula, multo milite, ac tormentis armantur; unde muniatur, terreat, fulminet. Vento agitata, volantem æmulatur ſagittam; ad fluctuum impulſus ſtat Marpeſia cautes, longóſque itineris tractus ſibi præfigens, ſe jam ultimis Occidentis metis propinquam eſſe lætatur. Sed, ô dulcedo mox amaritudine corrumpenda! Fretum Mamertinum ingreditur pertranſitura; vixque in limine conſtituta, ſpumido involvitur labyrintho, Scyllæ, Charybdiſque colluſionibus compoſito, donec anguſtâ periodo in abyſſo remotis, quæ meditabatur, itineribus finis imponatur. Hoc inſpicite ſpeculum, hanc aquam, Juvenes Narciſſi, ubi alata pinus naufragium fecit inauſpicatò: Indéque depromere licebit exemplum, juventam nec latum unguem abludere à navi, eximiâ pompâ transfretanti, inconſultéque aſpiranti ad Oceani littora, ut illis in undis occiduum Solem ſpectet. Et ecce, quidam fortunæ novercantis æſtus, cujus tyrannide inopinanter deglutitur: *Non ſecus naufragia ſunt vitæ etiam tranquillæ, mortis eventus.* Pereunt naves, nondum perfecto, abſolutóque itinere. Vitæ ſtamen Libitina ſuccidit in Juvenibus, ante ætatis metam, Adæ poſteris præfixam. Ipſiſſimus inexpectabili venâ Balthaſaris Auſtriaci, Hiſpaniarum Principis, ejuſque conſobrini Ferdinandi Romanorum Regis, immaturo fato illachrymavi; Cùm uterque in ipſo itineris fervore, ac exordio, in lethi mari fuêre ſubmerſi. Itaque Magnatibus, in ætatis flore areſcentibus, quorum

Lib. de ani.

rum incolumitati Medicorum conſultiſſimi conſulebant, artis peritia invigilabat, accitis omnis generis pharmacis; amabò, quid cæteris continget, eſto vegetis, ac lacertoſis?

3. Vos Jobi verbis compellor alloqui, de ſua Juventute ediſſerentis: *Dies mei pertranſierunt quaſi naves poma portantes.* Navis inſtar; ſeu quòd navigium, utut enormis magnitudinis, nec unum mari ſui tranſitûs veſtigium imprimit (ubi verò aliqua ſupereſt nota tot Juvenum, qui lubricum vacillantis humanitatis ſtadium emetientes, terram calcarunt? *Fumus, umbra, nihil.* Aut oppidò quia navis, ſive in ea quis cibum ſumat, ac potum, ſomnive dulcedine languidos recreet artus, carpatque voluptatem, haud ab incœpto deſiſtit itinere, nec curſum interpellari ſinit, ad præfixam metam exultans. Holofernes dormiendo, Baltaſſar veſcendo, littus mortis extremum attigiſſe dicuntur. Divus audiatur Ambroſius, in hæc Jobi verba: *Etſi non videmur corporaliter ire, tamen progredimur quaſi naves.* Haud ſecus atque navis, appoſitè Anacharſi Scytha calculum addente: *Tantillum abſunt à morte, qui navigant.* Vitæ mortiſque confinia vix diſtant. *Vivit anima mea*, pronunciaverat David ad Jonatham. Quid ergò? *Uno, ut ita dicam, gradu, ego, morſque dividimur.* Elapſi ſunt dies mei *quaſi naves*; at *quaſi naves poma portantes.* Cur, Job, tuos dies adeò abjecto navium generi, tamque vili aſſimilare non dubitas? deceret oppidò nobilior comparatio. Aſpice Hieronis, Syracuſanorum quondam tyranni, vaſtiſſimæ molem navis, quæ cunctis penè miraculo fuit, tam hortis, quàm mercibus gravida: quippe Ægypto ſuperba ob penſilium hortorum vernantem amœnitatem, illa ſua jactat navigantia viridaria; dumque arboribus, antennarum multitudine refertis, frugiferæ accumbunt arbores, æmulæ palmam præripere certat. Obtutum vibrato in Argi navim, quæ induſtriâ fabuloſæ Minervæ vocem articulando, mariſque provocando Sirenes, loquacem puppim, canoram proram oſtendit. Intuere Soſtrati inſignis architecti immenſam navim, ad ducentos octoginta cubitos protenſam, uſquequaque auri fulgore radiantem, odoriſque Cedrorum tabulatis, cœleſtem transfretantibus ſuavitatem ſpirantem, afflantémque. Theſei navim aſpicere ne detrectes, jam Cretæ labyrinthis ſoluti. Ab his igitur famigeratis navibus ſimilitudinem mutuare juvat, atque derivare, neutiquam

Cap. 9. In Pſ. I. Apoph. Mar.

 ab

ab illis impolitis navigiis, queis nil vilius circumſcribunt armamentaria: non à ſcaphis, fructibus redundantibus, queis nihil miſerius, nihil ſordidius, anchoram figit in portu liqueſcentiſve elementi campos ſulcat. En Lirani ſententiam: *Quaſi naves poma portantes, quarum nautæ feſtinant non ſolùm propter deſiderium portûs, ſed etiam, ne poma propter moram in mari putreſiant.*

In c. 9. Job.

4. Hìcque hoc navigii nomen meæ menti reſtituit ad amuſſim, ſuperfluam fœcunditatem in ſterili Rebecca, quæ hactenus quò ſteriliorem ſe probaverat natis, eò Iſaac dolorum fertilior evaſit: Tandem geminos geſtabat utero; Hinc ſuffragatur Sacer Textus: *Collidebantur in utero ejus parvuli*: transfert Symmachus: *In ſimilitudinem navis ferebantur.* Videlicet inclyti gemelli, Jacob ac Eſau, hujus vitæ pelagum ſulcabant, navis ad inſtar, quæ prævalido afflata vento, ocyùs ſagittâ ſcindit undas. Sed ecce! uterque maternâ continentur alvo, ceu in portu jactâ anchorâ, jamque tumentibus carbaſis altum permeant. Nondum vitalem auram ſpirant, jamque præſcripti ſunt; Nondum ventris ergaſtulo ſunt eluctati, cùm tumulo appropinquant; Nondum primam lucem aſpexerunt, quum mortis umbram incurrunt. Ita propemodum amat contingere, juxta Salomonem: *Tempus naſcendi, & tempus moriendi.* Inter anguſtias *tempus naſcendi, & tempus moriendi*, humanæ vitæ periodus clauditur. Hinc idem pacificus Rex Iſraël: *Ego natus accepi communem aërem, & in ſimiliter factam decidi terram.* Mortales oriendo aves æmulantur, dictas Galeno epithimbidias, dum veluti tumulum ſupra caput geſtare conſpiciuntur. Hinc in ventre gemelliparæ, Jacob cum Eſau, veluti navis, velociſſimus currebat, uti naſcendo propediem mortis metam attingeret, *tempus naſcendi, & tempus moriendi.* Quod ponderans Divus Gregorius Niſſenus, in hæc documenta linguam laxat, cunctorum cordibus inſtillando: *Pulchrè in principio verbis hanc neceſſariam poſuit, & conjunxit conjugationem, cum generatione copulans mortem, ut mentione mortis, veluti quodam ſtimulo, eos expergefaciat, qui in carnalis vitæ profundum ſunt immerſi, & ad curam futurorum excitet.* Juvenculi, compeſcitote naturalem impetum, unde ad præcipitium excitamini: extinguite improbè accenſas ſenſûs ſcintillas mortis cineribus: ne fidem præſtetis juventæ, quandoquidem faciliùs eradicetur tenella planta, quàm annoſa quercus.

Gen. 25.

Eccl. 3.

Hom. 6. in Eccl.

Vobis

Vobis intonat Seneca: *Juvenes mortem habent à tergo, Senes ante ocu-* Cap. 9.
los. Non minus timendus eſt hoſtis, qui eſt à tergo, quàm qui eſt ante ocu- 38.
los. Nec deſiderantur Sapientis ſuffragia: *Aquæ furtivæ dulciores* Cap. 28.
ſunt, Proverbiis inſertum legitur. Libitinæ arridet, ad palatum 14.
eſt immaturus præ maturo fructu, ad hunc ſcopum Iſaiâ colliman-
te, ad hanc metam dirigente arcum: *Erit temporaneum ante maturi-
tatem Autumni, quod cùm adſpexerat videns, ſtatim ut manu tenuerit,
devorabit illud.* Interpretatur Liranus: *Sicut aliquis videns fructum
aliquem maturum, ut pomum, vel ficum, vel hujuſmodi, ex deſiderio no-
vitatis ſtatim accipit, & comedit:* Æquâ lance lethum jejunâ avidi-
tate armatum, ac inexplebili appetitu, fructum illum rapit, rap-
tumque devorare maturat. Igitur quid conſilii? *Mentione mortis ve-
luti quodam ſtimulo eos expergefaciat, qui in carnalis vitæ profundum
ſunt immerſi, & ad curam futurorum excitet.* Perpendas oportet ma-
turè, vel Juvenes migrare in mortis prædam, mortemque ruminan-
do, opportunè auſpicator cœlum lucrari cum beatitudine citra fi-
nem. Mente revolvas, te à navi nullatenus abludere, quæ in ipſo
itineris exordio naufragium facit. Sin hæc conſideratio reperitur im-
par, tibi ſtimulos ſubdendo; Scias, mortalium vitam, præter accen-
ſam, flammantemque tædam, nil eſſe. Forſitan accidet, ut ad haſ-
ce flammas exurantur inconſulti auſûs pennæ, dum ad ſæculorum
annos, præciſo quocunque fundamento, volare non erubeſcunt.
Ita vivacitatem prorogandi, ævum extendendi, libido nullatenus
animum ſubibit.

5. Hominis, mundique inter conſtitutionem, vix ulla diſcrimi-
natio intercedit: Siquidem ſi Numen in principio cœlum condi-
dit, atque terram, deindeque amabilem lucem, cujus adminiculo,
ceu amorificâ catenâ, unum alteri copulatur, atque committitur:
perinde in microcoſmi ſtructura, animam corpuſque creando, nem-
pe cœlum & terram, decrevit, hæc inter duo vita deſerviret pro
dulci ligamento, ut proinde lux audiat: *Quare miſero data eſt lux?*
Verùm enim verò veritati locus ſit, non ſolùm quatenus jungit
ſpiritum, atque materiam, Job appellavit lucem ipſam vitam, ſed
inſuper, quòd ſub hujus metaphoræ velo, ſuis coloribus illius inge-
nium, naturamque depingat, ac typum depromat. Quoties quiſquis
ſolertiùs venuſtatem lucis inſiſtit, mediâ ſpeculatione, & in illius ſe

decora ingurgitat; non poteſt non pariter illius fragilitatem deprehendere, denudareque, unde ſibi conciliat, quicquid habet ſpecioſi, Lux? quid rapinæ magis obnoxium? quid noſtris oculis brevius, tamque fugax? intuere, ô Juvenis, facem illam ſplendentem, imò (pace tuâ dixerim) pellacem. Aſt quid inde? deliquio nutrimenti extinguitur, ubertate ſuffocatur, extinguitur halitu. Ipſiſſima elementa, quorum beneficio nihil non vivificatur, ac hilareſcit, eidem tenebras pariunt, & mortem; nam modico terræ tumulatur, tantillo frigidæ extinguitur, ad exiguè agitatum aërem perit, propinqua flammæ luce denudatur, ac evaneſcit. Haut ſecus conſtitutus offenditur humanæ vitæ tenor: hanc ferculorum delicata opprimit abundantia, victûs caritate, defectuque compellitur occumbere, exiguâ acu cum morte luctari cogitur, machærâ truncatur, confoditurve, belluâ laceratur, vermis veneno corrumpitur, affectûs tyrannide transfigitur, melancholiæ tetricitate funeſtatur, æſtuat febris igne, calore ſuccenditur, gelu ſtupefit, igne conſumitur, telluri ſorbetur, in aqua ſubmergitur, inficitur aëre, cœlum ſortitur inviſum. Stellarum turbatur jaculis, ac tandem temporis edacitate corroditur. Igitur ad noſtrum fontem contemplari ne gravaminor, ô venuſti Narciſſi, quot calamitatum iliadibus humana vita ſubjaceat, quantis quaſſari queat turbinibus, ad quot ſcopulos allidi, nec non proſterni: quæ mala minimè retundat juventutis clypeus; quippe fax quàm primùm accenditur, facillimè extingui poteſt pro arbitratu, aut ab exordio, aut in progreſſu, aut in fine, hocque pari flatu. *Quare miſero data eſt lux?* Siquidem quâ facilitate quis naſcitur, eadem & defungi poteſt aut in infantia, aut in adoleſcentia, aut in juventute, aut in virilitate, ſenectuteve. In hunc propemodum modum Pythagoras Abderites, centum ſeptemdecim annis major, fatis conceſſiſſe perhibetur, quemadmodum Pyrrhus Elienſis, annorum nonaginta; Sic expiravit Alexander Poloniæ Rex, qui ad quadraginta annos ævum extendit, inſuper addito uno luſtro, ſicut Henricus hujus nominis Quartus, Anglorum Rex, cui vitæ ſpatium contigit prorogatum uſque ad annum, ſupra ſeptem Olympiades. Sic Ermannus, filius Rudolphi Imperatoris, ſuæ periodum ætatis decem & octo clauſit annis. Macedo, expletis triginta duobus annis, & octo menſibus, ſupremæ neceſſitati fecit ſatis; cujus fortitudo, ceu furibundum mare,

mare, inundatis vaſtiſſimis Orientis Regionibus, attamen mortalitatis oras ſuperando non fuit. Cujus obitûs Quint. Curtius memor, juxta noſtram ſimilitudinem accenſi luminis, quod ſingulis momentis quocunque afflatu extingui poteſt, ſic effatur: *Rurſus Perdicca interrogante, quando cœleſtes honores haberi ſibi vellet, dixit, tum velle, cùm ipſi felices eſſent. Suprema hæc vox fuit Regis, & paulò poſt extinguitur.* Lib. 10.
Annus climactericus, excluſo quocunque ætatis diſcrimine, vel in juventute regnare conſuevit. Haud me fugit, Adamum ævum extendiſſe uſque ad noningentos ac triginta annos, necnon exceſſiſſe in ipſo trigeſimi primi limine; in quo numero fatalis ſeptimus centenis vicibus ſupra triginta tres clauditur. Nec ignoro, Ariſtonymo Poëtæ in ſeptuageſ. ſept. Parcas vitæ ſtamen ſecâſſe, ita ut Parnaſſi lauros mortis fulmina areſecerint. Heraclius Imperator ſupremum diem clauſit, quadraginta duorum annorum, & triginta quinque quartus Ægypti Rex. At è regione non neſcio, Balduinum VII. ultimum Jeroſolymitarum Regem, ultra 21. annum haut vixiſſe, neque Druſum Claudii filium, ultra decimum quartum, ultra ſeptimum Lucium Verum Cæſarem; immò primo germini Davidis cum Berſabee mors immatura ſubrepſit poſt ſeptimam partûs diem. Igitur æquo Libitina pede pulſat Senes, Juvenes, lactentes, exclamante Divo Baſilio Seleuciæ: *Mors viventes furatur, neque legem ſibi præſtitutam novit.* Orat. 27
Hinc Jure meritiſſimo quidam Arabes fabricando, velut iconem temporis pellacis, propriam, inclytamque civitatem Elzir, tot inſtructam voluêre portis, quot anni dies numerantur; erudiendæ mortalitati, in quacunque temporis circumſtantia, ſingulis diebus oſtium patere egreſſui ex hac vita.

6. *Breves dies hominis ſunt*, exclamat Job: Hebræus verò legit, *decurtati dies hominis ſunt.* Cap. 14.
Nonnunquam quà cerebroſa, quà crudelis Parca, in ipſo contentionis æſtu, filum, ſtamenque reſcindit, negat præfixam attingere metam, appelleréve portui expleti Sapientis oraculo: *Decurtati dies hominis ſunt.* Floridæ Juventutis crapulæ, incontinentia, aëris intemperies, inclementia cœli, laborioſæ vigiliæ, onera voluntaria, eidem prolixum vitæ curſum, ævique ſufflaminant. Huc Cælius Rhodiginus reſpexit, quum enunciat: *Mortalium nemo eſt, qui craſtinum ſibi audeat polliceri.* Quàm appoſitè Divus Ambroſius, cujus in ore mellificabant apes: *Hodiè videas adoleſcentem validum,* Lib. 20. Lect. ant. c. Exam. l. 1. c. 7.

dum, pubeſcentis ætatis virtute florentem, gratiâ, ſpecie, ſuavi colore, craſtinâ die tibi facie, & ore mutatus occurret. Ceu roſa menſe Majo circa meridiem, vividus color in palorem degenerare amat.

7. Expedit, ô Juvenes, notitiam veſtri ſtatûs hauriatis, derivetiſque ex ſimilitudine unius floris; quandoquidem in ætatis flore geſtientes, & genio indulgeatis, & veſtris velificemini propenſionibus: Utque exactiùs veſtra vobis objiciantur deliramenta, campeſtrium florum longè venuſtiſſimus, ſuaviſſimus, fragrantiſſimus roſa, in campum erumpere ne cunctetur. En quî purpureæ ſimillima Danai, ardentiſſimè nativum in calathum liberaliter effuſa, dum quodam veluti modeſtiæ frœno, atque rubore gremium expandere ſtudet, ex integro aureo imbre obſitum revelat. Niſi magis arrideat, maviſque pronunciare, quòd hâc ferreâ ætate roſam duntaxat venereris felicitatis ſatellitio coronatam, beatamque, in piropi tumulo aureos aurei, jamque effluxi ſæculi cineres condere quoniam ſpectatur; Rurſus tota vernantium foliorum explicatur ambitio, & quæ Solem ſinu geſtare ſe jactat, atque lætatur, non poteſt non præ ſe ferre purpuream auroram, ſi ſedulus explorator faſtigiatorum foliorum involucra perpendas. Dum ſpectat, Regiæ purpuras ad pratum à Vere deferri, amat ſalutari Regina. Intenta municipalium pomparum apparatui, tali paludamento cingitur, quale neque Mexici concha, neque Cretæ oſtrum, aut Tyri murices componant, oſtentantque: Siquidem vel tenuiſſimæ lanæ prætactis tinctæ flammidis coloribus, purpuram roſæ erubeſcant, hujus ad Majeſtatem vileſcant, neceſſum eſt, nativæque cedant chlamydi. Viridi nativæ ſepis throno inſidet imperioſa; nec non quanta quanta faſtuoſa, circum odoriferam illam ſublimitatem exultat numeroſæ florum plebi humiliter ſe coli, ſe ſuſpici. Illam, ceu excubiæ, ſepiunt ſpinarum agmina; auræ demulcent, atque comitantur; ros baccatam conſtituit; auratæ baſiant apes, medióque illius in ſinu triumphat amor. Mane ridens, corda ſagittis impetit; agnatæ venuſtatis radiis, ludendi dici ſplendori deliquium offundendi ſatagit. Nihil non molitur, omnia ſpirat, ad omnia aſpirat, omnia ſuperat, atque debellat. Hinc prati floridus effecta Leonides, ſingulis, veluti ſcuto, purpureorum foliorum, ſanguine ſuas inſcribit victorias, cruore notat. Hocce veſtrum noſcatis ſymbolum, ô vos, qui tam in annis, quàm in genis circumfertis Veris amœnitatem, & hyberno tempore, & apud nivis contubernium flo-

ren-

rentem. Vix roſa in lucem erumpit, quum aut rapaci manu tollitur, aut è veſtigio languet, certè decoloratur ejus matutinus decor, & ad veſperum degenerat in mortem, corruptionem, vanitatem. Proinde jure meritiſſimo Prophetæ oraculum uſurpans, vobis intono, veſtris cordibus, quàm auribus obſtrepiturus: *Exſiccatum eſt fœnum, & cecidit flos.* Narciſſus juvenculus ad herboſum fontis marginem, in florem migravit erudiendæ mortalitati, quoniam in ſua juventute, *quaſi flos egreditur, & conteritur.* Oppidò in juventæ flore conſtituti triumphatis, aſt veſtræ fragilitatis immemores obviatis: *Mane floreat, & tranſeat.* Divus Hieronymus: *Floruit & abiit. Veſpere decidat, induret, & areſcat.* Juxta Hipponenſem: *Veſpere decidat utique in mortem, dureſcat in cadavere, areſcat in pulvere.* Et quemadmodum modulabatur Poëta: *Iſa. cap. 40.* *Job. 14. 2.* *Pſ. 89. 6.*

Una dies aperit, conficit una dies.

Omnes defungimur, & in ictu oculi, momentóque defungimur. Inſignis illa mulier, nomine Thecuitis, quà cordatè, quà animoſè aſtante Regio Pſalte eructâſſe perhibetur: *Omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur ſuper terram.* Haud dixit exſpirabimus, at *morimur.* Inſuper Sanctus Fulgentius lynceo detexit obtutu, Antiquis mortem ſub *Atropos* vocabulo fuiſſe intellectam; quod audit *ſine ordine*; uti daretur agnoſcere, eodem ſuffragatore, quòd *mortis conditio ſine lege venit*: inopinanter cuncta confunduntur, ſuſque deque vertuntur, hiſque peripetiis nil non involvitur. Sive quis inter Juvenes adſcribatur, aut ex Senibus ſit, indiſcriminatim exlegi Libitinæ legi patet, omneſque acutâ mortis falce reſcinduntur. *4. Reg. 14.* *l. 1. Mich. c. 7.*

8. Amariſſimis lachrymis Angelicus Doctor deflet humanæ conditionis infelicitatem, atque ad defluentium lachrymarum murmur compoſitâ voce, in hunc propemodum ſenſum ſolvit linguam: *Plures moriuntur ante ſenectutem, quàm Senes; plures pelles agnorum feruntur ad forum quàm ovium.* Ecce verba Jobi de conclamata juventa: *Lædetur quaſi vinea in primo flore.* Legit Hebræus: *Diripietur fructus immaturus.* Septuaginta exponunt, *vindemiatur ſicut acreſta ante horam.* Arripite juvenculi Narciſſi, effari pergit tolerantiæ Prototypus: *Defloravit tanquam præcox uva.* Explicat Rabanus: *Præcoces ergò uvæ inde ſunt vocatæ, quòd citò matureſcant, & ante omnes Sole co-* *l. 5. de erud. Pr. c. 8.* *Cap. 15.* *Cap. 3. 19.*

l. 10. com. in Eccl. *quantur: has Græci lagos dicunt, quòd currant ad maturitatem velociter, ut lepus.* Hìc ergò inexſiccabilis lachrymarum vena effunditur, hìc ſuſpiria reſonant, hìc in mortem aggerantur lamenta cum convitiis. Unus ſugillat tyrannicam, alter crudelem, tertius cœcitate laborare mordicus ſuſtinet; hic ſurdæ, implacabilis ille cauterio inurit, nec deeſt, qui temerariam damnet, ac affirmet. Unde tam effrænis audacia, ut in immaturam floridæ juventutis meſſem, nullatenus vereatur falcem immittere? Rogatus ab Imperatore Venetiarum Legatus, quonam ex nemore ejus Reſpublica alatum acciverit, quem pro inſignibus geſtat Leonem; reſpondit, qua Sylva tua Cæſarea Majeſtas bifrontem invenit Aquilam. Unde mors tantam derivavit protervitatem? Unde vobis fluit inconſulta ſecuritas, ut uſque ad occiduam, rugoſamque ſenectam, ævum extendere minimè dubitetis? Num aliquando illud Sapientiæ oraculum deprehendiſtis: *Nos nati, continuò* *Cap. 5.* *deſivimus eſſe.* Unquamne Canticorum illud veſtris obſtrepuit auribus: *Flores apparuerunt in terra noſtrâ.* *Cap. 2.* Ecce Juventutem! At quid inde? *Tempus putationis advenit.* Et ecce mors citra intercapedinem! En etiam myſteria cum documentis, quoniam illicò ſubnectit: *Vox turturis audita eſt.* Viduus enim turtur, extincti mariti funeri prolixiùs impenſiuſque parentans, frigidâ ſuis lachrymis incrementum paraturus, ad fontem vibrat volatum, ebibit: at hauſtâ lymphâ, ſecus atque cæteræ volucrum, caput haud erigit; identidem oculis intentus fonti. Æquâ lance Juvenis in noſtro Fonte lumina perpetuò defigat oportet; juvatque contempletur ſe navim in Freto, facem accenſam vento perviam, floremque caducum: nec non expendendo propriæ vitæ fragilitatem, mortemque propinquam, conetur reſipiſcere, dediſcere faſtum.

9. Suam dolerent vicem, abſtinerent reatuum cumulo, nequaquam mendis vacarent, neque tanta flagitioſorum obviaret caterva, quoties ſedulâ diſcuſſione juventus humanorum volubilitatem excribrarent. In medium prodeant inſultantia vitiorum monſtra, Cocyti furiæ prædatrices, prædæ inhiantes: *Ad evitanda ſanè iſtorum tela cer-*

l. 9. epiſtol. 19. *taminum* (præclarè Petrus Damian.) *Nullus mihi validior videtur clypeus, quàm meditatio mortis.* An deprehenditis quendam juvenculum, uſquequaque deliciis innatantem, lenocinantibus ad exitium dulcibus voluptatum Sirenibus? Inter corporis mollitiem induratum

ad

ad pietatis amplexus animum, haut abſtrahit fluxis: quin imò lapideſcens ſuæ conſtat obſtinationi, ad virtutis cultum, & obſequium inflecti neſcius. En illa virguncula, jam ſuæ nutrix effecta formæ, quì eam illecebris paſcit, cincinnis exornat, calamiſta adjicit, purpuriſſis, ceruſſiſque illinit. O ſi tales in memoriam revocarent, futurum, ut quantocyus vermibus operiantur, qui impræſentiarum ſerico, auroque veſtiti micant, ac ſplendent: *Operimentum meum vermes.* *Iſa. cap. 14.* Si recordarentur, quòd qui quondam byſſo, nec non tenuiſſimis pannis, ut & molli culcitra corpori blandiebantur, jacebunt in ſtrato ex tineis confecto, quarum rabidâ fame caro & oſſa rodentur: *Subter te ſternetur tinea.* *Ibid.* Quòd hilaritati ſubrogabitur triſtitia; extrema affectatæ nimis, ac perditæ urbanitatis occupabit pœnitudo; cuncta ceu nubes vento diſſipabuntur, *velut nubes pertranſiit ſalus mea.* *Job. c. 30.* Profectò vanitati valedicerent, abjectis ſpeculis, ad pompæ præſidium confugere dedignarentur; atque demiſsâ cervice, impexis crinibus in eremi barbariem ſecedentes, lacrymarum torrente humanam deplorarent miſeriam, tandemque inter illos horrores, cœcaſque tenebras, ſexcentis aſperitatibus ad occurrendum imminenti morti, claudendamque beatè ſupremam diem, ſeſe componerent.

10. Magdalena ſe contulit ad denati Chriſti ſepulchrum, lachrymarum ubertate quàm aromatis ſacratiſſimum corpus conditura. Videbatur aurora, in rorem liqueſcens. Par Angelorum tumuli margini incumbentium, tam acerbi ploratûs impulſum ſciſcitantur ex auſpicatò afflicta: *Mulier, quid ploras?* hoc apponit reſponſum media ſingultus inter ac lachrymoſa ſuſpiria: *Tulerunt Dominum meum.* Inde feſtinanti olitori præpeti curſu obvians, anhelanter auſpicatur interrogare: *Si tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi.* Mira res, inquit Origenes: *Hom. 10. de Div.* Animadvertite, quòd Angelis dixit, *tulerunt*, & *non dixit*, *tuliſtis*; *Hortulano verò*, *ſi tuliſti eum*, & *ubi poſuiſti*, *dixit.* Ratio dictabat, æquum videbatur, ab Angelis, quàm ab Hortulano notitiam ſublati hauriret cadaveris, illis accubantibus tumulo, hoc peregrè proficiſcente. Admirationem Origenis enodat Os aureum: *Quia in illis præclarum habitum viderat.* Aſpexerat Magdalena cœleſtes illos Genios, ſub ſpecie venuſtiſſimorum juvenculorum, quorum vultus innumeros jaculabantur radios; ſibique videbatur geminatum ſpectare Solem, ad umbram detentum. Immò cernebat, opacas inter illius ſepul-

 pul-

pulchri tenebras, ex immodico veſtium candore, queîs involvebantur Angeli, geminatam auroram emergere. Illos agnoſcebat ut animatas acerras, queîs continebatur moſchi, balſami, ambari, germinorum, roſarumque confuſa concretio. Tunc Magdalena pronunciavit; haut hi Juvenes ſurripuêre cadaver: quippe ſi vidiſſent cadaver, ſi mortuum contrectâſſent, nequaquam tantâ perfunderentur hilaritate, nec vano cultui indulgerent; *Quia in illis præclarum habitum viderat.*

11. Ad ſolam mortis vocem plurimi vivaciſſimorum Juvenum, ad inſtar aheni frigidâ reſtagnantis, dum ebulliret tumida, poſtea reſidens, quæ videbatur, impetus ſuos cohibuerunt, Religioſorum clauſtris ultro ſe ſe mancipando. E regione inveniuntur multi vitiorum viſco agglutinati, quibus nullus viſus circa exæcutiendas propriæ captivitatis compedes, ac miſerrimæ ſervitutis catenas. Hocque adſcribendum duco mortis incuriæ. Anne Libitinæ Legibus tam Juvenis, quam Senex ſubjacet? *Ecce! defunctus adoleſcens efferebatur, filius unicus matris ſuæ.* Cordatam tædet parentem in nato exſiccati vitæ trunci, dum apprimè florere videbatur, & lacertoſus. Inopinum fatum tam Juveni, quam Seni amat obripere. Meſſem adhuc in herba reſcindit; Sæpè ſæpius quibus floribus ad nuptias ſpargebatur lectus, letho immaturo ſternitur tumulus. Quot Juventutis flores, evadunt crudelis ludibrium, ac ejus falcis præda? Quoties ridente Veris amœnitate, floridi juventutis flores rigida pruina obriguere, vernanteſque Libitinæ gelu decoxit?

D. Luc. c. 7.

12. Itaque cum Apoſtolo Paulo concludendum venit: *Habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus*: Animæ noſtræ (quæ theſaurus audit, & gaza) cœlitus in dotem contigit empyrea libertas, quâ illam donavit Altiſſimus· attamen æternam hanc libertatem ſibi conciliavit annexo pacto, ut nonnullorum annorum ſpatio carcerem cretacei vaſis incoleret. Bona pace dixerim; numquid vas teſtaceum humi decidens, in quacunque temporis circumſtantia in fruſta reſolvi poteſt. Ergo Juvenis, vel levi febri correptus, fatis valebit, concedere: Imò Div. Auguſtinus ſic effatur: *Si vitrei eſſemus, minùs caſus timeremus.* Quid autem vitro fragilius? *Nequaquam*, apponit Doctorum Aquila, Phœnixque ingeniorum, *quid fragilius vaſe vitreo? & tamen ſervatur, & durat per ſæcula. Et ſi enim caſus vitreo vaſi timetur:*

2. ad Cor. c. 4.

Ser. 1. de ver. Dom.

tur : ſenectus ei, & febris non timetur: nos ergò fragiliores, & infirmiores ſumus. Polles equidem Juventute, at vas es vitreum, ad quemcumque lapſum, tactumque fragile. Adamus illachrymabat Abelis funeri immaturo. Ah, te improvidum! cur in lachrymas ſolveris, cur lamentaris? veritati reſpondet, *Abel* atque *luctus* idem ſonare: verum enim verò legit Hebræus, *vanitas, anhelitus.* Syriacus legit *vapor.* Nonnunquam cœcum animadverti vaporem, ſolaribus attractum radiis, nocturnum per aërem, lucidi ſyderis inſtar, ſcintillare; ſed vix incepit inſolito fulgore lucere, cùm è veſtigio evanuerit. Et ſolidior habebitur noſtræ vitæ conditio, roborante Apoſtolo Jacobo, *quòd vapor eſt ad modicum parens.* Igitur hucuſque narrata, ac recenſita, frœno ſint, ô Juvenes, veſtris effrænibus appetitibus; incentiva, ſtimuloſque propoſui, unde à planta pedis ad capitis verticem contremiſcatis.

13. Thucydides prodigam Juventutem appellare minimè dubitavit. Lipſio fuit inimica modeſtiæ, ab ignorantiæ tyrannide dixit oppreſſam, inhabilem moderando; Simonides declaravit otii amicam, omnique gravitatis pondere denudatam. Senecæ ut adhæream, propalo perfidam, in conſiliis præcipitem. Juxta Ariſtotelem audit inconſtans, vacillans, ſuis operationibus modum imponere neſcia. Eſt igitur Euripus ſcatens ſubmerſionis periculis, avernus, atque Chaos conglobatarum confuſionum. His tamen non obſtantibus, potior ac laudabilior reperitur probroſâ ſenectâ, quoniam propenſiorem ſe probat ad emendationem, quòd callum haud obduxerit iniquitati: & ſi quandoque ceu tenerum virgultum incurvatur ad peſſimum, eò faciliùs ad amplectendum optimum elevatur. Mundandæ Iſaiæ linguæ opportunus extitit ignis, nam *ſolidæ & perfectæ ætatis erat,* aſſeverat Bethlehemiticus Purpuratus. *In Jer. 5. n. 9.* Levis autem manûs tactus purgandis Jeremiæ labiis ſuffecit. Sodes denudabo cauſſam; nondum infantiæ terminos egrediebatur; *Ecce, neſcio loqui, quia puer ego ſum.*

14. Cùm igitur hujuſce tenoris occurrat Juventus, qui ſibi temperabit, quem nanciſcetur moderatorem? cùm Juveni doloſos per labyrinthos, undoſaque freta iter carpendum veniat, quem ducem, quem navarchum ſibi deſtinabit? Præter aſſiduam mortis contemplationem, nullum oppidò. Crebriùs Abrahamo ſe DEUS viſibilem præbuit, immenſaque ſuâ Sapientiâ eundem erudiebat. Interim il-

li Saram Libitina rapit, viduuſque ſibi comparare meditatur nobile ſepulchrum. En quomodo Uxoris interitus mariti menti præparationem mortis inſtillavit. Hoc præſtat, talia molitur perennis cogitatio mortis. Progreditur Rupertus Abbas: *Notandum, quia DEUS ulterius Abrahæ apparuiſſe non legitur.* Anne quòd in enormes reatus prolapſus ſit? Minimè, imò, quia ſanctior effectus agnoſcebatur. Sed ideò contigit, quoniam morte magiſtrâ in cathedra ſedente, cætera documenta ſuperflua habentur. Saræ cranium illi deſerviebat loco ducis, cadaver vice navitæ, naviter ut pietati ſe dederet. Sacras mihi Paginas revolventi occurrit, Chriſtum nunquam disjunxiſſe ſua chariſmata à documentis, ſuiſque admonitionibus. Si animo Magdalenæ humilitatem, illius advolutæ pedibus luſtro, ad bonam frugem redituræ, errataque ſuperioris ætatis redempturæ, pœnitenti ſuggeſſit: *Fides tua te ſalvam fecit.* Cùm adulteram accuſatorum impetui ſubduxit, ac in terra ſcripſit, ceu in pulverem redegiſſet ſaxa, quorum imbre ſuffertim impetenda venerat, confeſtim imperavit ei: *Vade, & jam amplius noli peccare.* Quando leproſum incolumitati reſtituit, jubere minimè neglexit: *Vade, oſtende te Sacerdoti.* Paraliticum tam quoad membra, quàm quoad gratiam ſolidaturus, effatus eſt: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Hinc Lazarum ad priſtinæ lucis uſuram revocat; hicque redivivus ad efficacem jubentis vocem, putridas carnes in odoras convertit, atque tumultuaria ſolicitudine funebria colligens lintea, pedibus adhuc ligatis, ex tumulo proſilire non dubitavit. Chriſtus inquit: *Solvite eum, & ſinite abire.* Verùm non eum admonet, non loquitur, *ſinite abire.* Pariter, cùm Chriſtus ante portam Naim obvium nanciſcitur Juvenem noviſſimè defunctum, unicum viduæ parentis, quà filium, quà ſolatium, revocat diviſum ſpiritum, mandatque interruptis vitæ muneribus rurſum ritè fungatur. Cùm feretro Juvenem eximit, benignus Redemptor nil aliud eructans, *dedit illum matri ſuæ.* Immortalis DEUS! cur hìc regnat ſilentium? Ecquid hìc nec admonetur, neque conſulitur? mortui fuerant. In ſepulchri ſchola affatim informabantur, erudiebanturque. Haut nova documentorum ſeges deſiderabatur. Chriſtus obmuteſcit æterna Sapientia, nec quidpiam illi docendum ſupereſt, magiſtra morte ſuadente.

Lib. 6. Gen. c. 15.

15. Juvenculi Narciſſi, perpetuò in hoc Fonte, velut in ſpeculo, veſtram

veſtram veſtris oculis redditote fragilitatem. Hoc in Lyceo erudimini, & proficite. Hac frigida flos irrigetur annorum; mortis cogitationi operam navate, nec unquam apud vos intermoriatur illius oraculi memoria, quod à Divo Ambroſio mutuare juvat: *Vitæ namque principium, mortis exordium eſt, nec prius augeri incipit ætas, quàm minui.* Non ergò poſttergemus lethi theoriam. *l. 2. de voc. Gent.*

SENES
AD
FONTEM.

CAPUT II.

SI liceret mortalibus unam inter multiplices, queîs naturæ liberalitas animantium cætera ditavit, prærogativam eligere; nequaquam incertum me proderem animi, Phœnicis vivacitatem, immortalitatemve, cuique futuram ad palatum, utpote prolixi terreni incolatûs ſitienti (niſi hallucinor) ex pellacis ſæculi vaframentis, corruptique judicii faſcinationibus. Vivit Phœnix pennati populi alata Regina, temporis verò alati ſuperba contemptrix. Confectò annorum numero, ubi mors propinquet, ſuis in terris ſtruere nidum, eique vim genitalem adfundere, languidis membris robur conciliaturam, probatum eſt. Ergò in editiſſimo Arabiæ monte, poſt ſæculorum curriculum, rogum conflat, quem prope Panchajam concinnat odoriferum: decet enim nobilis pyra volucrum longè nobiliſſimam. Inde ſuper illam ſtruem expanſa, iterum, iterumque pennas agitans, aut morti inſultare gaudet, quòd unius pennæ motus, immortalitatem illâ invitâ ſibi valeat conciliare; aut eandem ad appropinquandum invitat, & provocat, cæterum injuſſam accedendi ignaram. Proinde iteratâ alarum ventilatione, vitalem accendit rogum, ibique naturæ compenſat deliquia; quippe cùm inter volucres fecerit ſterilem, fœcundam offendit flammarum ſterilitatem. Jamque moribundus Phœnix fulgidioribus radiis expoſitus, obſcurâ mortis umbrâ obruitur. Sed quid inde? generoſus Solis partus, cùm maximè

vergere

vergere creditur ad ætatis ſuæ occidentem, tunc novum orientem ſibimet potiſſimùm parat. Intra aromatici tumuli anguſtias, mundi deridet contagium, corruptionem eludit, ex funere ad vitam eluctaturus, ſeſeque in cinere reſeminans, capite coronato, in cōnum plumis extantibus, criſtatis faucibus, circà colla fulgore aureo, poſterâ parte purpureus, roſeis pennis cœruleis interſcripto nitore, triumphat emerſus. O ſi proinde ſenibus daretur æmulari Phœnicem, nec non hilariter illud Job ingeminare: *In nidulo meo moriar, & ſicut Phœnix multiplicabo dies.* O ſi liceret præteritos repetere annos, effluxamque ætatem in occiduum revocare ſenecta. Cùm autem hoc ſui Juris haut eſſe noſcant decrepiti, conſequens eſt, ſe jam mortuos deplorent, intelligantque, nil ſibi supereſſe Phœnicis ad imitandum, præter frigidum cinerem.

2. Jamque, ô Senes, attigiſtis (dicamne) noſtri Fontis, aut mortis marginem. Deſtituti Narciſſi, voſmet contemplamini; foveæ vidbitis vos imminere. Itaque jam hinc emigraviſtis, ſi Ariſtoteli acquieſcendum affirmanti: *Quod parum diſtat, nihil diſtare videtur.* Nullus porrò Prometheus adeſt, cujus ope ex cœleſti igne naturalis in vobis calor foveatur. Spargitur nive caput, effœta & algentia membra, præſentem hyemem affirmant: evoluta horarum momenta vos admonent propinqui exceſſûs ex hac vita.

3. Veri reſpondet pueritia, Juventus æſtati conſonat, virilitatem figurat autumnus, hyemi ſimilis habetur ſenecta. Rex Ezechias
Eſa. 38. evolutas ætates evolvens mente, animadvertit pueritiam impendi luſibus, juventutem voluptatibus diſſipari, virilitatem inſueſcere, immori Regni negotiis, atque deſudare in graviſſimis quibuſque. Ergo quid de ſenectute ſentiendum? *In dimidio annorum meorum vadam ad portas inferi, quæſivi reſiduum annorum meorum.* Nihil illi cogitandum remanet, quàm mors maximi momenti. Vos autem, ſenes Narciſſi, veſtram vocetis ætatem, illi vos aſſociate; Nam ſi veſtrum diriget ingenium ad contemplandum quid homo ſit, antequam emittatur in lucem, maſſam eſſe fœditatum patefaciet: Si vos rapiet ad expendendum infantiæ ſtatum, perquam fragilem plantam oſtendet: Si ad adoleſcentiam deducet, à fera nec latum unguem abludere denudabit. Si vos inducet ad voſmet ponderandos, quatenus ad artium, diſciplinarumque confugitis conſecutionem, aucupiumque,

luce meridiana clarius accidet intelligere, vos omnes admoviſſe machinas, vos ut fatuis æquaretis. Patebit inſuper, negotiorum molibus intentos, labyrintheis inerrare flexibilitatibus, atque mæandris; fortunæ militantes, alto concreditos præciſa ſpe portûs, quoniam quum illius rotam ſe ſufflaminâſſe rentur, ejuſdem pila fiunt, atque ludibrium, ac fortaſſis funeſta tragœdiarum ſpectacula. Tandem quoties ad trutinam propriæ vitæ conditio expendetur, atque ſenectutis, elucefcet, vitæ ſenili, & echo eandem ineſſe temporis menſuram, ſenectutem ut momentum eſſe durabilem.

4. Interrogatus Ariſtoteles, quid foret pulchritudo, quid ſibi venuſtas vellet, hoc edidit reſponſum; *cæci hæc interrogatio eſt*; quaſi placeret innuere; oculos reſera, & deprehendes. Quid eſt humana vita? Quaquaverſus oculos converte; cernes, ac obſtupeſces tam ſubitò evaneſcere, quos hactenus prætereuntes habebas; Refertos conſulito tumulos. Paſſim, ô Senes, inquit Chryſoſtomus, ad protoplaſtum reſpicite; properatim, promit ille Divus, facta præterita refricate. Prorſus omninò rubra de terra formatus agnoſcitur, non tam in ſanguinolentûm vulnerum præſagium, quàm evincendo, illius vitam baſi fragilis innitentem materiei, ſtabilem cenſeri minimè potuiſſe. Ceu tenera, velut delicata planta hâc terrâ effictus eſt, propediem, ad inſtar ſolſtitialis Plauti herbæ, effluxura. Hinc conditum ſubitus occupavit ſomnus, pergit Tertullianus: *Somnus ille in publicæ, & communis jam mortis affingitur exemplar.* Conſtatque, quantum temporis effluxerit creationem inter ac ſomnum, breviſſimum extitit. Symbolum fuerit anguſti ſpatii, quo circumſcribitur mortalium vita, ſomno mortis fratre, hæc enim mortuum ſapit ſomnum, ille vivam mortem.

Lib. de an. c. 43.

5. Deinde deliquit Adamus, factumque periculum eſt, hortorum deliciis ceu virus animam corrumpi. Uno in bolo integrum mundum deglutivit; neve perpetuis cingeretur ærumnis, terreſtri pellitur paradiſo. In ſuſpenſo hæreo, num præ aëris inclementiâ, aut pavoris ergò contremuerit; tuncque *fecit DEUS Adæ, & Uxori ejus tunicas pelliceas, & induit eos.* Hic auribus percipite Martyrem Hippolytum: *Mortuum quidem veſtimentum fecit eis, quia peccato mortui fuerant, ut veſtimentum illud corporis corruptionem ſignificaret; quo illos veluti morte quâdam indueret*; annectit Divus Epiphanius: nam ſerpente

Apud Lippo. in cate. l. 2. Her. 64.

pente dicente, *nequaquam moriemini*, ni fuiſſent reluctati Adam & Eva (queis ſemper gratificabatur Altiſſimus) mortis cogitationi, nequaquam jugo paſſionum ſe ſubdidiſſent, nec libertate depulſi, calamitatum epilogum, tyrannidemque incurriſſent. Igitur Seneca, ad recuperandam perditam libertatem, inſtruit egregiè: *Meditare mortem. Qui hoc dicit, meditari libertatem jubet. Qui mori didicit, ſervire dediſcit.* Fatuus autem, ac potiſſimùm Senes à ſe vitalem hanc cogitationem exulare compellunt.

Ep. 26.

6. Indormiebat Nabuchodonoſor, toróque affixus, vagâ mente vaſtum ſpatiabatur per campum. Somnianti arbor viſa eſt in medio terræ, in Orbis umbilico radicata, tam ſublimiter aſſurgere, quaſi tentaret Cœli Sapphiris, quæ incorruptæ, frondoſos ſuos miſcere Smaragdos; effuſâ ramorum denſitate adeò luxuriare, ceu Mundum obduceret umbrâ; fructibus enormiter gravida, ut illis ſeſe paſcerent aves, deciduiſque reliquiis animalia terreſtria ſaturarentur. Aſt tam amœnum ſpectaculum repentinus eventus funeſtavit, atque corrupit: *Ecce Vigil, & Sanctus de cœlo deſcendit clamavit, fortiter, & ſic ait: Succidite arborem, & præcidite ramos ejus.* Porrò ſub hoc ſymbolò mortem adumbrari nullatenus dubitare debebat; attamen indormit animæ ſuæ ſaluti, ſibique mortem nunciari non agnoſcit, ac genuinum verborum ſenſum ignorat. Sagaces venatur Interpretes, ſacros accerſet Prophetas; hiſque ſomnii ſignificatum enucleantibus, nihil de propria ſorte ſolicitus, mentitur inſcitiam myſterii, atque in alienum caput ſiniſtræ fortunæ fulmina derivanda retur. Haud ſecus Senes humanæ vitæ fragilitatem ſibi perſuadent, etiam Juvenem mortem fatentur; hinc ſibimet aſſentando, nunquam ſe morituros opinantur, brevi Libitinæ pabulum, prædamque futuros: *Nonne Nabuchodonoſori hoc idem contigit, qui divinam ſententiam de arboris abſciſſione ex DEI revelatione cognovit; Veruntamen oſtenſæ arboris ſimilitudinem ad ſe ipſum trahere ignoravit.* Sic affatur Richardus Victorinus. Tertullianus exclamat, qui monſtroſa in Africa natus, ingeniorum monſtrum ſuſpicitur: *Omnis fructus eruditur in flore.* Fructus florem edocet coloris pulchritudinem, ſuavitatem odoris, quam halat, ac tandem inſtruitur, quì ſuccum maturet, palati delicium, gulæ delectamentum, cordiſque ſolamen, unde aſſiduiſſimè refocillatur: *Omnis fructus eruditur in flore.* A Juventutis flore fructus ſenectutis

Dan. 4.

l. 2. de crud. int. hom. p. 1. c. 3.

jam

jam maturus erudiatur, agnoſcatque in proprium commodum, quòd cùm aurora ſæpius obnubiletur, multò magis obſcurabitur veſperus, cui potiſſimùm congruunt horrores. Cùm Veri juſta perſolvantur, quid hyemi continget? Roſis marceſcentibus, ad occaſum floridæ Juventutis, haut decident decocti fructus, effœta ſenectus inconcuſ-
ſa ſtabit, vacillare & labi ſolita? *Vide, vide vias tuas in convalle, in ci-* Cap. 23.
nere, in ſepulchro, hortatur Jeremias. Jam fonte ſubmergeris, Senex lib. 11. c. 27. in Job. c. 19
Narciſſe, jam in foveam præcipitaris, quandoquidem *ipſum noſtrum* Pſal. 88. Eccl. 11.
vivere, (ſtatuminat Divus Gregorius) *ipſum noſtrum vivere quotidiè è vita tranſire eſt.* Obturaſne Prophetæ interrogationi aures? *Quis eſt homo, qui vivet, & non videbit mortem?* an ſurdus inveneris ad vocem coronati illius filii? *Si annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætatus fuerit, meminiſſe debet tenebroſi temporis, & dierum multorum, qui cùm venerint, vanitatis arguentur præterita.* Et pergit S. Thomas: *In* De eru. Princ. c. 9.
morte vanitatis arguitur omne, quod eſt in Mundo.

8. Hujuſcemodi farinæ viros, qui vos amicè erudiunt, deflectere à vanitatis ſemita, Senes Narciſſi, lepidâ eloquentiâ Clemens Alexandrinus ita indigitavit: *Gnomones veritatis.* Quippe quemadmodum ferreus horologii ſtylus, Soli expoſitus horas indicat, pari paſſu Divini Verbi Præcones, Sacrique Doctores ad veritatis amplexus iter ſternunt, ac ducunt: *Gnomones veritatis*: Attamen his ſi fidem præſtare repugnatis, ipſi ſaltem horologio lubentes creditote, in quo lux umbræ matrem agit; ac deinde umbra ipſiſſimæ lucis itinera menſurando, vitæ veſtræ breviſſimum tempus metitur. Illum ferreum ſtylum rimari non pigeat putidiuſculos, dum umbrâ ſuâ, velut exiguâ linguâ, vos interpellat oſtendendo, lucem dierum veſtrarum ab umbra nil abludere, citra interpolationem Job: *Dies mei ſicut umbra* Job.
declinaverunt. Vobis objicit, immortales Phœnices haut vos eſſe; integra ſæcula à Parca negari; hominis adventum in mundum, diſcedere eſſe, naſci denaſci. Hujus veritatis candor, vel minutulum nævum excludit, ſicuti in notandis horarum ſpatiis, errori ſe neſcit obnoxium.

Nunciato Diogeni nati funere, Philoſophus ille prorupit: *Sciebam, me genuiſſe mortalem.* Vos homines eſtis, hominesque maturi, atque provecti, & Jobi verba repetere poteſtis, *ſolum mihi supereſt ſepulchrum.* Clariùs eloqui nequit Tullius: *Adoleſcentes mihi mori ſic* in l. de Senect.

 viden-

videntur, ut aquæ multitudine flammæ vis opprimitur: Senes cutem, ſicut ſuâ ſponte nullâ vi adhibita, conſumptus ignis extinguitur, & quaſi poma ex arboribus, ſi cruda ſunt, vi avelluntur, ſi matura, & cocta, decidunt. Altiſſimus terrâ evellit vi immaturum Juventutis fructum; quòd etiam in immaturitate bonum continet, inſuper ne temporis decurſu pejor evadat, atque deterior: Deinceps quò minùs corrumpatur ante maturitatem. Non ego ſtabo Menandro aſſerenti: *Dilectus DEI in juventute moritur.* At Salomonis mutuabo ſententiam: *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius.* Quoniam autem anima veſtra forſitan haut ornatur hujus probitatis monilibus, Divina Providentia non obſtitit, quin decrepitis adſcriberemini, ut locus emendationi, ac pœnitentiæ foret. Job jam annoſus dicebat: *Ipſe me reprehendi, & ago pœnitentiam in favilla & cinere.* Legunt Septuaginta: *Putabam, me eſſe terram & cinerem*, meditando mortem, ſepulchrique fœtidam corruptionem.

Sap.4.11. c. 42.

9. Nulla ſecuris adeò profundè robuſtum vitii truncum valet reſcindere, quemadmodùm mortis meditatio. Divum Auguſtinum audiamus: *Ipſa pœna vitiorum tranſit in arma virtutum*: (de Adamo & Eva loquitur) *mortui ſunt illi, quia peccaverunt, non peccant iſti, quia moriuntur: factum eſt per illorum culpam, ut veniretur in pœnam; fit per iſtorum pœnam, ut veniatur in culpam. Tantam DEUS fidei præſtitit gratiam, ut mors, quam vitæ conſtat eſſe contrariam, inſtrumentum fieret, per quod tranſiretur ad vitam.* Sceleſti ſunt Senes, vitiorumque mancipia, quoniam ſcelerum contraxerunt habitum. Habitus flumen æmulatur, cujus rapidus curſus haut frænari ſe patitur: hiſque cor Senis immerſum undis, ceu Silaro Lucaniæ amni, evadit in ſaxum, ac lapideſcit. De habitu id affirmari poteſt citra piaculum, quod Albertus Magnus de quodam Germaniæ fonte teſtatum reliquit poſteritati; *Quidquid projicitur, dureſcit in lapidem.* Triplex autem vitium, omnium duriſſimum ſibi Senes conſtituunt peculiare: Primum apud Græcos audit *philautia*, vulgari loquelâ proprius amor, præfervidus plauſuum exactor, ad obſequia vel maximè filiatus: cùm enim ſenectus ſibi venerabilis titulum arrogaverit, præconia ſitit, honoribus inhiat. Hìc ergò noſtro in Fonte Senes Narciſſi voſmet intuemini; deprehendoque veſtræ conditionis miſeriam, perpenditote animam veſtram converſam eſſe in bajulum, cujus miniſterio ad ſepulchrum rapta-

c.53. de Civ. D. c. 4. Pl. l. 2. c. 109.

raptatur fœtidum corpus. Foſſam inſpicite, interque putridam oſſium congeriem, propinquam veſtram corruptionem ob oculos vobis ponite. Quod verò honorum vectigal expectat putridum corpus, qui plauſus illud manent, atque debentur? Congruuntne immundis cineribus obſequia, vermibus cultus? Mementote in Geneſi Deum dixiſſe: *pulvis es, & in pulverem reverteris.* In Eccleſiaſtico verò Spiritus Sanctus ait: *quid ſuperbis terra, & cinis?* Rurſus Rupertus Abbas ſibi veſtras aures vult accommodatas, *verba ſunt ſalvare cupientis, & jam vias hominis averſi ſequentis ſpinis, ut memorem faciat ſuæ conditionis, ut humiliatus corrigi poſſit, & ſalvari.* *Cap.3. 19.* *l. 2. de Vict. ver. c. 15.*

10. Sanctus Senex Rex David ſibi timebat, ne in hoc vitium præcipitaretur, neve lapſus executioni mandaretur, invocabat auxilium brachii divini, credebátque, uti ſubſcriberentur ſupplices libelli, neceſſariam in hoſpiti loci habitationem; *ſi habitavero in extremis maris, illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Quid hoc conſilii eſt, ò regie Vates? nimirum innutritus bellicis pugnis, æquo Marte dimicaturus in arenam avet deſcendere, ne ſitûs commoditas, terræ foret proficua ad triumphandum. Hinc dum terra extollitur ſupra ſuos montes, ille pariter ſua littora (Oceanus videlicet) liquidas planities in mobiles transformat montes; quæ, utut velut Ætna igne non flammeſcant, ſaltem undarum reciprocatione ebulliunt. Hìc infremit, hìc mugit, hìc debacchatur, hìc aggreditur, impellit, tam vires aucturus, quàm ſpumus receſſurus. Quomodo verò rabido impetui, vehementibus aſſultibus, tua, David, obſtabit domus? Si tugurium conſurget, textis perperam arundinibus innixum, nudaque locatum arena, fluctibus obruetur, ſolóque æquatum undarum rapietur tumultibus. Si ſolido conſtruetur marmore, atque ſolidiſſimis lapidibus, eò magis fluctibus arietabitur, impetitúmque vorticibus devorabitur. Quomodo erg. *Si habitavero in extremis maris.* Ah! exclamat Auguſtinus, vobis haud innoteſcit Pſalmographi ſenſus. Mare præſentem denotat vitam; Si igitur cogitatione habitavero in extremis vitæ, ibique domum ædificabo iiſdem lapidibus, queis tumulus conſtat, ac componitur; ibi Numen Omnipotentem ſuam dexteram mihi porriget, támque validè ſtringet, ut non ſinat me irretiri, & illaqueari illi amori proprio, meæ occiduæ ſenectuti contermino. Senes Narciſſi, *volemus quouſque finiatur mare, & illum finem præmeditemur;*

mur; Non amemus mare, ſed volemus in extremum maris.

11. Secundum devolvimur ad vitium, quod ſonat ambitio, uno partu cum philavtia orta. Ex annorum maturitate, ſenes ſibi proprium autumant matura communicare conſilia, exque longo experimento ſibi deberi judicandi prærogativam, atque rependi; conqueruntur-que, quoties dignitatum culmina ſeſe demittere cunctantur, iiſdem ſublimandis. Hujus vitii monſtrum ad profligandum, debellandum, atque deſtruendum, mortis meditatio affatim valet. Eccleſiaſticus altam commendat cupreſſum ob incorruptibilitatem: *quaſi cypreſſus* Cap. 50. *in altitudinem ſe extollens.* Teſtaturque Plinius, carie nec corrumpi, lib. 16. c. 40. neque marceſcere: *cariem, vetuſtatemque non ſentiunt cupreſſus, & cedrus.* Attamen feralis agnoſcitur arbor, infauſtáque planta, mortis imago; *Cupreſſus Diti ſacra, & ideo funebri ſigno ad domos poſita.* Hinc Virgilio arriſit, magnificentiſſimam extincti Polydori funebrem pompam, cupreſſo coronare, nec non honeſtare!

Aen. 3. *Stant manibus aræ*
Cæruleis mœſtæ vittis, atraque cupreſſus.

Eleventur igitur ſenectutis decora, & honores, truncóque ſuffulta meritorum, proprios extollant ramos; ſi tamen ſociam aſſument effigiem, mortíſve ſymbolum, ullos in conſcientia ambitionis vermes generari non dolebunt, quos reſpuit.

12. Quis Abſalone parricidâ arrogantior, magiſque ambitioſus? ſublato parente ad ſceptrum aſpirabat. Coronam capiti conabatur imponere, truncando genitoris caput venerandum. Quid accidit elaboranti in paternæ necis, excidiique machinamentis? ſi frater occumbit victima hujus ambitioſi, contingit, ut accingeretur parricidio. Flagellatis, diſſipatíſque deplorati Juvenis phalangibus, dum fugâ molitur ſuæ vitæ proſpicere, labyrinthicis nemoris involucris irretitur: at illius aurei crines, imo frondoſæ quercûs trunco obvolvuntur; equoque curſum maturante, in aëre ſuſpenſus remanet, ventorum ludibrium. Cæterùm lignis convenit, inter undas ſubire naufragium; modò crinium undæ in ligno naufragæ pereunt. Auratum capillitium capeſtrat arrogantem, ambitioſum caput involvit, ferreas cogitationes nutriendo aſſuetum. Non truncus, aſt infortunium fortunam per crines prehendit, cui nulla ſupererant meritorum ſuffragia.

Abu-

Abulenſis aſtipulari minimè dedignatur: *Poterat capillos amputare, & ſi non habebat gladium, poterat, manibus tenens arborem, illos ſolvere, vel rumpere.* Comas implicatas ſolvere nullo licuiſſet negotio: *Sed nihil horum fecit.* Cauſam adducere in promptu eſt; *Quia Abſalon jam moriturus non attendebat, quid ad liberationem ſuam facere poſſet, ſed ſententiam Domini pavefactus expectabat.* Senes ob oculos mortem ſibi poſitam habent admodum clariùs, atque conclamatus Abſalon; quam ne aſpiciant, aliò convertunt mentis oculos. Nullus dubito, quin mortem cogitantibus Senibus, horroremque Libitinæ, omnis prorſus decederet ambitionis pruritus, nullámque dignitatem appeterent, ac nugari prohiberentur; dum ad inſtar puellaſcentium futilibus occupantur. Cadaveris ſpectaculum Franciſcum Borgiam cohibuiſſe perhibetur, ut ampliſſimas dignitates, in Aula Regia ultro oblatas, repudiaverit; quò Religioni nomen dando, ſubmiſſiſſimæ humilitatis exercitio mancipatus, fieret quoque fulgidiſſimorum empyrei Syderum.. *Quæſt. 12.*

13. Sordidiſſimam avaritiam, tertium conſtituo ſenectutis vitium. Cujus cauſam adduxit Simonides, aviditatis, tenacitatiſque immodicæ inſimulatus; nam ſe redarguenti reſpondit: *Aliis ſe voluptatibus ob ſenectutem orbum, ab una ætatem ſuam foveri quæſtuaria.* Cùm Senibus negatum ſit, per renovamen evadere in Phœnices, fiunt Phœnices, populi aggerandarum opum viſco agglutinati. Hinc Pindarus: *Phœniciam negotiationem dixit.* Eò aviditatis devenit Veſpaſianus, ut illi ſaturando nullatenus ſuffecerint vaſtiſſimi Romani Imperii opulentiæ. Suis habenas laxabat aulicis ad corradendas opes, ut ab illis ſpongiis non minùs aurum, quàm ſanguinem, vitámque exprimeret. Hinc Jure meritiſſimo *vulgò dictus eſt, officiarios ſuos habere pro ſpongiis.* Tanto ſiquidem flagrabat divitiarum amore. *Plut. an. ſent. tract. reſp.*

14. Nunc ergò Senes audite, quum in Phœnices migraveritis. Ad divitem loquitur Ezechiel Propheta, in Capite 27. de opulenta Tyri Urbe ſermonem texens, in Phœnicia ſita, quam exhibet ſub venuſtiſſimæ navis metaphora. Pompa, ars, pretium certant in ornando, digerendo, ditandóque hoc concavum lignum, marinum curſorem, velatámque maris avem: *Abietibus Sanir extruxerunt te. Byſſus, & purpura de inſulis Eliſæ facta ſunt operimentum tuum: Quercus de Baſan dolaverunt in remos tuos. Byſſus varia de Ægypto texta eſt tibi in velum.*

lum. Anchoram verò non memorat Ezechiel. Cur autem omni illius mentione ſuperſedet, quandoquidem perinde, ac temo, neceſſarium inſtrumentum habeatur navigio? Vobis hoc exponam, Senes Narciſſi; Anchora ponto injicitur, quò algæ adhærendo, & arenarum fundo infigendo ſeſe, navis firmetur. Hinc minimè facit, atque quadrat ad ſubjectum metaphoricum lignum: quoniam locuples Senex æmulatur navim, promiſcuis mercibus gravidam, atque refertam; cui & tumida carbaſa ſunt, & ſcalmi veloces, queis celeriter ad tumulum rapitur. Anchorâ caret, quòd & illa, & opes figi non poſſunt. Senex reſolvetur in cinerem, gazæ conſumptæ in nihilum redigentur; *Vanum profectum eſt* (concludit Divus Gregorius) *quia difficile habetur, & citò amittitur: nec ſtare in his floribus ſuis Mundus blandiens cernitur. Repentina fortuna trahitur, aut feſtina, & omnia deturbante morte, concluditur.*

in 1. *Reg. c.* 12.

15. Igitur te alloquitur, Senex Narciſſe, Evangeliſta Lucas: *Stulte, hâc nocte animam tuam repetent à te: quæ præparaſti cujus erunt?* Cùm vitæ horologium jamjam pulſaturum ſit ultimum, dies mox declinabit in noctem, intra cujus umbras auri ſplendores obſcurabantur. Quid tibi proderit, ô miſer? *Quæ paraſti, cujus erunt?* Fuge, fuge ab auri facie in hoc temporis minutulo, quod tibi ſupereſt; maturatóque perpendere, palorem induere, utpote poſſidentium conſcientias contaminans; illudque Gentilis Sapientis rumina, *divitiis ne parce, recordare, quòd mortalis es.*

Cap. 12. 12.

Non licet in inferno divitias habere, &
Pecunias afferre.

16. Recenſitum igitur triplex vitium, triſaucem ſapit Cerberum, atque format, cui in ſuprema ætate, Senes Narciſſi, veſtra devoretur anima. Cui ſopiendo (ne obſit) velut Seneca, cogitationes veſtræ Sibillæ, mortis ſimulachro, copulentur neceſſum eſt; projiciantque ſepulchralibus cineribus compoſitam, *medicatis frugibus offeram.* Ex vitioſis fuiſti Juvenibus; nunc expedit inter probos integróſque numeremini Senes, & in veſtrum quæſtum inflectatis Apoſtoli conſilium, Spiritûs Sancti tubæ: *Deponite vos veterem hominem, qui corrumpitur ſecundùm deſideria erroris.* Serpentis ad inſtar, exuite vetera ſpolia, renovatíque recentes vos oſtendite homines, amplius

Vir. Æn. 6.

ad Eph. 4.

haut

haut ſubjectos corruptioni, ab impiis proficiſcenti deſideriis, ac votis cœcæ ignorantiæ, non erroris pergdi.

17. Ariſtoteles docet, præ ſiccitate in Senibus præponderante, in illis deficere luminum exercitium; pupillarumque pretioſum lumen præmori. Plinius ſic ait: *In Senibus præmoritur viſus.* Ante Senem moritur oculus, ante vitam viſus. De annoſo Iſaaco ſcriptum extat: *Caligaverunt oculi ejus, & videre non poterat.* Sibi impoſuit in diſcriminando ſua pignora, Jacob ratus Eſau. Abſit, ut in ſupremo dierum veſtrorum voſmet ignoretis, opinantes vos Juvenes, & vegetos, cùm ſemivivi, decrepitique titubetis, ac ad omne claudicetis veſtigium. *in Problem. l.6.c.50*

18. Pernicioſus habitus ad mortem uſque geſtatur; ac ſi contingat, vitia, quæ à teneris annis imbibimus animo, quiſque juventutis primordia dehoneſtabantur; Semel in conſuetudinem degenerare, penes Job *cum ipſo in pulvere dormient.* Et eſto, mors crudelis *Cap. 20.* falcem rotet immitem, animam inter ac corpus divortium adornatura, attamen decreſcenti Seni tenacioribus vinculis adhærebunt, & committentur. Alexander proinde animadvertit, occiduum Senem, quem ab ineunte ætate lactaverat vanitas, in illa mortuâ ætate viva nutrire ſcelerum deliramenta. Nugamentis adoptatus, coram ſpeculi ſedebat conſiliis, aureo colore capillorum nivem tingebat. Tunc ſuccenſendo Macedo abſtinere nequivit, ac Senis inſaniam acerbo joco perſtringere, carperéque, *non capillos, ſed genas tinge*, eructando. Quid ergo de laſcivia dicendum, cùm ſub crinium nive temerè concupiſcentiæ flamma ſervetur, & obſtinatè æſtuet cupiditas? dedecet, evaneſcente viridi ætate, juveniles affectus durare, & in cano pectore incentiva Veneris ebullire, nec libidinis ardorem frigeſcere? Quæ obſcœna non perpetrârunt Senes honeſtiſſimæ Suſannæ aggreſſores, quid non tentaverunt? an Divus Ambroſius non animadvertit, juſti Loth lares nedum Juvenibus, ſed etiam decrepitis Senibus fuiſſe circumdatos: Sonat Geneſeos periocha: *Viri Civitatis vallaverunt domum à puero ad Senem, omnis populus ſimul.* Progreditur Archiepiſcopus Mediolanenſis: *Qui poſſibilitatem perpetrandi criminis non habuit, habuit effectum. Effœtæ vires Senum, ſed mens plena libidinis.* Ergò ocyus: *Deponite veterem hominem, qui corrumpitur ſecundùm deſideria erroris.* Ad vos horrendas cœli minas defert *Max. ſer. 41.* *Cap. 19.* *In Gen. 19.*

Mellifluus, dum ſuo melle etiam acutum apis aculeum vobis demonſtrat: *Væ illi, qui tunc habet terminum luxuriæ, quando & vitæ.* *l. de or. vit.*

Pſ. 36. 19. Dubio procul ex mortis meditatione præſentiſſimum vobis remedium conciliabitis. Nil haut caducum eſt; Homine verò fragilius nihil: *Veruntamen univerſa vanitas omnis homo vivens.* Textus Græcus legit juxta Titelmannum: *Veruntamen univerſa vanitas, præcipuè omnis homo vivens.* Supra cæteros autem homines, ærumnoſus occurrit annoſus. Tæda pervenit ad fundum; extinguatur oportet: Imò dum vivunt Senes, haut vivunt, ſed moriuntur. Incedebat lentè decrepitus Alexius, quem in itinere claudicantem amicus interpellans ait: *Quid agis?* Cui ille: *Paulatim morior.*

PONTIFICES *AD* FONTEM.

CAPUT III.

FRequenter inter ſua myſteria natura ludere gaudet ſuíſque luſibus profunda celando arcana, intérque myſteriorum involucra inacceſſas humano captui doctrinas, docet taciturna, admonet obmuteſcens, in omne ſoporis argumentum compoſita. Nonnunquam propriis partubus prata, colléſque depingens, in amœnitatis inſolentis ſpecimen, inter innumerum florum numerum, unum oſtendit, dempto odore, ex æquo cæterùm lilio ſimillimum: quaſi dedignetur ulli ſpirare, animamque inediâ exhalare fragrantiâ, immortalitatis adeò tenacem ſe probat. Hoc autem eſt, teſte Plinio, *naturæ velluti rudimentum lilia facere condiſcentis.* Hocce ſylveſtre lilium, naturæ fuit delineatio, cujus opere inſtruebatur ad germani, odorique lilii firmamentum. Illi lilio Flora indulſit, in ſinu ſceptrum geſtaret, in florum plebem candidatus Monarcha ut coleretur, halarétque ſuaviſſimè, cujus folia linguæ figuram æmulantur, quoniam ab omnibus linguis ſibi præconia conatur extorquere, atque colligere. In hoc autem naturæ ludentis opificio, veſtri myſteria Imperii, ô Ponti- *l. 21. c. 5.*

tifices, luculenter agnoſco, depromere licet. Mentis acies obtunditur, ac quodammodo implicatur ambagibus, dum expendit, quâ de cauſâ ex æterno decreto fluminum univerſitas, ad adorandum Tyberim compellatur, ac excelſium maximè montium apices, vice profundæ baſis, Capitolii gloriæ ad inſerviendum adigantur. Romanis non victoriæ, ſed victoriarum materies defuit; cumque nullum amplius Regum, Tyrannorúmve ſibi catenandum intelligerent, tandem auro gemmas catenare gaudebant. Aſt, non animadvertitis, effatur Divus Auguſtinus, hoc Divinæ Providentiæ ſapere abſolutiſſimum ordinem, conſummatámque diſpoſitionem? Placebat Altiſſimo, Romanorum Pontificum Imperium ſubjugaret univerſum Orbem; tuncque auſpicatus eſt mundum aſſuefacere Romæ legibus, quoniam unam cùm amiſerit coronam, in una Tiara trinas acquiſivit. Decrevit, ut diademata, quæ ſcintillando ob Solis receſſum, noctem haut agnoſcunt, ſuis Vicariis in ſublime mutarentur ſcabellum: atque triumphales Romanorum currus captivis trahebantur Monarchis, ne mortalium oculi tam magnificis aſſueti ſpectaculis, impoſterum obſtupeſcerent, ipſiſſimum Capitolium cedere Vaticano, nec non ejus adoratione teneri. Hìc agnoſce, ô Pontifex, quàm tua emineat potentia, in tanta tamen magnitudinis amplitudine, ne ampulletis, néve, utpote Adæ filius, humanam audeas cervicem excutere. Sat ſupérque patet, adeò vaſtam Monarchiam à Chriſto Petro fuiſſe creditam. Petre, (dixit ille) in Urbe Orbis Regina tuam locabis Sedem. Euphrates cum Gange tuis nutibus auſcultabit, utroque fidiſſimos Rhodanum, atque Rhenum æmulante. Miro prorſus opere tuæ naviculæ integros impones populos, fretumque ad vaſtiſſimas trajicies Nationes, retibus & Sceptra, & Coronas piſcaberis. Unius, ac alterius clavis potentiâ, Omnipotenti gemini mundi potentiâ decoraberis. Scias attamen, quòd *tu es Petrus.* Ingerit Petri memoriam, obſervat Chryſoſtom. *ne per inſolentiam muneris, propriæ fragilitatis oblitus ſuperbiat.* At Petre, Petre, tantô donatus Dominiô, inter tot adorationes ac obſequia, non tamen deſinis eſſe pulvis animatus, homóque mortuus, quam mortalis, quoniam Divino planè munere fungenti, mortis tributum ſolvendum remanet; & ut mortali, à graviſſimarum curarum pondere reſpirare vix licet.

2. Inſpicite ſpeculum, ſpeculum conſulite, ô ſapientes Narciſſi.

Primi Vicarii Succeſſores vos deprehendetis. In veſtri ſublimi gradu agnoſcetis penes Petrum Bleſenſem : *Primatum Abel, Patriarchatum Abrahæ, gubernationem Noë, ordinem Melchiſedech, dignitatem Aaron, auctoritatem Moyſis, virtutem Samuelis, potentiam Petri, unctionem Chriſti.* Pontificatûs equidem ſedetis in culmine, ſed hominibus adſcriptos vos ſcio; quorum anni, ut cæterorum mortalium, poſt evolutas periodos, elapſi finem habent. Veſtræ quoque vitæ meta præfigitur mors.

In cap. 1. Job.

3. Juvat adducere Ruperti conſiderationem circa textum Geneſeos: *Dixit etiam DEUS, producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile ſuper terram ſub firmamento cœli.* Vix benè percepit Numinis imperium mare furibundum, cùm illicò obtemperans, piſces, & aves produxit: hinc propediem illi ſquamis, ſi pennis ſeſe veſtiverunt, & armaverunt: primis ſilentium impoſitum fuit, ſecundi linguam ſolverunt in cantum: Illi profundas ſe præcipitârunt in abyſſos, his in aëris ſublime ſe extollentibus; elabuntur illi, volant iſti. Hæc omnia ad amuſſim perpendens Rupertus, cogitationéque avium inſiſtens volatui: *Quæri nunc poteſt,* (effatur) *cur cùm omnia volatilia aquæ produxerint, non etiam ſub aquis natalibus vivere poſſint.* Cur incolunt aëris regiones, natales abhorrendo ſedes? Utut autem halcyon, in littoribus fœtus ſuos editura, niduletur, attamen præſtolatur, donec molliſſimum mare nullatenus inſurgat, nullusque vehemens fluctus arenis illidatur, ſed procellæ, flatuſque aurarum quieſcant: *Cur ergo natura illis, quaſi à materno utero tam diverſa ſuccedit?* Unde oritur inimicitia adverſus undas? en genuinum reſponſum: Præcepit natura avibus, utpote excellentioribus, ac dotatiſſimâ formâ præfulgidis, diuturnior vita contingeret, quàm piſcibus: Juſſitque, longius recederent ab algoſo fundo, ubi natales ſortitæ ſunt; evaderent ſylvarum habitatores, nidóſque in montium ſuperciliis collocarent: *Quia illic vitam retinere non poſſunt, unde etiam ſumpſerunt.*

l. 1. in Gen. c. 50.

4. Intellexiſtis, ô Summi Pontifices! ut volucres prorogent vivacitatem ſuam, opus eſt, removeantur ab aqua, quæ incunabula præſtitit, quandoquidem prolixâ connexorum ſæculorum catenâ ibi vitæ uſura impetrari nequeat. Cùm igitur vitam in terris auſpicati ſitis, nec detur è terra diſcedere; quî prolixiùs vivere non dubitatis? morando ubi primam lucem aſpexiſtis: *Non renovabitur ut*

Aqui-

Aquilæ juventus veſtra. Quouſque non migrabitis, haut cum Job ullus veſtrûm repetere poterit: *In nidulo meo moriar, & ſicut Phœnix multiplicabo dies.* Sortem, haut naturam mutâſtis, locum, non habitationem. In editiſſimo Vaticani vertice ſubſiſtitis, haut perennè manſuri, quoniam ſi demittatis oculos ad pedes, Vaticanum terrâ circumvallari offendetis. De terrâ vos nullatenus elevat Pontificia pompa; dumque vos in terra detinetis, neceſſum eſt, dies veſtri breviſſimi ſint. Ætas veſtra flores æmulatur, quos in Adonidis hortis vernare didicimus, tam citò mortuos, quàm natos. Vix Vaticani Solium aſcendiſtis, cùm in vobis crudelis Clotho vitæ ſtamina truncare exultat. Proindè in ipſo curſûs æſtu ſufflaminatis Parca non parcit, quos veſtigium molientes deturbat, inhibétque, quò minùs electè digerantur, phoſphorus, heſperuſque confundit, haut temerè modulante Lyrico:

Æquâ lege neceſſitas Hor. l. 3.
Sortitur altos, & imos.

5. Juxta David fugæ aſſimilatur vita: *DEUS, vitam meam annunciavi tibi.* Pſal. 55.
Hebræus legit: *DEUS, fugam meam annunciavi tibi.* Noſtra vita, quoniam in terra undique ſe obſeſſam, anguſtatamque cognoſcit, atque fatetur, in fugam effunditur, ne præda deveniat: Et eò magis ſibi perniciosum experitur hunc incolatum, quò ſolertiùs expendit, Enoch cum Elia, ut evaderet in longævum, ereptum fuiſſe noſtræ terræ, ſegregatóque terreſtri Paradiſo locatum. Ah! Pontifices! ævum degetis in terra; mortalibus, caducisque ſpoliis involuti, ſupra cæterorum hominum promiſcuum gregem, vos momentaneos morti ſiſtitis.

6. Prima hujus veritatis ratio atque fundamentum accedat Imperii veſtri magnitudo; quæ longè omnium oculatiſſimam ſibi poſcit cogitationum vigilantiam, qua ſarcina & opprimamini, & afflictam, captivámque catenent veſtram libertatem, anxietatum perpetuæ catenæ, unde penè deſtructis, ægrè reſpirare liceat. Cùm Michaëli Angelo Evonaroti fuit nunciatum, Pontif. Paulum IV. illius penicilli miniſterio meditari reformationem ſacelli, ubi celebris pictura Judicii univerſalis ſervatur, quoniam illæ nudæ figuræ vix aliquod honeſtatis veſtigium ſpirabant: Reſpondit ille, remotâ quâcunque

 hæſi-

hæſitatione; hoc nullo ferme negotio impetrari poteſt: Orbem ille componat, picturis facilè temperamentum conciliari comperimus. Haut anguſtâ Sphæra circumſcribitur mens Pontificum, ſi peniſſimè proprio muneri deeſſe reluctentur; id, quod mihi demonſtraturo, ſpiſſiſſimas nubes, queîs Pontificum cogitationes involutæ funeſtantur, eliminata tranquillæ ſerenitatis jucunditate, ob mordaciumque curarum aculeos, erit argumento. Titii veluti vulturibus, regnantium corda cogitationibus lancinantur identidem: Neque S. Zeno, Veronenſis Epiſcopus, oſtendere negligit doloris acerbitatem, magnitudinemque, in Juvene Patriarcha Pharaônis locum tenente: Quippe *Joſeph in carcere patiens invenitur, in Regno patientior.* Paradoxum expendamus; Illius carceris obſitus cimmeriis calamitoſus, omnibus derelinquitur, humanóque viduatus ſolatio, inter Urbis frequentiam atque commercia, velut in inhoſpitæ eremi ſolitudine ſquallet; nec aliquis opportunæ pietatis radius, mancipato tenebris affulget, ac illuceſcit. Laceris veſtibus nudus apparet, velut homo in innocentiæ ſtatu, dum innoxiè noxius creditur. Lymphantis ad inſtar furiæ, latrat in ſtomacho famis tyrannis, imíſque ſerpit viſceribus, dum catenam tractibus pedes ſtringuntur. Nuda cubat humo, humanoque denudatus auxilio, navem æmulatur depugnatam turbinibus, quaſſatamque decumanis, nec adulantibus zephyris, hærentem arenis. Immortale DEUS! Joſephe, tam duris arietantibus, ſciſne, Marpeſiam ſtare cautem? *In carcere patiens invenitur.* Novercantis fortunæ barbaram crudelitatem, adamantino tolerantiæ pectore ſuſtinet, ac detonantis fulminibus ſortis objecto patientiæ clypeo retundit aſſultus, utróque viriles promovet greſſus advolantibus preſſurarum agminibus. Modò poſttergata aſperrimorum narratione, mitioris ſortis in ſcenam prodeat, Ægypti Pro-Rex, Regíſque familiariſſimus, illíque chariſſimus, lepidâ planè cataſtrophe. Palatium incolit quàm templum magnificentius, nobilius delubris. Horti amœnitate perblandâ recreatur, in quo, æſtum amicis temperantibus auris, umbroſas inter plantatarum ſylvarum opacitates, hilareſcit: dum in palatio contextorum in magnificentiſſimis periſtromatibus nemorum calore gaudet, ſuis pedibus advolutam nanciſcitur fratrum coronam, olim eorundem invidiâ ciſternæ conditus anguſtiis. Quæ veſtis ad Jacob conſperſa ſanguine, madidâque cruore

Ser. de pat.

ore agnoſcebatur delata, purpureum in paludamentum migravit. Enſe gemmato lateri accincto, ſonipedis dorſum calcare lætatur. Ad nutum gravidat, evacuatque æraria; populis moderatur, leges Provinciis ſancit, Rex haut nomine, ſed auctoritate. Attamen *in carcere patiens invenitur*, *in Regno patientior*. Tolerantiorem itaque ſe probat in fortunæ arridentis amplitudine, quàm in ergaſtulo, erudiendæ mortalitati, ſæculi dignitatibus accumbere duriore. Probè Joſepho innoteſcebat, niſi Proteo, in fortunæ mari naufragium declinare non licere; inque Regiarum theatro, certantibus invidiâ, nec non vaframentis, ſudandum eſſe, ubi quiſquis improbitatem propriam novit adumbrare atque fucare, probo rivali palmam præripit. Non neſciebat mundo, ut Agrippæ noctuæ, inſitum eſſe, fauſtitatem pronunciare, deinde mortem. Nunc plebejæ murmurationes illius facta carpebant, nunc Aulicorum oblocutiones famam denigrabant, labémque aſpergebant: exiguam poſt intercapedinem denudabant infidelis amici machinamenta, calumnias calumniis calumniari, & ingenuæ maximè operoſitatis candorem, ſiniſtris rumoribus decolorari. Inſomnes noctes tranquillitatis otium ſubmovebant; cura præcavendarum calamitatum angebat, crebræque legationes, de exitûs felicitate ſuſpenſum torquebant: adeò, ut deliciarum dulcedinem ſiniſtrorum eventuum formido corrumperet, & occuparet. Ergo *in Regno patientior*. Cùm Anglia è noſtro mundo dirempta, pariter avulſit ſe à Romanâ Eccleſiâ Clemens Septimus, qui rerum potiebatur, quantus quantus horrendo naufragio ſuæ perfidiæ eam ſubtrahere conabatur. Poſtquam invigilâſſet, quî æternùm perditam, deploratamque revocaret, eriperetque diſcriminibus, Gallicum Legatum amariſſimis hiſce threnis allocutus dicitur; Anglia, dum à nobis recedit, ac noſtrarum partium ſtudio valedicit, mea viſcera diſcerpit in partes, mihíque vitæ decennium furatur.

7. Secundam veſtræ momentaneæ vitæ rationem, natura mihi ſuppeditat. In noſtro Fonte vos rurſum ſpectate, ſapientes Narciſſi; Vobis illico occurret armata rigoribus ætatis hyems, unde venerandum Caput candidiſſimâ vobis vice conſperſit. Caveatis oportet, ne credatis auroræ claritatem, capillorum candorem; nam in occaſum declinantibus haut illa exoritur. Neque candicantia colatis liguſtra,

ſtra, quêis vobis tempora redimatis; quoniam ad vos converſus Poëta ſic effatur:

Alba liguſtra cadunt. Eclog. 2.

Propè vitæ occaſum Pontifices creati eſtis; Senectâ jam laboratis: Igitur *quomodo poteſt homo renaſci, cùm ſit Senex*? Cardanus de animale (cui ephemeron) tradidit; *Mane puer, meridie Juvenis, Senex veſpere, occidente Sole commoritur: ita ut multò plus laboris, ac temporis ad generationem, quàm ad uſum vitæ natura impendiſſe videatur.* Naſcitur apud Hypanim fluvium, qui influit in Boſphorum, eodem quo naſcitur die interiens: cumque bis geminis alis, totidemque pedibus inſtructum agnoſcamus, paribus & alis, & pedibus ad mortem volat, & currit. Pueritia evanuit, velut aurora multiplici depicta colore, tandem decolorata vileſcit. Sicca; Narciſſi floris inſtar, obviat juventus. Jam ſenectutis ſarcinam ſentitis, *Senex veſpere*: Quid igitur ſupereſt? *occidente Sole commoritur.* Refloreſcere negatur; ſin renaſci placet, Tertullianus modum vobis exhibet; *forma moriendi, cauſa naſcendi eſt.* Cogitando de propinquo obitu, de morte appropinquante, amplectendo vitæ frugi normam, ſapit perfectum renaſci.

l. 9. de animal.

de car. Chr. c. 6.

8. Tandem erumpit in medium altera Pallas armata, tertia ratio, quæ fronti geſtat inſcriptum irrevocabile Divinæ Providentiæ decretum, unde ætas veſtra ultra momentum haut extendatur. Pontifex Honorius Divum Petrum Damianum interrogavit, cur breviſſima contingeret vitæ uſura, quam in Pontificibus paſſim deploramus? Cui Divus reſpondit: Eſſe Divinæ Providentiæ fatalem diſpoſitionem, quò vehementius horridus mortis pavor excitet filios Adæ, indéque alacriùs quilibet mortalium, hujus ſæculi fallacibus valedicat illecebris, atque magnitudini; quæ magis timorem incutiant repentinæ amiſſionis, quàm extorqueant ſolatia. Decrevit DEUS, ut humanæ generationis arbor, ad marceſcens maximè ſublime virgultum, pariter gelido quaſſata metu, ſuis in ramis contremiſceret, deponerétque ſpem vitæ ad aſpectum viroris decoloris in marcidis frondibus, nec non ſeſe diſponeret ad piè obeundum, intra tam reſtrictum temporis ſpatium. Nec juvat aſſerere, Reges ævum prolixiùs extendere, ceu vel uſque ad Parcas ſceptri pertingat dominium: quoniam

niam Divina Providentia, ex horum interitu non eruit adeò frequentes profectus, ac fructus, ut in illorum exceſſu mirabiliter exigit. Num defuncti Regis Aſiæ rumor in Africam penetrat? Æthiopia nullo tenetur mœrore defunctorum Galliæ, Hiſpaniæque Regum. Denaſcentis verò Pontificis Orbi toto ingens eſt dolor, undique diffuſa fama ſeminatur, quoniam nihil non haurit profectum, fructumque decerpit. Mihi patet, David ad Imperii clavum ſediſſe quatuor annorum decadibus; Octavianum Auguſtum annum ſupra undecim luſtra; verùm enim verò cum ſexcentis hujuſmodi farinæ Senes hinc emigrârunt, annorum pondere penitus oppreſſi. Ex Pontificum verò numero, *nemo videbit dies Petri*; quoniam vix attigerunt vigeſimum quintum Regiminis annum, ex arcano Numinis decreto; niſi quòd eluceſcat, hoc pacto tam populis, quàm nationibus, plurimum utilitatis afferri, gignique.

9. Aaron, aſtantium coronâ ſtipatus, in montis Hor cacumine *Deut.34* animam exhalâſſe perhibetur; *Tolle Aaron & filium ejus cum eo, & duces eos in montem Hor.* Quomodo Moyſes ſupremæ neceſſitati fuerit ſatis, Sacer Textus abundè luculenterque declarat: *Aſcendit ergò Moyſes de campeſtribus Moab ſuper montem Nebo, in verticem Phaſga contra Jericho &c. mortuúſque eſt ibi Moyſes ſervus Domini.* Solus diſcedit Moyſes, ſine ſocio contendit ad verticem montis, lumina Soli clauſurus, aperienda nunquam. Hunc comitari non dabatur Joſue, tametſi ejus indivulſum amicum ſe ubique probaverit, & ſequutus fuerit ut umbra, deſtinareturque illius Succeſſor. E regione ad expirantis Aaronis thalamum Succeſſor apparuit, ſpectatores ac teſtes aderant. Diſcrimen oppidò injuſtum. Nonne Moyſes, velut Deus, elementis imperabat, fatumque regebat? Nonne umbrâ virgæ dominabatur populis, tantíſque decorus prodigiis & inter Ægypti caliginem, & inter Sinæ ſplendores irradiat? attamen Moyſes abſque pompâ moritur, cujus ſuſpiria una duntaxat echo repetit, quæ cùm dimidiata reddat, ſingultire videtur. Hæc omnia Divus Petrus Damianus expendens ad trutinam, exclamat: *Cùm mors cujuslibet Regis non magnopere ſit terrori, quoniam ſæculares Principes, qui turbis popularibus præſunt, ſæpè gladiis perimuntur. Sæculares ergò Principes, quia diverſæ mortis caſibus exponuntur, cor audientium, eorum exitu non atteritur. Papæ verò vita, quia ſolâ naturalis obitus lege* *l.1.ep.17.*

concluditur, ejus ex hac vita tranſitus, ſine orandi formidine non auditur. Moyſes colebatur populi Princeps politicus; Aaron Summi Sacerdotis munere fungebatur. Pontificum autem interitus ad movendum efficacior eſt. Hinc vult Altiſſimus, innoteſcat, propaleturque. Roborabit hoc idem illud Joſue factum, qui Civitates involuntariis deſignavit homicidiis, ſic effando: *Et habitabit in Civitate illa, donec ſtet ante judicium, cauſam reddens facti ſui, & moriatur Sacerdos magnus, qui fuerit illo tempore.* Cur autem reus poſt Summi Sacerdotis obitum, in libertatem aſſeretur? Verè vitalia præcepta Joſue Strategus anhelabat perfidi ſanguinarii emendationem; tutam avebat correctionem: nec in ſuſpenſo fuit, quin percepto hujuſcemodi funere, ſceleſtus ad bonam frugem rediret, ac egrederetur converſus ad meliorem vitam.

10. Igitur in Fonte, mitrâ decori Narciſſi, breviſſimum veſtræ vitæ ſpatium, mortemque propinquam agnoſcitote. Apoſtolus Joannes, qui beatæ navis, cujus malo vos moderamini, extitit nauta, ac admodum verſatus effulſit in Eccleſiaſtica navigatione, exclamat;
21. 18. *Filioli, noviſſima hora eſt.* Non dixit, *erit*, ſed, *eſt*: præſens adeſt.
lib. 34. *Mor. in Job. c.* 1. Divus Gregorius, Conſors veſter, vobis teſtatum reliquit: *Ætas noſtra dum diſtenditur, ut ſubſiſtat, moriendi vice, quotidiè deficit per momenta vivendi.* Nunc ergo quis profectus ex hoc conflictu, ex hac mortis cogitatione qualis utilitas? Exponite, veſtram promite ſententiam, ô Pontifices? præſenti malo nil potentius ad ſtimulandum animum, ut amplectetur magnanima generoſaque. Cato Senex, inducturus Romanæ Reipublicæ Senatum, ad ineundum tertium bellum Punicum, ficum protulit in medio venerandi Conſeſſûs; quem cum Senes Patres fructum agnoſcerent recèns decerptum, Cato eru-
Fulgoſius l. 8. *c.* 10. ctavit: *Nondum tertium exceſſiſſe diem, cùm in arbore Carthagine penderet: & tridui via propinquos Populum Romanum adeò infenſos habere hoſtes.* Igitur triduo à nobis inimicus diſtat? ergo Africæ arietes Romæ mœnibus propinqui noſcuntur? Igitur nullatenus reluctabimur, coram noſtris oculis fulgaret Libycorum enſium jubar? ad arma, ad arma, ad conflictum, ad ſtrages, ad internecionem, ad excidium! ſicque bellum decretum fuit. Hæc omnia ſatius inſtituerentur, quoties crebra mortis cogitatio ſubiret animum, mentemque pulſaret memoria.

11. Nul-

11. Nullus dubito, quin Pontifices aut muneri renuntiarent, & abdicarent ſe tiarâ, recederentve cogitationibus à mundo, mundum gubernaturi, quoties ſuorum annorum fugam, aut vicinam mortem meditarentur. Quò properas, cur gradum ſiſtere repugnas, ô Pontifex Cœleſtine? ad antra præceps contendis, ſaxetanus evaſurus, inhoſpitæ hoſpitalitati recipiendus? ad muta volas ſpelæa, quæ nullâ ſalutationis urbanitate condita obviabunt pernici? rectè, rectè; præſtat horrores præ populari frequentiâ appetas, & ſolitudinis auſteræ deliciæ magis arrideant. At comitem te jungito, Ambitio; beatiſque veſtigiis inſiſtens, in Majellæ ſpecu, rubore ſuffuſa confundere: dum herbæ ſylveſtribus miſtæ radicibus, opipara miniſtrant obſonia, pareſque ſuppeditant dapes. Denuo mirari non deſines, nudos artus, corpuſque iteratâ urticarum volutatione cruentum, acutiſſimis inſiſtere ſpinis; purpuram atque tiaram cum monaſtico diſſutoque mutatam cucullo. Inde Aulam repetens nuncia, Cœleſtinum, dum cœli depoſuit onus, ſibi ſuffultum, monuiſſe. Atlantem fieri; relictis Petri clavibus, ſibi portas empyrei reſerâſſe; ſupernorum civium neceſſitudine fuiſſe recreatum inter horridi montis ſolitudinem: Cui Jure merito aptandum veniat, quod Paulæ Romanæ doctiſſimus Hieronymi calamus tribuere minimè dubitavit: *Fugiendo gloriam, gloriam merebatur.* Aut concinnè illud Chryſoſtomi de fugitivo Jacob, in illum inflecti poterit: *fugiebat adhærens DEO.* Quì verò appropinquabat? cranium manu tenens, integrâ die mortis meditatione abſorptus, adhærebat cœleſtibus. Liqueſcens in lachrymas, non tam os illud, quàm propriam abluebat conſcientiam. In hoc Fonte ſe mortalem rimatus, poſttergato Pontificatu, ad immortalitatem graſſabatur. Maluit humilis, quàm cothurnatus videri. O factum memorabile! ô digna tanto pectore abdicatio, quæ mercedem expectet centuplicem! Tantum in Cœleſtino meditatio mortis præſtitit: quam dum frequentiùs ſibi ob mentis oculos ponit, evadit in Phœnicem, nedum quòd ex expoſitis cineribus immortalis emerſerit, verum etiam quia unicus agnoſcitur in ſingulare facto.

12. Si quis autem tiaram deponere dedignatur, ſaltem animo mundanis ſubtracto, mundi ſe accingat regimini. In vos quadrat Bernardi hortamentum ad Eugenium Papam: *In omnibus operibus* Ep. 237.

tuis memento, te eſſe hominem, & timor ejus, qui aufert Spiritum Principem, ſemper ſit ante oculos tuos. Deinde ſubnectit: *Quantorum in brevi Romanorum Pontificum mortes tuis oculis aſpexiſti? Ipſi te Prædeceſſores tui, tuæ certiſſimæ deceſſionis admoneant, & modicum tempus dominationes eorum paucitatem dierum tuorum nunciet tibi.* Tandem concludit: *Jugi proinde meditatione inter hujus præſentis gloriæ blandimenta memorare noviſſima tua, quia quibus ſucceſſiſti in Sede, ipſos ſine dubio ſequeris ad mortem.*

13. Urbanus VIII. & ipſe in fata conceſſit; famigeratiſſimus ille Pontifex tandem exanimis jacet, cui nunquam mors contingere debuiſſet, in Orbis beneficium. Proximus annis Petri, Triregno capiti impoſito, laurearum coronarum acervo, quas in Parnaſſo collegerat, ſubjecto pedibus occubuit Libitinæ victima, mortis præda. Fulſit gloriæ, literaturæ, æquitatiſque decoribus inſignitus. Quòd illum falx mortis demeſſuit, vos pariter ſors eadem manet, nec impar exitus. Nonne vox tumuli erumpens profundo, veſtris obſtrepit auribus?
Eccl.23. 38. *Memor eſto judicii mei, ſic erit & tuum: mihi heri, tibi hodiè.* Quid autem de hac opportunâ contemplatione ſentiendum? an quod de combuſtâ lauro, memoriæ prodidêre Virgilius atque Theocritus? ardet laurus, ac poſt incendium vix tantillum cineris ſupereſt. Hinc pronunciavit Julius Cæſar Scaliger, dici propemodum poſſe: *Quin oculos, mentemque fugit cinis.* Sepulchra contemplatur homo, oculiſque luſtrare non gravatur; Illi autem frigidi cineres ſeſe ſubtrahunt oculis, ac ſpectantium cogitationes eludunt. Verſipellis, pellaciſque ſæculi vanitates ex diametro adhærent animis, ſemperque quid improbitatis ſuis affricant aſſeclis: quod fidei non eſſe abſonum, fatentur Sapientes.

14. Deplorata filiorum Adæ conditio! *Tempus breve eſt*, exclamat Apoſtolus, *reliquum eſt, ut qui emunt, tanquam non poſſidentes, & qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur; Præterit enim figura hujus mundi*: videlicet, declarat Angelicus, *non apponendo cor rebus perituris, non adhærendo ei nimiâ delectatione.* Non me fugit, Statum Pontificium ſummam decere magnitudinem; quippe quoties in ornato templo Deitas quædam adoratur, in cultoribus gliſcit obſequium cum zelo. Hinc tamen, *qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur.* In tumulo defigantur cogitationes; niſi mortis contemplatio vos ſolicitat

licitat ad vos ſubtrahendos huic magnitudini quoad corpus; ſaltem efficiet, uti ab illâ animo avertamini, quod ſufficere affirmo. Sancto Bernardo Senenſi familiare fuit aſſertum, ſe paratum exiſtere ad reſpuendas vel excelſiſſimas dignitates, ideóque etiam Pontificatûs culmen: Quem attamen haut repudiaret, copulatum antiqui Romani Imperii potentiæ, cùm apprimè florebat; quatenus tali pacto promptiores habuiſſet populos, in explendis ſuis imperiis, nec non ad cumulatiorem Numinis gloriam, prolixiùs adoratus fuiſſet. Huic autem paululum expedit immorari.

15. Chriſtus detinebatur in arenoſo littore, & inſenſatum mare proprium agnoſcens Creatorem, ſpumantium undarum labiis illius pedes oſculabatur. Innotuit Joanni, converſuſque ad ſocios prorupit, *Dominus eſt.* Tunc è veſtigio Petrus, amoris æſtu ſuccenſus, *tunicâ ſuccinxit ſe (erat enim nudus) & miſit ſe in mare.* Hìc obſtupeſcit Chryſologus: *Mirum Fratres, & vere mirum, quia qui in navi nudatus, in mare ſe demergit indutus.* Enucleat hos cryphos Divus Bernardus, aſſerendo, quòd fuerit *ſignum ſingularis Pontificii Petri; Mare enim ſæculum eſt.* Pontifex tam eſt Rex, quàm Papa. Quoad ſuum Regnum, quod ob inſtabilitatem aſſimilatur mari, fluctibus agitato, ſuâ ſe magnitudine induit. Dein in Eccleſiæ navi, ut Papa nudatur, quatenus congruit, vivat animo opibus denudato, queîs undique circumdatur. Quam ob rem Sanctus Sylveſter conceſſum à Conſtantino Imperatore Regnum haut recuſavit, quod in Vaticano ſedenti noverat opportunum. His tamen non obſtantibus, inter ſublimitatem compoſitarum ex humilitate pomparum, fulgoremque coacervati auri minimè caligavit, ne à Sanctimoniæ rectâ exorbitaret. Memorat Sanctus Vincentius Ferrerius, Angelum Eremitæ pro certo expoſuiſſe, qui prolixâ annorum catenâ immitiùs in proprium corpus animadverterat tribulis atque ſentibus; indulgenſque abſtinentiæ tantum cibi ſumebat, ut ſibi latius jejunandi ſpatium conciliaret: In cœlorum ſublimibus, nullatenus præferendum eſſe gloriæ Divi Gregorii Papæ: quoniam ille lacerum ſuum cucullum, quàm memoratus Pontifex ſua Regna, pluris faciebat. Illi ſiquidem ingens erat pretium ſui operimenti, hic ad æquitatis menſuram Pontificatum æſtimabat. Mundus igitur animo à mundo regatur avulſo.

l. 2. de Conſ. ad Eug.

16. Non autem auſteritatem ſic amplector, ut, omnibus vos ſpoliando, ex aſſe ſteriles efficiam mediâ in Roma, magnitudinis, deliciarum, pomparumque fœcundâ matre. Uti cum moderamine quis ſæculi commodis, faſtuque fruatur, ſibi tribuat, quod Chriſtus Apoſtolis dixiſſe dicitur: *Jactate retia veſtra in capturam.* Quippe vaſto rete uno jactu plurimi piſces captivantur. Hinc Pontifici prorſus inſuſurrarem, quod uni Petro Chriſtum propoſuiſſe conſtat: *Vade ad mare, & mitte hamum.* En piſcator in ſcopulo arundinem manu geſtans; quòd cùm Syrinx Nympha (ut fabulantur Poëtæ) DEI Panos vim effugitura, paluſtres in calamos, Deorum miſeratione, mutata ſit, neve illius flecteretur lamentis, threníſque emolliretur, migraverit in arundinem: Hic calamus ad mutos piſcium conqueſtus captioſè demittitur. Parcæ filum eſt, quod à ſummitate pendet, ac forcipis ferrum abivit in hamum. Chalybem, ô piſces, non devoretis; cùm enim ex ſtruthionibus haut ſitis, indigeſti moriemini. Ad eſcam curritis ignari, bolum eſſe lethalem, mortem quæſitam, acceptum periculum, cupiditatis ſupplicium, aviditatis flagellum, futurumque, ut, qui vixiſtis in aquâ, in igne moriamini. Linguæ expertes eſtis; ſed hamus, cujus acumen linguæ figuram æmulatur, ac præ ſe fert, ori veſtro ferream imponit, ut annunciet veſtra infortunia, ut veſtra reſonent lamenta. En adumbratas fraudulenti ſæculi fugaces voluptates! ô Pontifices! Hinc attendatis oportet, hamo ſimul & ſemel unum alterumque piſcem duntaxat captari, ad innuendum parcitatem, moderationemque, quas vobis ob oculos ponatis, in piſcandis veſtris deliciis, atque magnitudine: *Vade ad mare, & mitte hamum.*

17. Alexander Septimus, germana probæ vitæ norma, noſtro ævo executioni mandavit Exodi Præceptum: *Habeat per indumenti circuitum tintinnabula, quæ ſemper ſonare debent. Et hæc tintinnabula in extremo veſtimenti ſunt poſita, ut de extremis temporibus, & fine Mundi nunquam ſileas, ſed ſemper ſones.* Pendeant ad Pontificis pedes tintinnabula, & ad omnem greſſum, ad quodlibet veſtigium recordetur mortis: Dumque ſonant, dicat, ideò moveri pedes, ut tumulo appropinquet. Alexander Septimus, huic conſuetudini propemodum ſe accommodans, prope torum plumbeam arcam ſervire gaudebat, ſuggerendæ mortis memoriæ.

Origen. Hom. 9. in Exo.

18. Ter-

18. Terque, quaterque felices illi Pontifices, queîs volupe ſit, plumbeam arcam frequentiùs propriis oculis objicere, ne momento illis decedat mortis recordatio. Licet enim amara contingat vita, calamitatum, queîs cingitur, ergò; acerbior attamen mors ipſa cognoſcitur, ſuffragante Senecâ: *Meditare, utrum commodiùs ſit, vel mortem transſire ad nos, vel nos ad eam.* Ep. 26. In noſtro autem Fonte ſeſe explorantem, placidiſſimus, mellitiſſimuſque manet obitus. *Ipſe ad ſepulchra ducetur* (ait Job) *& in congerie mortuorum vigilabit. Dulcis fuit glareis Cocyti.* Legit Vatablus: *Effertur nimirum ad ſepulchrum, & in acerbo* Cap. 21. *vigilabit, ut ei dulces ſint ceſpites torrentis.* Quiſquis ſecus lectum locabit arcam funebrem, quiſquis dormiendo, cogitatione vigilabit *in congerie mortuorum*, dulcem præſtoletur interitum. *Quis impio coram, palamque dicat, vitæ ſuæ omnis finem eſſe mortem, ut is hâc ratione compungatur, ut, ad tumulum meditans, præ ſollicitudine vigilet, dulces factæ ſunt ei ſilices torrentis.*

19. O Pontifices, ſi vultis, vobis mors nullam incutiat formidinem, Juſtitiæ legibus vacate, Sanctos vos oſtenditote; veſtroque Sanctiſſimi titulo vitæ reſpondeat Sanctimonia: Inſuper omnes admovete machinas, quò minùs degeneretis, utque tam in cœlo, quàm in terra beatiſſimi Patres & vocemini, & ſitis. In hoc veſtræ ſalutis cardo vertitur. En Davidem: *Convertiſti planctum meum in gaudium:* Pſal. 2. *conſcidiſti ſaccum meum, & circumdediſti me lætitiâ.* Divus Bernardus: *Moritur quidem Juſtus, ſed ſecurè, quippe ejus mors, ut præſens eſt exitus* Ep. 105. *vitæ, ita introitus melioris.*

20. O Sacri Pontifices! mundum regite animo extra mundum: veſtræque occurrat memoriæ, veſtrum Pium Quintum, relictum poſteritati in exemplar, typum, ſpeculumque abſolutiſſimæ integritatis; qui eluxit ardens in puppi tæda, & navis Petri Gubernator: Cum morte luctantem, manibuſque Crucifixum ſtringentem, eructâſſe inter agonis ſingultus, quòd libentiùs ſui Monaſterii ad oſtium, quod Romæ ad Minervam dicitur, clauſibus præfuiſſet, quàm in Vaticano illis Petri.

CARDINALES,
ATQUE
PRÆLATI
AD
FONTEM.

CAPUT IV.

1. OMphale Lydiæ Regina, vix benè ſpectaverat canis roſtrum, muricis ſanguine tinctum, quum morarum impatiens, votique æſtu ſuccenſa, Herculi (cum quo dein calathum, & colum, cultuſque fœmineos ſagittis, & clava, leoníſque tegmine mutavit) officium delegavit, è veſtigio veſtigiis ejuſdem inſiſtendi ad Tyri oras maritimas. Impræſentiarum reſoluto fabulæ cortice, medullam ſcrutemur. Quàm perniciter ambitio purpureo tenetur colore; ad cujus reflexus erubeſcendo noſcitur impar, quoniam noſter pallet animus expendens, quàm oneroſa contingat illius conſecratio, quàm remota inſtituantur itinera, quantumque ſudoris impendendum obveniat, haut citra capitis periculum, ſanguiníſque diſpendium. Obſtupeſcit Hercules ad ſparſum candidas inter arenas, ab extincto murice tam pretioſum cruorem; exploranſque, quòd in humido undarum Regno, tam vividus ignis accendatur, quantus quantus in admirationem rapiebatur, nec non abſorbebatur ſtupore. Verùm quoniam mortalium oculus aſpiciendo capitur, obtutuque tenetur; cur animus contemplari cunctatur, quì ex emortuis conchis adeò floridus flos emergat, erumpat, exſurgat? Quomodo ex cadaverum ſanguine tam vivax color extrahatur? cur non conſiderat, pannorum nullum tineis obnoxium tam eſſe, quemadmodum purpuram? Denaſcuntur Cardinales, Sacri jacent Purpurati. Roſâ purpuraſcente nullus florum imbecillior, magíſque caducus. Aurora, in cœli ſublimibus rubeſcendo, evaneſcit. Purpurei Iridis colores citò pereunt. Ubi nunc invenitur Hugo Cardinalis, qui, expoſitionem univerſæ Scri-

Scripturæ abſolvendo, integrum vitæ ſpatium abſolvit? Quis locus Baronium capit, atque circumſcribit? cui tam brevia fuerunt annorum curricula, ut Annalibus Eccleſiaſticis ſupremam manum, coronidemque nequiverit imponere. Ubi modò Rupertus Bellarminus moratur? qui, ſecus atque Hannibal, acerrimè Romanis infenſus, Capuæ deliciis eviratus, enervatus, effœminatuſque elanguit; quoniam Sacer ille Purpuratus, eodem loci alter anachoreta, vitæ aſperitatem emollire reluctabatur. Ubi nunc Antonius Barberinus, Cardinalis S. Onuphrii? qui ſub cineris amictu olim igneum recondens Spiritum, deinde miro virtutis exemplo purpuram cilicio copulavit, potiundi Regni cœleſtis amore flammeſcens. Ubi nunc locantur tot Vaticani Purpuræ, quæ, in unum coactæ acervum, ſeptem Romæ colles ſupereminerent, harumque celſitudine ſuperfunderentur? quæ conſurrexerunt in altitudinem, ad unam omnes conſumptæ jacent, proſternuntur, viatorum plantis conteruntur. Sepulchrum reſeratur. Qui illas geſtabant, in pulverem reſoluti ſordeſcunt. Ad ſummum cranium aliquod dimidiatum, oſſaque conglobata ſpectanda ſuperſunt, ut & vermium reliquiæ, mortiſque ludibria. Nullum fatali mortis falci purpura clypeum objecit, illius pariter ſagittis penetrabilia occumbendi urgebat neceſſitas, quoniam *ſtatutum eſt hominibus, ſemel mori.* Ergo cum Tertulliano decernendum, dum in Eccleſiaſticis Purpuris conſideraret reſtrictum, quicquid gloriæ, potentiæ, honoriſque continet mundus, exclamante: *Omnia imaginaria in ſæculo & nihil veri.* *in Apol.* Aut allubeſcat Divi Gregorii oraculo aures accommodare: *Quicquid enim in hoc ſæculo lætum, delectabile, ſublime, aut proſperum cernitur, vanum profectò eſt, quia difficile habetur, & citò amittitur.* *in 1. Reg.* Nam celeriter moriendum eſt. Hinc cum Samuele, Viro integerrimo, pientiſſimóque, ô purpurati Narciſſi! vos alloquor in noſtro Fonte ſpectantes: *Nolite declinare poſt vana, quæ non proderunt vobis, neque eruent vos, quia varia ſunt.* *1. Reg. 12.* Vos equidem, Eccleſiæ Cardines, ſuſpicit Orbis, venerantur populi, nemo non colit. Ne verò progredi ſatagatis; quippe defungendum eſt; Quis objiciet, Cardinales Pontificatui deſtinantur: Proinde prorogando exceſſui magnopere ſtudent, & præfixum ad ſcopum acti ſe promoveant, ſedulam navant operam. Laborare ceſſetis, etiam atque etiam hortor, adſtipulante mihi Auſonio:

Vive memor mortis, ut ſis memor & ſalutis.

2. Temperantia fuerit corporis ſalus. Ut ergo quis abſtineat ab illicitis, menti ſuæ præfigat, mortem eſſe terribilem, tamque miſerabilem, ut, eſto communis ſit humanæ progeniei, DEUM tamen & Angelos (ſi fas eſt ita loqui) commoveat. Omnipotens protoplaſto ſibi formato in campis Damaſcenis, mortem minitatus eſt: *In quacunque die comederis ex eo, morte morieris.* Comedit, deliquit poſtquam illa ſententia fulminatus fuit; Sub arbore ſubſiſtit. Quàm es inſanus, inquit Altiſſimus, poſteaque illum vocavit: *Adam, ubi es?* à foliis auxilium expectas, cùm tibi fructus inauſpicatò impoſuerit, téque ex Univerſi Rege in reum converterit coram Divino tribunali. O ſuaviſſime Pater! (reſpondet degener, ac cervicoſus filius) qui non me generâſti, ſed formâſti; his in ramis, in his frondibus, meorum natorum multiplicationem contemplor. Quì verò in frondibus viridem te deprehendere tentas, quoniam in trunco jam ſiccus occurris? talis fortaſſis tibi videor, utpote adumbratus; Nullatenus, quia mihi pates ſecundùm genuinum corporis tui habitum, oríſque ſpeciem. Egredere igitur. Incedere nequis? ceſſa mirari Domine, cùm de limo debili me formaveris? cur autem haut inniteris? ſed cui? meæne Uxori, quæ nil niſi ventus? corruet ergo univerſa humana generatio? non eſt ſtupori tribuendum, labi, fundamento caduco. Infelix Adam, quòd, cùm omnium noviſſimus extiterit inter animantia, in hauriendo vitam, poſtmodùm primus fuit in vocandâ morte. Quis in tot miſeriarum iliades te præcipitem egit? reatus, qui nihil eſt. Ah! ſubnectit DEUS, hoc nihil evadet in totum, hocque totum in nihil te reſolvet. Jam Adam lachrymis indulget, lugent creata, Angeli flent, ac propemodùm DEUS lamentatur. Audite S. Macharium, ſeniorem Diſcipulum Antonii magni, ad prætactam metamorphoſin alludentem: *Die illâ, quâ lapſus eſt Adam, acceſſit DEUS, ambulans in Paradiſo, lamentatus eſt, ut ita dicam, conſpecto Adam.* Quâ ex cauſâ? *Luxerunt eum Angeli, virtutes omnes, Cœli, Terra, & omnes Creaturæ luxerunt caſum, & mortem ejus.* Ex hoc conjice, mors quàm ſit terribilis. Et adhuc mortem haut horres, nondum lethargum maturas excutere, purpurate Narciſſe?

in Bib. Pat.

3. Divus Carolus Borromæus, in omne modeſtiæ argumentum com-

compoſitus, dum per hortorum amœnitatem deambulabat, nil floridæ illius jucunditatis libabat oculis, quos caducis velatos, cœleſtibus apertos volebat. Rurſum defixus contemplatione mortui immortalis Numinis, mortem ſibi pariter inſtare, neutiquam dubitabat. Divus Hieronymus Romæ nuncium miſit, ut in Bethlehemitica ſpecu mori diſceret, ubi Vita nata eſt. Quem mortis horrorem incutiendo purpura videbatur impar, ſacrum intruſit ſpelæum. Hìc Chriſti contemplatus incunabula, ſibi ſepulchrum fabricabat. Calvarii iniquitatem ſuperavit, purpurâ Chriſtum veneraturus, quam ſanguine in illius apice extincti crucifixi tinctam intelligebat. Tartareus tentator, atque veterator, nullum non movit lapidem, ut prophanis Romanarum puellarum imaginibus, caſtiſſimi mentem corrumperet, illibatóque labem aſpergeret obſcœnorum ſpeciebus. Has ille Veneris larvas, mortis recordatione munitus, nullo propulſabat negotio, ſtrenuus eludebat athleta. Nunquam perdere feriantis, ſemper feriebat frontem pugil invictus. Excitabatur funeſto feralis tubæ ſtrepitu, atque contremiſcens, miſceri ſe putridis ſepulchrorum oſſibus horrebat. Crebra palmarum verberatione, quibus inerat, ſaxum immite; ægrum macerationibus pectus, crudeliſſimâ tundebat lanienâ: Longè, latéque fluebat cruor humi ſparſus, cum purpurâ, quæ in ſolo profluebat ad uſque pedes, confuſus. Saxum planè beatum, ex quo fortaſſis conſtructa aſſurgit moles columnarum: *Non plus ultra*, Sanctitati Hieronymi; lapidéſve pro illius ſepulchro parentur, quod præmeditatus eſt.

4. Noſtrum ad Fontem comiter vos invito, ô purpurati Narciſſi. Loligoni piſci placet propriæ ſpeciei aſpectus in ſpeculo, quod alligatum perticæ vaferrimi piſcatores in profundum fundum demittunt. Igitur dum ſuam rimatur originem, ceu faſcinationibus, præſtigiiſque ſtupidus, ac ſi vehemens torpor obrepſerit, in prædam inſidiantium evadit. Satius fuiſſet, nigrum illum colorem, quem illi natura vix ab atramento abludentem indulſit, fraudulentem ſuper illam effudiſſe cryſtallum, quàm in limpido ſpeculo ſeſe conſpexiſſe. Sacri Principes Eminentiſſimi, ſi detrectatis noſtrum moralem Fontem inſpicere, ubi veſtris vos coloribus depictos deprehenderetis; ſaltem cryſtallos conſulite, voſque offendentes ſplendidâ purpurâ circumdatos, tetrico mortis nigrore veſtros ſpargite amictus, ut

obducantur, compeſcanturque inconſulti appetitus. Archimedes, ſyderalis ſcientiæ conſultiſſimus, ſpeculum excogitavit, ex quo erumpebant radii incendiarii, quorum vibramine inter undas ardebant navigia. Verùm ab hoc noſtro ſpeculo, mortis obſcuritate velato, quæque prudentiſſima proficiſcentur dictamina, vobis mundum regentibus idonea, nec non peropportuna. Prudentes cogitationes pretioſam æmulantur gemmam Onycem; non enim, niſi cimmerias inter noctis tenebras, ſe quærentibus occurrit. Hinc originem derivavit tritum veterum adagium: *In nocte conſilium.* Hoc
Pſ. 19. pariter David innuit: *Inſuper & uſque ad noctem increpuerunt me renes mei.* Legit autem Hebræus: *Per noctem erudivit me cor meum.* Noctis tenebricoſæ horror, mœſtam obſcuræ mortis iconem redolet. Igitur Cardinales, memoriâ mortem revolvendo, inter illas fatales umbras, inæſtimabilibus maturorum conſiliorum gemmis ditabantur, circa quod inaffectatus obviet nemo.

5. Primâ fronte videbitur repugnare contubernium purpuræ, & nigredinis, gaudii, triſtitiæque, nec ullam eſſe neceſſitudinem riſûs cum jubilo. Audite, qui, in honorum eminentiâ ſedentes, auditis eminentiſſimi; audite, quid vobis ſuis natura vegetabilibus myſteriis, in exemplar exhibeat. Certus arboris glandiferæ ſpecies, echinato calyce ſurgit, quinque, novem, aut quatuordecim cubitorum altitudinem explens: in quinque robuſtos partita ſurculos, ex quorum ſummitate flos purpureus erumpit, tædæ figuram refert. Planta undique ſpinis armatur, quam niſi fanaticus manu tentet: acutæ ſtellulæ frondoſas ſepiunt faces. Cardinales ſunt lumina ſupra can-
Matth. c. 5. delabrum expoſita: *Lucerna ſuper candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo ſunt.* Ad illuſtrandum mundum tædarum vicem ſubeunt. Ergo quiſquis lumen purpuræ, ſupremæque dignitatis ſplendorem haut notaret, laboraret profectò cœcitate; quæ tamen decora cordis ſpinas copulatas ſortiri, nemo ſanæ mentis ibit inficias. Et Magnates aculeorum acerbitatem experiuntur. Immortalis DEUS! cùm æquo animo in corporis, vanitatiſque obſequium, horum dolorum catenâ tot ſe vinciri patiantur; cur lætâ, ſerenâque fronte vitalibus cogitationum mœſtitiis, ad mortis meditationem, in animæ beneficium, collimantium, ſubjacere renitimur? Eminentiſſimi Narciſſi, non nodoſum accidet, mortis recordatione veſtrâ funeſtare ſolatia,

latia, ſi præ corporis voluptatibus, animæ ſalus arrideat. Hinc mei Doctiſſimi Hieronymi Matrangæ carmina, polyandri poſtibus inciſa, quò minùs incidantur nervi cogitationis de morte, celeriùs arripite;

Hic ſapere alta docent ex imis oſſa ſepulchris,
Et mortale genus, marmora dura monent.
Quid ſit homo, hic vermis, cineresque fatentur in urnis.
Et quod in Orbe præeſt, mors probat eſſe nihil.
Vivere funeſtis diſcas hinc hoſpes ab antris;
Inde ſuperna petes, unde caduca vides.

6. Quotidiano experimento eruditi argumentamini, veſtræ vitæ curſum quàm breviſſimum eſſe, ut magis, magíſque mori diſcatis. Floris amœniſſimum, longéque gratiſſimum contingit ſpectaculum. Aſt tulipæ, liguſtra, pæoniæ, tuberoſæ cum cætera florum familia, hortorum noſcuntur phantaſmata ac larvæ, quoniam ad Solis applauſum evaneſcunt. Ah, quantâ Majeſtate tot ſpectantur Cardinales! fulgurabant amictùs, ex meritorum ſplendore, intuentium oculi caligabant. Quò receſſerunt? Ubi moratur literatus Cardinalis Bentivoglio, qui ſibi mercatus eſt nomen T. Livii Hetruſci? ubi Julius Sacchetti, quem Triregnum manebat? ubi Julius Mazarini, Galliæ Arbiter, Mundíque miraculum? ubi Bernardinus Scottus, cui propria virtus, Theatinum Biretum in purpureum mutavit colorem?

Et quod in Orbe præeſt, mors probat eſſe nihil.

Ubi Ferdinandus Auſtriacus, Cardinalis Infans, inter arma terribilis hoſti, in Vaticano cunctis cultus? hinc mei Joſephi Silos eruditiſſimus calamus ſic exarat:

Injicit Auſtriacus Rheno dum fræna bicorni,
Subdit & Hiſpano Belgica colla jugo.
Heu cadit Auſtriadum flos, & ſpes inclyta, Mavors
Purpureus, prima, & pube verente cadit.
Multa gemat, totam & fundat Tagus aureus urnam,

In lachrymas fluxu divite totus eat.
Sic exhauſta pio gemitu, exſiccataque fletu,
Magnanimum cinerem fluminis urna tegat.
Par tumulus functo: pretioſaque Principis oſſa
Debuit auratus contumulare Tagus.

Ubi Armandus Cardinalis de Richelieu, cui ſuam ſalutem adſcribere Gallia compellitur? idem ſuaviſſimus Cygnus modulatur:

Gallia, cui grandi minor indole, majus & Orbe
Pectus erat, parvus contegit ecce lapis.
Nec mirum vaſtóque Duci, heroique ter amplo,
Quòd breve ſufficiat marmor, & urna brevis.
Nam mens tot gerat, totus vigor igneus; urnâ
Aut nihil, aut modicum quod tumuletur, erat.

Anni momento avolant. Amaſis Rex Ægypti, pectus involvebat linteâ loricâ, inſtar retis contextâ; cujus fila trecentis ſexaginta quinque ſtaminibus contorquebantur; ac ſi tentaret ſe induere anni diebus, cùm elabens annus illum vitâ ſpoliabat. Vos ergò fugax expendite tempus, mortémque propinquam. Cur ergò in hoc temporis puncto, minimè de morte cogitatur, deque probâ morte: *Eſt una hora totius vitæ portio*, fidem aſtruit Ambroſius. Cùm autem DEUS hoc tempus largitus ſit, ut bonis operibus inſudemus, atque vitæ finem imponamus laudabilem; Quis ad memoriam propriæ deſidiæ, rationíſque, quam deponet rigidiſſimo Judici, non contremiſcat, atque perhorreſcat? *Præclarum eſt nos in hac opinione verſari, ut non modò ſermonis & actionis, ſed totius etiam temporis, atque adeò tenuiſſimi ac breviſſimi, uniuſque horæ momenti rationem à nobis repoſci exiſtimemus*; teſtatur Nazianzenus. Intelligite, & ad mortis memoriam convertitote vos. Cardinales lethi fiunt mancipia.

[Margin notes: *Ep. l.* 3. 25. — *Or.* 28.]

7. Cùm ergò Cardinalibus, purpurâ involutis, Libitinæ dominetur Regnum, ô mitrâ decori Narciſſi; Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Prælati, violario veſtiti colore, mortis colori affini, putatis mortis eludent neceſſitatem. Mors œcumenica eſt: ad hanc ſi reſpiceret homo, aut ſe Epiſcopum non crederet, aut ſtuderet integri-

tegritati, priuſquam tale munus ſubiret, aut illo jam fungens, ſanctitatem profectò ſpiraret. Moyſes populo præeſſe detrectavit: *Obſecro, Domine, mitte, quem miſſurus es.* Mihi mors imminet, me manet interitus. Hinc reſpuo curam aliorum, ne ſaluti meæ proſpiciendo ſuperſedeam. Origenes audiatur: *Bonum eſt, non proſilire ad eas, quæ à DEO ſunt, dignitates, & Principatus: Sed imitari Moyſen, & dicere, provide alium, quem mittas. Neque enim ad Principatum Eccleſiæ venit, qui ſalvari vult.*

8. Non tamen negabo, Principatibus Eccleſiaſticis cumulatiorem perfectionem ineſſe. Hinc Apoſtolus: *Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat.* At, *oportet ergò Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, ſobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hoſpitalem, Doctorem: Non vinolentum, non percuſſorem, ſed modeſtum, non litigioſum, non cupidum, ſed ſuæ domui præpoſitum.* Vulpi varius, ac diſpar eſt corporis habitus. Noſtris in terris ſpectantium obtutibus occurrit leucophæata, in Zembla candicans, in Briten, novæ Franciæ Inſula, atrata, in Moſcovia rurſus diſpari veſtita colore, & alibi reperitur inſignita quâdam veluti cruce. Attamen ubique locorum ſemper eſt eadem, quoad inditæ propenſionis corruptelam, utut pro Regionum diverſitate verſipellis, piloque inæquali. Nihil prodeſt, nil conducit, Presbyterum amiciri veſte violariâ, detractâ nigrâ; palliumque inſertis crucibus geſtare, ſi vulpino polleat animo. Itaque licet ad tempus diſſonus videatur, confeſtim attamen ad ingenium revertetur. Ergo revocandis calculis, turbemur mortis horrore. Poſtulabat Propheta: *Uſque quo, Domine, uſque quo peccatores gloriabuntur?* quamdiu rebelles Majeſtatem tuam impugnabunt, iteratíſque ſceleribus laceſſent? quamdiu impietas confirmata, altera natura, rationem potentiarum Reginam opprimet, & per calcatam ad deteſtanda facinora pergere non deſinet? En reſponſum: *Donec fodiatur peccatori fovea.* Quandoquidem *ibi* (videlicet in ſepulchro, teſtatur Job) *impii ceſſaverunt à tumultu, & ibi requieverunt feſſi à robore.* Aut, ut legit Hipponenſis, *ibi impoſuerunt impii furorem ſuum.* Hinc tolerantiæ Prototypus ſemel animoſè objecit Altiſſimo: *Cur non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam?* Audeat ſanè petitum. Nunquid ipſiſſimus, ô Job, affirmas: *Quis poteſt dicere DEO, cur ita facis?* Nequaquam, reſpondet. Jure merito hoc alacriter pe-

1. ad Tim. 3.

Pſ. 93.

Job. c. 3.

to,

to, quoniam *ecce nunc, & in pulvere dormiam.* Ad meum occaſum cogitationes dirigo, quibus acclamat Divus Auguſtinus, effando : *Qui vicinam ſibi, & inſtantem contemplantur mortem, pœnitentiam minimè differunt.*

Cap. 9. ſer. 16. de verb. Dom.

9. In hunc modum emendatus, Epiſcopatum ne reſpuat; non autem inhiet, ſe meruiſſe arbitratus, neve illi optandum veniat illud Davidicum : *Dormierunt ſomnum ſuum*; ac illud Apoſtoli : *Evanuerunt in cogitationibus ſuis.* Quoniam Dignitates avidiùs venantibus elabuntur. Inſuper recordetur moniti Divi Bernardi : *Si ſapis, ſi habes cor, ſi tecum eſt lumen oculorum tuorum, deſine eas ſequi, quæ & aſſequi miſerum eſt.* Inſtantem contemplando mortem, & à nobis cœlitùs rationem repoſci, deſines infructuoſi appetitûs, nec dignitatum ſplendoribus, alter papilio, perditè ineſcabilis. Ignavus hic terræ filius, ſordidus, & in vitâ ſemper inglorius, mortem aliquando nanciſcitur perilluſtrem. Etenim ſi lucernam crepero ſplendore vacillare viderit; expanſo alarum remigio velificatur ad ignem, dumque ſtrepitu feſto, tripudióque triumphat, flammis pennarum plumulis adhæreſcentibus, per alas crepitante incendio, informis indigeſtuſque cinerum atomus jacet, qui primò civilibus veluti aſſentatus officiis, & inſidioſâ coloris blandientis illecebra, ad ardorem volitabat.

Pſ. 75. Rom. 1.

10. Teſtatur magnus Seleucus apud Plutarchum, ſæculi Dignitates tot ſcatere doloribus, tantíſque reſtagnare calamitatibus, uti *ſi ſciret vulgus, quanti laboris ſit, nollet in terram abjectum tollere diadema*: Quid erit ergo de Dignitatum inferiorum gradibus ſentiendum? Mihi Prælati ſupremi ſubſellii videntur ſimillimi piſci, qui ad Tigris oram occurrit Juvenculo Tobiæ : Quippe miraberis, quos aut fortunæ, aut meritorum ſuffragia, ad dignitatum culmina evexerunt; honoribus affluere, ac propemodum proſperitatum mari innatare. Sed *exentera mihi hunc piſcem.* Nil niſi fel amariſſimum extrahes, ut Tobiæ contigit: *Exentera mihi hunc piſcem.* Oculus quidem lætitiâ triumphat, cor autem ſui contabeſcit mœroris acerbitate. Os in riſum, ſed Sardonicum effunditur : *Aſſidui labores etiam ipſas ingratas faciunt Dignitates, & quod prius ambiiſſe creditur, poſtea vitare velle ſentitur*; affirmat Caſſiodorus.

6. Var. 12.

11. Hoc eſt veſtrum lucrum, emolumentum, ac quæſtus, quibus

bus inhiatis, ô Sacri Narciſſi ! dum veſtræ conſtatis aviditati. Hirundo chelidoniam nido imponit, ſuis pullis excœcatis viſum reſtitutura. Chelidonium mortis adhibitote, ô Infulati Narciſſi ! ſic fiet, ut deprehendatis, quidquid oculorum lenocinio floret in mundo, ſpolium eſſe tranſvolantis temporis, momentorum ludibrium, magnificum, fucatumque nihil: frœnum quoque cupiditati ampliſſima poſſidendi, penitus injiciet. Alexander Macedo ex Aſia ſubacta moliebatur regreſſum, Europam debellaturus; Verùm *ut cognovit, quia morerętur, vocavit pueros ſuos nobiles, qui ſecum erant nutriti à juventute, & diviſit illis Regnum ſuum, cùm adhuc viveret.* Hinc exclamat Divus Gregorius Papa: *Vide ergò, quàm efficax ſit memoria mortis.* Morale Chelidonium pupillis claritatem conciliabit, ut Abylam, Calpamque mediâ mortis contemplatione rimantes, propriam duntaxat Sphæram circumferantur; propriâ ſorte contenti, in qua DEO placuit illos collocaviſſe: nec ulterius nova tentabunt, ceu Sponſam, quæ cœlitùs conceſſa fuit, repudiaturi. Sic erudit, hoc præſtat, talia mortis inſtillat recordatio. *1. Machab. 1.*

12. Ne præceptorum iliadem lectoribus ſiſtam, quibus delineatur conſummati Epiſcopi idea ab Apoſtolo; paucis multa complectar, atque reſtringam, ſecurim arboris radicibus injiciendo: *Oportet, Epiſcopum eſſe non cupidum, ſed ſuæ domui benè præpoſitum.* Quodam veluti Poëtico enthuſiaſmo percitam, nonnunquam in vegetabiles hyperboles naturam prorumpere, quis non admiretur? Agnus frutex arboreſcens, in amœniſſimis cujuſdam regionis campis proveniens, ſicuti figuram agni reddit, pariter paſcitur contiguis herbis, quæ ſi deficiant, ſiccus elanguet. Prælati ad Chriſti ſimilitudinem, cujus vicem gerunt, & Paſtores, & agni noſcuntur: quoniam *ego ſum Paſtor bonus.* De Chriſto verò Præcurſor pronuntiavit: *ecce Agnus DEI!* Indecorum prorſus foret, quendam paſtorem reperiri, ſuis ovibus excoriandis intentum, tondere deſignatum; ac denique converti avida metamorphoſi in agrum vegetabilem ex fruticum unum. Noſtri verò ævi Prælati, tanto Sanctitatis ſplendore coruſcant, ut ad nos primitivam Eccleſiam revolutam non ambigam, quando divitiæ deponebantur *ante pedes Apoſtolorum*, ut refectio fieret indigentium, quod ſubtrahebatur voluptati, eſſentque communes inter inopes, opes congeſtæ. Hujus fidem aſtruet Paulus Areſius,

ſius, Tortonenſis Epiſcopus, Vir quà doctiſſimus, quà integerrimus ex Theatinorum ſodalitio. Minimè gravabatur ſingulis diebus ingredi pauperum domos, calamitoſorum tenebris, ceu radius matutini Solis, affulſurus. Qui ſicut inter vivos eruditionis mari immergebatur, in moriendo in charitatis pelago ſe ſubmergere nullatenus dubitavit. Hoc idem roboravit Petrus Martinez, Panormi Archiepiſcopus, quod aurea mundi concha quotidie duodenarium egenorum numerum liberali dexterâ nutriebat eo cubili, quo ipſemet cibum ſumebat, ut humilitatis exemplo toti præluceret Siciliæ, alternantibus dignitatis ſublimitate, charitatíſque demiſſione. Ut in Sole macula, ſic avaritia in Epiſcopo. Cometes eſt, mortem præſagiens; Turbo, terræ motus abſorbens. Hinc Cardinalis Hugo reducit ad calculos, indéque prorumpit animoſè: *Pœna magna eſt, habere Prælatum cupidum, vel avarum, ſed major eſt, habere ſtultum.*

13. *Oportet Epiſcopum eſſe Doctorem.* Ignorantiam cunctorum errorum matrem deteſtor. Obtuſâ mentis acie quiſquis eſt præditus, damnat vetuſtum Spartanorum morem, cui morem gerendo Reges nationis illius, antequàm ſeſe certaminibus accingerent, armíſque conſererent arma, litabant Apollini, Muſíſque victimas offerebant. Sapientiam nemo non veneretur, moderantis cynoſuram, menſuramque. Animarum verò directioni præeſſe, conſummatam poſtulat Sapientiam; ut nihil Stropharum ſit, cur in æquitatem committat illâ denudatus. Apud Iſaiam cuidam ſceptrum, atque corona oblata fuêre: *Eſto Rex noſter*? Quid ille reſpondit? *Non eſt in domo mea panis.* Abs re videtur reſponſum; Sed admodùm quadrat, aſtipulante Cyrillo: *Non eſt in domo mea panis, id eſt, non eſt Sapientia.* Ad ultro oblatam Inſulam, Sapientiæ ſale conditus, ſuo ſe pede metietur, ad unguem propriam capacitatem explorabit. Proprius amor perſuadet, ut quis ſe anteponat Ariſtoteli, nec non Angelico Doctori: ambitióque ſtimulat, ut enitatur in ſublime, licèt pedes vacillent, & ad omne veſtigium ceſpitando, ruinam minitentur. Satius eſſet, in intimos domos receſſus ſe recipere, Summorum Pontificum alta pervolvere, in ſtudia incumbere Antonini Dianæ, & voluminum Epiſcopi Caramuelis fieri heluonem, ut lætus ad læthum properet, armatus, & inſtructus bonorum operum fructibus. Eſto tamen verſatus ſit in ſcientiarum theſauris, ac plurimum hauſerit

Doc-

Doctrinæ, fulgeatque eruditionis ſupellectile prædives, faſtu tamen ne turgeat; quin imò ſenſatorum adhæreat opinioni, propriæ non deſponſatus adeò tenaciter, quin unquam repudiare illam liceat: Sicque non deſpondeat ſpem ſalutis. Toſtatus, Epiſcopus Abulenſis, tantum ſcivit, quantum occurrebat memoriæ; tantum occurrebat memoriæ, quantum legerat; tantum legerat, quantum uſque ad id ætatis ſcriptum fuiſſe comperiebat. Illius opera prodigium ſapiunt, queîs evincebatur, illi miraculo conterminum ingenium eſſe. Morti adigebatur naturæ lege; Sub vitæ veſperam, fidei tentationibus vexabatur. Advolant profundiſſimi Theologorum illius Academiæ, nodos difficultatum reſoluturi, ambigendi anſam exploſuri: Irritus contingit conatus, decumbente Sapientium hortamentis reluctante. Renuit ſuo depelli errore, menda emendare, ſibique indulgens immodicè, ſibi imponit egregiè, ſéque præcipitat. Advenit interim coquus, deferens juſculum; quem allocutus ſemianimis: Quid, inquit, ſentis circa hunc fidei articulum? Reſpondit, quidquid Catholica Romana Eccleſia. Ad hanc vocem ſibi reſtitutus Toſtatus, captivato quoque intellectu in obſequium fidei, dedere ſe non dubitavit veritati, ratum habens, quod coquus affirmabat, ac aſſentiens piè indocto. Quod exemplum eſt erudiendæ poſteritati, amuſis nonnunquam Apollinea capita informari. Monumentis proditur, antiquitus belli vel canum agmina fuiſſe adhibita, horúmque adminiculo, magnifico throno reſtitutum fuiſſe Garamantum Regem. Quis tam exoticis fidem præſtitiſſet? ſic multi vappæ æſtimantur, trunci, ſtipites, nullius momenti, nondum edito propriæ capacitatis ſpecimine, quos experimento magiſtrò præſtantiſſimos offendes, ac citra expectationem aliis anteſtare; quoniam ad difficultatum cotem acuuntur. Hos igitur, ô Prælati! ne ſinatis inexercitos, & quâdam otii rubigine conſumi, quorum ingeniorum facultates dum probantur, ſe probant, atque commendant. Campum iis aperite, iter ſternite ad generoſa, queîs ſuppetit facultas.

14. Sapientiæ Eccleſiaſtici geminâ catenâ copulatur tolerantia: *Qui patiens eſt, multa gubernatur patientia.* Legunt Septuaginta: *Longanimis Vir multus in prudentia.* Transfert Pagninus: *Tardus in ira, multus in intelligentia.* Quoniam quo magis dilatatur patientia, eò cumula-

mulatiùs repletur ſapientiâ. Lacedæmones Chilonem quâdam dignitate donârunt, quod ægrè ferebat illius frater, quaſi excluſus nullam pro ſe ſciret. At ille reſpondit: *Ego injuriam ferre novi*: Quoniam jam dudum ſtudui tolerantiæ, contumelias ſuſque, déque fero, injurias devoro. De Salomone Scriptura verba contexens, inquit, quòd Altiſſimus *dedit illi latitudinem cordis, quaſi arenam, quæ eſt in littore maris.* Non illum contulit cum irato ponto, procellis agitato, turbatóque decumanis; ſed aſſimilavit arenæ, illius littora occupanti: quæ undarum percuſſa tumultibus, quaſſata fluctibus, impetita turbinibus, identidem ſibi ſimilis, nec apicem ab ingenita tranquillitate recedit, ac reſilit. Hinc exemplum depromant Prælati, inter aſſultus exacerbatæ ſortis, inter livoris rabiem ſemper ſuæ conſtantes conſtantiæ, atque lenitati. Siquidem cùm mutas maris arenas noſcamus mortis typum, ad quas alliſa rumpitur vita; mortis memoriâ adamantina ſcaturiet tolerantia. Omnis iracundiæ Coloſſus, crudi fati pede in cinerem redactus eſt, frigidíque cineres nec ſaltum unguem à gelidis abludunt arenis. In ſepulchri pulvere faſtus obtunditur; ut Principatus Eccleſiaſtici memoriâ lethum revolventes, furoris acumen neſciant, ad miſericordiam deducti, patientiam ſpirantes: *In Prælatis debet eſſe conſolans miſericordia, & piè ſæviens diſciplina*, conſulit S. Gregorius.

15. Aliud documentum conſultò ſuggero, à luminoſo Divi Antonii Patavini calamo mutuatum; *DEUS Judex juſtus*: quod albo ſignandum lapillo, Epiſcopi princeps conſtituatur prærogativa; quoniam penes eundem: *Facies Chriſti ſunt Eccleſiæ Prælati.* Quòd igitur Chriſti facies in ſacrilego profligatiſſimi Pilati palatio, ſputibus deveſtata ſordebat, percuſſa languebat, dein in ædibus Caiphæ probroſè velabatur (fortaſſis, quia lares corruptorum miniſtrorum, innocentiæ vultus nunquam denudatus apparet,) eruendum ſupereſt cum memorato Cœlicola, commodumque concludendum, ſordida illa excrementa, Numinis ori impacta repræſentare deliquia, delictaque ſubditorum, quæ Prælatorum vultibus examinanda, corrigenda imponuntur, luant ut pœnam, dentque Superioribus pœnam. Velatæ verò pupillæ modum docent, qui in decernendo, vibrandoque ſententias adhibendus, tenenduſque venit: videlicet obductis luminibus, omne diſcrimen peregrinum inter ac indigenam, infenſum, accep-

Fer. 6. in Para.

acceptumque eliminando, proſcribendoque, ne locus ſit claudicanti Juſtitiæ. Hìc autem ubi remanet animarum cura, ſolertia oculata ad invigilandum diu, noctuque concreditarum ovium cuſtodiæ?

16. A plantâ pedum uſque ad capitis verticem contremiſco, expendendo graviſſimum onus, quod Cardinalibus, unaque Prælatis incumbit dirigendorum ſubditorum in via ſalutis æternæ. Tantam attamen doloris acerbitatem illico abſorbeo, quoties conſidero, Omnipotentem illis adeſſe, & eſſe præſto, mediâ mortis conſideratione; cujus unius eſt, vitiorum urticas eradicare, amicâque manu virtutes plantare magis conſpicuas ac ſonorantes. Vos, Eminentiſſimi Narciſſi, Regibus pares prædicatis. Audite proinde Divi Petri Damiani Oraculum, cujus vobis haut ſtomachus ſit: *Porrò autem, qui hodiè induitur purpurâ, cras includitur ſepulchro: Hodie, qui in hominibus dominatur, cras à vermibus factus putredo, corroditur: Hodie Regalibus Infulis redimitus, cras vilibus panniculis exanime cadaver obvolvitur: Hodie ſplendet Coronatus in Regalis Excellentiæ Solio, cras fœtet marcidus in ſepulchro.* Apud Romanos laudatiſſimus mos inolevit, terque commendata viguit conſuetudo, triumphali currui venerandum imponendi Senem, ne Latii Heroës inflarentur ſuperbiâ ſuis in triumphis: Senex autem iterum, iterumque ovanti appropinquans, talia eructabat: *Reſpice ad eos, qui te præceſſerunt, & memento, te eſſe moriturum.* Ita refert Purpuratus veſter Divus Hieronymus. Si purpuram, quâ involvimini, adſpicitis; & ad monumentum reſpicite, quod vos expectat, quod vos manet. Non tam in Paſtorali baculo, Eccleſiaſtico Sceptro, lætetur oportet Epiſcopus, quàm ad mortem reſpicere, cùm extinctum nil illa juvabant inſignia. *Epiſt.7. ad Ag.*

17. Vix coronabatur Imperator apud Romanos, quum obvium nanciſcebatur inclytum ſculptorem, promiſcuis petris inſtructum; qui rogabat, ecquâ ex petrâ ſibi ſepulchrum ſtrui mandaret, in ſolatium, quietémque afflictæ carnis & oſſium. En Claudii Paradini dictum:

Elige ab his ſaxis, Auguſtiſſime Cæſar,
Ipſe tibi tumulum me fabricare velis.

Poſt erectas nepotinas Templorum, Monaſteriorumque moles, baſilice proprio ære fundatis pietatis receptaculis, Simeon Carafa,

Meſſanenſis Archiepiſcopus, in Annuntiatæ Templo ſibi tumulum excitari curavit: quem quotidie ſpectans, ab illo muto marmore ad ritè moderandum, conſilium derivare videtur. Mira, ac imitanda fervoris ſolertia! quam ille Præſul in Theatinorum Clauſtro, ubi quinque luſtris habuit, hauſiſſe ſe nullatenus inficiatur. Quatenus avitæ gloriæ ſplendor, menti tuæ lumen haud eripiat, recogita obſcuras prædeceſſorum tuorum tenebras: quemadmodum mortis horrore perculſi, montium ſublimia, rupium exeſa, collium clivoſa, concava vallium, opaca nemorum petiêre permulti.

RELIGIOSI
AD
FONTEM.

CAPUT V.

1. RELigiones, ſacræque Familiæ, ſacris hortis ſimiles occurrunt; quos Divinus Olitor intra Clauſtrorum ambitum plantare dignatus eſt. Et quamvis in illis locârit charitatis roſas, puritatis lilia, humilitatis violas, cum cæterarum virtutum floribus; attamen longè conſpectiſſimum veneror contemplationis heliotropium. Fabulantur Poëtæ, hunc florem ex interitu Clyties, unæ ex Oceani Nymphis, ortum eſſe; fortaſſis in hieroglyphicum ſemper mortem meditantis. Obiit Clytia ab Apolline adamata, ſuaque in metamorphoſi, niſi cordi, certè flori impreſſam ſervavit Dilecti imaginem. Hoc germen Solis ſpeciem & reddit, & cuſtodit, quoniam hic illius amorem rapit; quod ſi caput vult, flaveſcat, ideo contingit, quia ille radiorum jubare coronatur. Auſim affirmare, heliotropium exiſtere Veris longè pulcherrimum partum, illuſtrem Zephyri alumnum, lepidiſſimum Aprilis ſpectaculum, prati Solem, terræque matris riſum innoxium. Suſpicio, commendo hortorum Palladem, frondoſæ inſiſtentem haſtæ; florum gigantem, ad cujus proceritatem cæteri florum pygmæi videntur. Attamen de illo pronunciare minimè verebor cum Divo Hieronymo: *Oculorum magis*, *in 6. Matt.*

quàm

quàm ſermonis judicium eſt. Amore capta Clytie, nunquam ad ſuum amorem non convertitur; languet præ teneritudine, ab Oriente ad Occidentem, Solis tumulum, caput inclinans; nec unquàm obtutus vibrando ſuperſedet, ac oculos avertit, utut importunâ nube Orbis oculus obveletur; *Heliotropium Solem aſpicit etiam nubilo die*: mihi ſtat Plinius. Heliotropium amans, catenato immobilíque pede, Phœbi tamen ſemper veſtigiis inhæret. En floridam Religioſi figuram, typumque, iconemque, qui, humi defixus, Juſtitiæ Solem erectâ ſemper comitatur mente: ac ſicut heliotropium, occiduo Planetarum Principe, acclini capite diei curſum abſolviſſe videtur; haut ſecus Religioſo nulla dies elabatur, quin & feriò, & amarâ cogitationum tela, ad ſuum dirigat tumulum.

2. Ad hunc finem duntaxat funebres foveæ intra templa hiant, lapidéſque ſepulchrales locantur prope ſacra liminaria: *Ut ingredientes, & egredientes mortis admoneantur, & ſic ad DEUM convertantur.* Mortis memoriæ laxum limitem ut aperiret Lycurgus, ſuis inſeruit legibus, cœmeteria mediis locarentur plateis. Ille verò Rex Ægypti, per viginti annorum ſpatium, trecenta ſexaginta mercenariarum operarum millia adhibuit ad operoſum Pyramidis laborem, Regii tumuli, quò cominus, & eminus, ob ingentem ſublimitatem ſpectantium oculis objicerentur. Romanis itidem extitit familiare, extra civitatis portas ſua excitare ſepulchra; *Ut tibi jugis ſit memoria mortis* (ſuadet Os aureum) *ante civitatis ingreſſum ſepulchra vides, ut priuſquam amplitudinem & divitias civitatis conſideres, agnoſcas omnium illarum finem.* Quis autem magis quàm Religioſus Eccleſias frequentat, ac crebriùs ſepulchra calcare conſuevit? Cellâ vix egreſſo cranium, cadaver, aut tumulus obviat, ut mori conſueſcat. Cavendum autem, ne quotidianus, ac familiaris uſus horrorem ſubmoveat; ſed magis magiſque proficiat, qui profitetur mundi contemptum immundi. In Monaſterio Clarævallis in Galliâ, ubi Mellifluus arbitrario ſolamine vacuos dulcedine viduatos annos inter pœnitentiæ ſpinas ducebat, ac demum ſanctè ſupremæ neceſſitati tributum perpendit, moris erat, uti ſtatim atque tumulatus fuiſſet quidam illorum cœnobitarum, recens ſepulchrum effoderetur pro ſubſequente: Ne cui cœcâ expectatione longævitatis, pendendi campus pateret. Hinc tremulam plantam funeſto tumuli margini

S. Aug. ſer. 20. ad Fra. in Hor.

Hom. ult. de Spir. S.

tom. his. Ciſt.

gini imponebat illorum quilibet, vultúque demiſſo, certi incertus obitûs, noviſſimam horam expectabat, flebili voce *de profundis* intonando. Tantæ molis, tantique momenti Divus Bernardus arbitrabatur in Monacho, lethi recordationem.

3. O Religioſi Narciſſi! licet cellarum anguſtiis circumdemini, non tamen rotantis temporis edacitatem eluditis, cœlique inclementiam, qua nil non diſſipatur, declinatis. Aſperrimum elementa bellum veſtris cient corporibus, unde reſolvamini in veſtrum principium, cinerem. Nemo in hac inſtabili mundi ſcenâ perſonam induit, ac agit, quin noviſſimum tragœdiæ actum repræſentet; quandoquidem *ſtatutum eſt hominibus ſemel mori.* Hæc igitur mortis cogitatio inevitabilis, calcar ſubdit vel ultro currentibus ad perfectionis brabium, ne dicam reſidibus. Cuique Religioſorum, ultimas integritatis metas attingendi, onus incumbit. Reſpondeat etiam veſtium qualitati, morum innocentia, & candor mentis eluceſcat: *Homo* (effatur operis imperfecti Auctor) *aut ſecundùm locum eligat veſtem, aut ſecundum veſtem eligat locum.* Si quis regulæ ſuæ dictaminibus ſe ſe conformet, jam viam ſalutis ingreſſus eſt; quippe ſanctiſſimos ſe magnanimi probavêre Patriarchæ, qui nobis illam imitandam propoſuerunt. Hæc mortis ſeria cogitatio clavem agat, unde in clauſtris claudamini, nec meditari liceat egreſſum è propriâ ſphærâ. Spiritus imitatur æternas illas ſepulchrales lampades, quæ quouſque detinentur in tumulo, lucent; expoſitæ aëri delatævé per plateas extinguuntur. Religioſus Nilum paradiſi flumen exhibet; qui, arenoſo evolatus alveo, cœno Ægypti campos inundat. Siniſtrum formaverim Prognoſticon de illo Religioſo, cui in deliciis eſt, per Principum aulas ſe circumferre, ſæcularibus immergi negotiis, in libertatem, quæ propriam vivendi formam dedecet, effuſum.

4. Non neſcio, Religioſos auſpicatò abdicâſſe ſe libertate, quæ mortalibus cordi eſt, cujus unius ſingulis ingens eſt pretium; Idque præſtitiſſe, firmato triplici votorum catena pede. Scorpius filo alligatus, iteratò compedes reſolvere nititur: Aſt quòd caſſum contingat molimen, præciſáque evadendi ſpe, caudam intorquet, ſemet inficit veneno, ac interimit, pili non faciens vitæ uſuram libertate denudatam. Ergo affirmare quis audeat, contra torrentem Hiſtoricorum

corum naturalium, ſcorpionem undequaque candentibus coronatum prunis, haut ſibi necem machinari vi antipathiæ in ignem, & quoniam captivitati ſuccenſens, carceris umbras cum mortis tenebris commutare maturat. Paſſer ſolitarius, nullâ hoſpitalitatis dulcedine recreatus, eſto ſe ſubtrahat cæterarum avium nemoroſo commercio; niſi tamen caveæ cancellis circumſcribatur adhuc pullus, ſui impos, deſpondet; Quandoquidem in adultâ ætate, jactura ſui volantis theſauri illum haut lateat. Divitiis affluens Alphonſus Arragoniæ Rex, rogatus, num tantis gemmarum auri, argentique gazis cumulatus, unquam egeſtate laborare valeret? Generoſè reſpondit affirmativè; nimirum cùm licuiſſet tantarum opum diſpendio Sapientiam, libertatémque nanciſci, impetrare, atque aucupari. Vos Sacri Captivi, ultro voluntati propriæ refragantes, nuncium libertati miſiſtis inæſtimabili. Nunc autem ultra veſtri præſcripti metam propediendo, vel cœli poſſeſſione privari tentatis. Sub comparatarum catenarum pondere anguſtamini, & imo pectore lachrymoſa trahitis ſuſpiria, cùm maximè lætandum, exultandumque. Sed ego tales erigam in ſpem mitioris ſortis, ſolatium Divæ Thereſiæ in medium adducens, cujus ope nutantes Sororum animos confirmabat; tot preſſurarum acerbitates æquo toleretis animo, cum cito pede præſens effluet dies. Adventante morte præpeti curſu, præpediemur haut amplius. Denuo vobis conſolationem ingerat, cogitando, in perdilecto ergaſtulo vos arctius Numini poſſe adhærere. Cùm, tradente Æneâ Sylvio in Bohemiæ hiſtoria, Wenceslaus II. Rex, in quodam conflictu unà cum Regno libertate dejectus eſſet, ſciſcitanti, percunctantíque perfamiliari, num in carcere, mens tanto fulmine percuſſi fatiſceret, pectûſque terrore perculſi æſtuaret? reſpondit; nunquam mihi affulſit tam amica ſors; quandoquidem cùm hactenus nulla Numinis cogitatio meum ſubiverit animum, impræſentiarum cœlo mancipatus cætera reſpuam, ſtomachari diſcam, faſtidiam, cui nuperrimè nec deſipiebant, neque ſordebant. Igitur tam inſignem gratiam arrogo bonorum omnium liberaliſſimo Largitori.

5. Vos ad pugnam provocat Orcus, cui volupe Religioſos apprime aggredi, omneſque intendit nervos iiſdem debellandis, ac debellâſſe ſe jactat nonnullos. Acerrimus Sanctitatis pugil Bernardus;

quot certavit certamina, tot palmas reportavit. Aſt in conflictûs æſtu adverſus mollis ſenſûs blandimenta, voluptatíſque titillationem, ſemet his excitabat ad fortiter propugnandum, *Bernarde, ad quid veniſti*? cur ciliciorum aculeis circumdaris, ut tartaris arrideas? effluxum tempus recordatione revocans intelligo, quàm pretioſum feciſſem, niſi frivolis gemmea momenta viluiſſent impenſum. Florida evanuit ætas, occidua inſtat, labenti tumulus imminet, irrequietus volvitur Orbis, ibi nulla regnat firmitudo; nec erubeſcam Euripo me credere, tranquillitati inhiantem, legere decumanos, malaciam dum ſitio, nec non alcedonia: & quod caput agnoſcere juvat, de perennitate terenni incolatûs cum æternitate paciſcor, cùm fatum inopinanter amet obrepere: *Bernarde, ad quid veniſti*?

6. Religioſi Narciſſi, expedit reducetis ad calculos, ſacræ militiæ vos nomen dediſſe, Numini obſequium impenſiùs exhibituros, mortémque enucleatiùs expenſuros præter Chriſti mortem, veſtrumque obitum, nil vobis cogitandum ſupereſt. Cunctis veſtris exercitationibus mortis præfigatur imago. Hæc Religioſorum inſculpta mentibus circumferatur; qui, ſive contendant, ſive ceſſent, atque ferientur, ob oculos identidem illam habeant, individuum comitem. Permagnanimè calcatas ſæculi pompas, ad perfectionis apicem graſſandum eſt. Fruſtra, perperámque jam anhelas, quæ ſponte abjeciſti. In Orientali Hiſtoria memorat Jacobus Cardinalis Aconenſis, ad maris oram in Indiarum penetralibus, tam mirabilis ingenii arborem vegetari, ut inſolitos gignat fructus: quippe cocti maturique, ramis avulſi, ſponte decidunt in terram partim, partim in ſubjectam frigidam, nullatenus in ponticorum ſalſamentorum eſcam; rurſus ſicuti humi lapſi putreſcunt, è regione qui aquis ſeſe immerſére, vitam hauriunt, pedetentímque ſubnaſcentibus plumis, ac alis evadunt in aves, volántque. Par prodigium miramur in fonte, cujus mentionem Plinium feciſſe, in confeſſo eſt: in quem jacti lapides, alarum remigio inſtruuntur, ac avolant volucrum induti naturâ. Ad augendam admirationem ludentis almæ naturæ, in illius arcana rimantibus, adjicere liceret quarundam Zebù arborum folia, dum nativâ plantâ ſegregata, non citra portentum, & vivunt, & ambulant. En horum mortalitatem! ſi tuarum cogitationum fructus humi decident, nimium reverteris ad vomitum, in ſæculo relicta

ẽta concupiſcendo, marceſcent; Sin in mortis mare, ſuſtollentur ut aves, in aërem ſublimioris perfectionis. Cogitationibuſque alatis, dedecet *contra ſtimulum calcitrare*, illarum inſtar avium, quæ ex Inſula Banda delatæ, invalidis quidem cruribus, at robuſtæ pedibus, equi ritu calcibus ludunt. Ne turgeas ſuperbiâ, ampulleríſque, ſi aliquod pietatis veſtigium in te deprehendas, indicem, notamque offendas; Sed noſtro in Fonte morali temet expendens, nativo pulveri ora ne graveris invehere; demitte te; Superiorum præcipuè nutibus auſculta, majoribus aſſurge, queîs vi voti parere conſtringeris.

7. Obedientia eſt Religionum anima. Reipublicarum celeberrimæ, inſtructiſſimi exercitus, demptâ obedientiâ, corruant neceſſum duco. Publius Scipio ex Sicilia in Africam ſolvere moliebatur, quam ſubjugavit temporis intervallo. Quem amicus rogavit, quâ ſpe fretus, tam alacriter in remotas Orbis plagas trajicere copias haut dubitaret, de hoſte triumphaturus? editiſſimam oſtendens turrim, quæ mari imminebat, reſpondit: *Nullus horum eſt, qui non* *Plut.2.*
conſenſu turri ſemet in mare præcipitaturus ſit, ſi juſſero. En exercitus *Apo. l.*
ex obedientiâ formidabiles! Hinc Sabellicus obſervat, Hannibalis *6. c. 8.*
copias in Italia belligerantis, conflatas fuiſſe ex Africanis, Numidis, Mauris, Hiſpanis, Balearicis, Gallis, Liguribus, ac magnâ ex parte Italis, qui rebellando Romanorum jugum excuſſêre. Quod attamen tot commiſtarum Nationum obedientia conſpiraverit, licet indole, propenſionéque inter ſeſe diſcreparent, nec tantillum moleſtiæ, tumultuſque proprio peperêre ſtratego: ut Annibal nactus ab obedientiæ promptitudine conſpectiſſimos, commendatiſſimoſque milites, inglorius nunquam ſit viſus. Nil igitur attinet, eodem monaſterio circumſcribi filios diverſorum parentum, diverſarum Provinciarum advenas, indoles exoticas; dummodo per obedientiæ ſcriptum, ac leges, quæ cunctis moderatur, ſibi conſonent, ſeque mutuò cogant. Recordare, ô Religioſe, à Cyro commendatum Chryſantam, ſtrenuum militem; quoniam audiens receptui canere tubicinem, internecione adverſus ſe dimicantis abſtinuit, quem nullo prorſus negotio, jamjam vulneribus confoſſurus agnoſcebatur. Cui quidam; cur hoſtem è medio non tuliſti, cùm id potuiſſes præſtitiſſe unius momenti morâ? ingeminavit Chryſantas; *Meliùs*

eſt, parere Imperatori, quàm occidere. Hunc, in acerrimi conflictûs æſtu, Lacon æmulatus eſt. Tuque, Religioſe, obſervantiæ frœna mordere non dubitas, nec ad militiæ diſciplinam componeris, quem aliena promptitudo temeritatis, pervicaciæque arguit? An aures obturas Evangelicæ Aquilæ monitis? *Hæc eſt charitas DEI, ut mandata ejus cuſtodiamus.* Divus verò Paulus Divinum annunciat Præce-

adHeb. 12. ptum: *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubjacite eis.* Cujus rationem affert in eâdem epiſtolâ: *Non habemus hìc manentem Civitatem.* Nam ſingulos, in hâc lachrymarum valle nos peregrinos, manet interitus.

8. Ut edoceantur, qui aliorum regimini præſunt, adduco Doctoris Gentium Oraculum: *Ipſi pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes.* Videlicet zelotes ſe probent, atque rigidos probitatis exactores; at ſereno ſupercilio, auraque clementi armentur, ut vi ſuavi ſibi ſubditorum corda devinciant, comitate irretiant, & per dulcedinem, gravitate aſperſam, alienis mentibus obedientiam extorqueant, magis quàm auſteritate. Quo temperamento ornari debent Superiores, in quos oculos convertunt ſubditi majori ſolertiâ, quàm Gymnoſophiſtæ, rutilantium Planetarum ſitum exploraverint. Stilicon, cui fortuna noverca Imperii dignitatem indulgere deſignata eſt, inexhauſto affabilitatis theſauro à naturæ largitate cumulatus eluxit; numerabatur inter Miniſtros, licet Honorio Cæſari familiariſſimus. Accedentibus humaniſſimus occurrebat; tantâque dexteritate, lepore, atque compoſitione favores negabat impertiri, ut ſupplices nullam repulſam experirentur, eſto nil impetrâſſent, mirâ illius ſuavitate contenti atque repleti. Hinc illius gloriæ popularis aura plaudebat certatim; Primates illum adorabant, rigoremque in benignitatis præconium omnes inflectebant, modulante Claudiano:

de ira ad Stil. *Non ſic Virginibus flores, non frugibus imbres,*
Proſpera non feſſis optantur flamina nautis,
Ut tuus aſpectus populo.

In mentis faſtigio ſtabat, nunquam petita faſtidiens, evehendus ad dignitatum faſtigium; cui qui ſupplicabat, recedebat effuſus in gaudia, illique non incommodabat, iteratò, repetitiſque vicibus ſerogans. Sanctus Ephræm ſuos cœnobitas humaniſſimè habebat; ſeque

que intuentes, affabilitate ad ſerenatæ mentis jucunditatem perducebat. Semel incidit in fœminam ex infamâ famoſam, cujus petulantiam ſe ſeverâ attentione contemplantis, acriùs quàm pro inſitâ benignitate perſtringens, quid hoc conſilii eſt, inquit, mulier, ut, mei contemplatione defixâ, vultum meum explorare non deſinas, nec ora erubeſcas? cui illa hæc pectore evolventi: *Dic mihi puella, quid ſubſiſtis, & ita intentis in me intueris oculis?* Reſpondit: *Intueor te, quia ego mulier ex te Viro ſumpta ſum: Tu autem ne me intueris, ſed terram, ex quâ tu vir ſumptus es.* Dignum oppidò Sapientis pectore effatum, ſupra ætatem, ſupra ſexum effatum! Quoties igitur, ô Superior, in quemquam tuorum ſevero ſupercilio animadvertis, recogita te ex terrâ formatum, móxque in pulverem eſſe redigendum. Qui modò dignitate ſuperemines omnes, deinceps in mortis foveam deturbatus, omnium infimus jacebis. Nunc fortaſſis dominaris quàm multis, ob natalium ſplendorem, aut doctrinæ monilibus, te potioribus; qui fœtidiſſimis vermibus eſca, pabulumque ſervaris. Mortis cogitatio & Superiorum faſtui, & ſubditis cervicoſis facilè medebitur, ut dotati humilitate, illius terribilem rictum haut perhorreſcant.

9. Probis ac improbis patet Monaſterium, juxta integritatem, pravitatemque habitantium, inprimis præſidium. Ex viginti tribus Judææ Regibus, quinque duntaxat, Davidicæ rectitudinis æmuli, ſuo in Regno, Davidis fauſtitate gaviſi dicuntur. Cæteros bella vexârunt, aggrediebatur annonæ caritas, pauperie laborabant, inteſtinis ſubditorum jurgiis lacerabantur, dum Regionem incolebant, omni fortunæ propitiæ ſuffragio denudatam, ſexcentis veſtitam ærumnis; ut mirum haut fuerit, ſeditionem recruduiſſe, ubi nulla ſpes affulgebat mitioris ſortis, nec aliqua repullulabat reſpirandi expectatio. Hinc Os aureum: *Quicunque Regum placuerunt DEO, diutius regnaverunt, & proſperati ſunt.* Unde proficiſcitur eleemoſynæ defectus ad Monaſterium? unde penuria, ac rei familiaris anguſtia? exulat nitor Eccleſiæ, nullus apparet florum apparatus in ea, vix candelarum rutilat fulgor, diffidentium Religioſorum ſylveſcente conſcientiâ, extinctâ charitatis face. *Hom. 1. in Matt.*

10. Non effutiam igitur, ô Religioſi Narciſſi, ſuſtinendo, potentiùs frænati animi impetus ſepulchrali pulvere, quàm minutis

arenis irati maris procelloſos tumultus. Ad mortis præſidium, ac patrocinium quiſquis confugit, vitales haurit cogitationes; quibus regnantibus, exulet faſtus, neceſſum duco. Sanctitati, quam veſtrum poſtulat inſtitutum, vivendique norma, uti vos mancipetis, præcipitem momentorum fugam expenditote. Crediderim, ſomniâſſe Platonem, cùm aſſeruit, magnum annum conſtitiſſe triginta ſex millibus noſtrorum annorum, qua temporis intercapedine, ſydera inerrantia ingenitum curſum abſolvunt. Noſtros autem annos illius haut tenoris experimur. Momento paſſim effluunt, noſtramque devorant vitam. Gemina delubra dedicare ſatagebant Anno, nec non menſi, nonnulli dementati in Inſula Cadis, quò ſe propitiarent; verùm enim verò delirantis populi fatuitas, deridendam ſe poſteritati propinavit, cui vitâ ſtetit inſania. Quippe mors indiſcriminatim ſuam rotando falcem, radicitùs ſuccidebat immortales cupreſſus, palmarum eminentiſſimas, ſublimiores Cedros, annoſaſque quercus, æquè ac humilia virgulta; ne ſuperbiæ pavo, gemmatas rotaret pinnas. Non eſt ergo nobis ſucciſivum tempus. Aſt ſaniores, longè diverſum anno ſtatuerunt exordium. Chaldæus à Vere auſpicabatur, quòd juvenculum videret in floribus; Orientales ab Autumno derivabant originem, rati anni initium, tempus omni ubertatis genere reſtagnans. Athenienſes ab Æquinoctio, ab hyemis rigore Romani, quoniam fortaſſis anni ſenectutem exhibet. Hinc mortales erudire tentabant, hinc informandæ humanæ ſobolis ſatagebant, hinc ſtudebant illi dirigendæ, mortem omnium noſtrarum rerum noviſſimam, noſtrorum annorum exordium eſſe debere, ut & cogitationum noſtrarum metam, centrum, palmarium, noſtræque felicitatis ſummam, ac fontem. Quiſquis ergo ad ſanctitatis apogæum aſpirat, vehementiùs mortem meditetur, ſpumet in mortis contemplationem, illam anhelet, ac inhiet; cujus adminiculis atque ſuppetiis vel ſordidiſſimi affectum frænantur, vela cupiditatibus contrahuntur. Cujus ſi quis mihi fidem derogare tentet, periculum faciat citra periculum. Supereſt, ut cum fati, lethique recordatione, læti Religioſi nullas paciſcantur inducias.

11. Quo percitus ſtimulo inclytus Rex Indiæ Joſaphat, ad ſanctitudinis amplexus atque poſſeſſionem occurrit; quis calcar ſubdidit? quis prætulit tædam? mortis ſeria, ſeveraque meditatio. Patre

tre procreatus (narrat Divus Joannes Damaſcenus) ſceleſto cœleſtibus mirum in modum deſtinabatur. Dum ille tempora diademate exornabat, idololatriæ ſordibus animum devenuſtabat, inquinabatque. Quò prolixiùs mentitis litabat Numinibus, ac thus adolebat; tantò veriùs Chriſticolarum flagellum, malleus, ac perſecutor oſtendebatur, ejuſque adoleſcebat iniquitas. Hinc timore repletus, ne nati oculis Evangelicæ Veritatis lux affulgeret; Ampliſſimo locavit palatio, quod Indi Regis potentiam decebat. Florentiſſimis ex Juvenibus aulam filio conflavit, in quorum cordibus lætitia triumphabat, in ore riſus, in pupillis vivacitas. Hunc ad invidiam felicem, inhilarabant proſpera quæque, deliciæ lenocinabantur, remotis, quæ animum erant funeſtando. Semel autem Regiâ egrediendi, impetratâ copiâ, leproſum atque orbatum luminibus obvios habuit. Ad infelix ſpectaculum contraxit ſupercilium, ac miſerrimæ ſortis calamitate attonatus; intrinſecus humanæ naturæ deploratam conditionem, hactenus ſibi ignotam, deflevit: qui mundum, ceu campum Elyſium, tranquillâ pacis ſerenitate gaudere rebatur; Mox occiduus occurrit ſeniculus, calvitie laborans, lachrymis deciduis horridus, cruribus denudatis, in quibus vulnera rebellabant, tremulum veſtigium ægrè moliens: ceu effoſſi ſui tumuli præludia circumferret, eſſetque vivum ſepulchrum. Joſaphat in admirationem raptus, prorupit: *Et quidnam tam inſolens ſpectaculum?* Aulici reſpondêre: *Hic ætate valde provectus, ut, paulatim decedentibus ipſi viribus, membriſque imbecillitatem contrahentibus, ad hanc, quam cernis, ærumnam, pervenit.* Inſtar Juvenis, *Et quiſnam ipſius finis eſt?* Audias; *Nihil aliud, quàm mors ipſum excipiet.* Ah! quid ſibi vult mortis nomen, annunciare mihi, mei fidi? *Omnibúſne hominibus hoc propoſitum eſt, an quibuſdam duntaxat contingit?* Utinam ita non eſſet, ô nos afflictos! *Niſi mors antevertens aliquem hinc abducat, fieri non poteſt, quin temporis progreſſu ſtatus hujuſce periculum non faciat.* Quo autem anno hoc continget? Nullus ergo ſupremam neceſſitatem eludet, nulli declinare datur? circumſtantes apponunt: *Octogeſimo, aut centeſimo anno ad hanc ſenectutem homines perveniunt, ac deinde moriuntur. Nec aliter fieri poteſt. Debitum enim naturale mors eſt, hominibus ab initio impoſitum. Neque ullâ ratione ipſius adventus vitari poteſt.* Igitur Joſaphat ſecum ſeriò reputans ſæculi vanitatem,

inquit:

inquit: *Ergóne me mors aliquando corripiet? & quiſnam erit, qui mei poſt mortem meminerit, cùm tempus omnia oblivione contriverit? num præterea morte functus in nihilum diſſolvar; an contra altera quædam vita eſt, & alter mundus?* Ergo Barlaham Monachus, ſub gemmarii ſpecie perſonatus, orthodoxæ fidei dogmatibus imbuit Joſaphat. Hic Sacro fonte ablutus regeneratur; Patrem à vano Deorum cultu avertit; Regno valedicit; in deſertum penetrat; Sanctorum catalogo adſcribitur. Ergóne cum monaſtico cucullo purpura mutatur? tantum mortis cogitatio præſtat. Ad mortis nomen, ipſiſſimus Chriſtus, homo & DEUS, contremiſcit, turbaturque.

12. Non me fugit, orante invicto Redemptore, mœrorem ſe inſinuâſſe infracto animo: *Factus eſt ſudor ejus tanquam guttæ ſanguinis decurrentis in terram.* Quæ verò ſperatur ſerenitas ex rubente Occidente, cùm ex integro triſtitiæ cimmeriis obnubilatur, atque funeſtatur? *Cœpit contriſtari, & mœſtus eſſe.* Totus in ſanguineas guttas liqueſcit, fortaſſis uberiùs roſas tincturus, ut, deteſtabilis ingratitudinis monſtro, quondam ſpinas ſuppeditent venerando capiti, terque ſacris temporibus aculeos miniſtrent? an Lucifer novâ belli mole cœlum impugnavit, denuo labentibus Stellis cruore conſperſis? fuerit fabuloſa ſanguinis effuſio, Veneris erumpens pede (quemadmodum ſermo promanat) quem ſanguinem emittit Chriſtus, verus amoris DEUS, omni carere figmento cognoſcimus. Ex deciduo Gorgonum ſanguine, monſtra naſcebantur. Ex hoc verò ſanguine, vitiorum duntaxat domitores naſcuntur. Quæ igitur monſtra Chriſtus aſpicit, quòd immanè terreatur? qui Leones inſurgunt ad devorandum, ut adamantina cœli conſtantia quaquaverſum nutet, ac vacillet? Divi Gregorii ruminetur oraculum;
l. 24. mor. c. 12. rem eodem revolvi, comperiemus: *Redemptor noſter, appropinquante morte, noſtræ in ſe mentis certamen expreſſit, qui vim quandam terroris ac formidinis patimur, cùm pro ſolutione carnis æterno appropinquamus judicio.* Magis autem ad noſtrum facit argumentum Divus Hilarius: *Factus eſt ſudor ejus tanquam guttæ ſanguinis decurrentis in terram propter mortem.* Ex Chriſto mortis recordatio ſanguineas ſtillas expreſſit; vóſque, ô Religioſi, nullum inde haurietis timorem, nullum cupiditatibus frœnum injicietis? vel ex duriſſimo ſilice eliciat

ciat cœleſtium ignem fati memoria, neceſſum eſt. O Religioſi Narciſſi; quoties cogitationes eguntur ad ea venandum, quæ veluti Tantali, poma, unquam impetrari nequeunt, quibuſve obtentis amaritudo pœnitudinis accumbit. Præſtat ergo mortis teneri memoriâ.

13. Digito cœlum tentari poſſe, inacceſſum videtur. At omnis Religioſus Narciſſus retro reſpiciat, manuque mortem attinget, quam magis diſtare rebatur, atque cœlum à terrâ; hocque, quoniam anni avolant, ac præcipitant. Adſit Religioſiſſimus Franciſcus Maria de Monacho; cui par erat ingenii, calamíque velocitas, utrumque verò ſubtiliſſimum. Amœnos inter Pindi flores ludit, erudiendæ poſteritati veritate.

In Horoſcopum.

Aſpicis exiguo currentia ſæcula muro,
Pictum multiplici tramite, rete vides.
Hoc velut anguſto transfigitur icta theatro,
Hoc, vel arathnæo ſtamine vita cadit.

De eodem.

Conſpirant faciles lineæ in horulas,
Cuſpis lux numeris, ac umbra fugacior,
I nunc, & ſtabiles puta
Soles integer aureos.

Oriens.

His, ô te numeris inſequitur dies,
Cùm primò rutilam mane quatit facem.
Nox nate, & celeri gradu,
Concludente feretro.

Meridies.

Lentis ſe comitem greſſibus ingerit
Heu, te decipiat; Phœbus honoribus,
Clarus qui graditur, cadet
Fuſcæ præda tenebræ.

Occidens.

Pulchri, qui raperis luſûs imagine
Umbræ, qui raperis tactus honoribus;
Lux hæc, te doceat cadens,
Certum ſtare cuique diem.

Certum, amariſſimum, terribile lethum eſt. De morte propinqua Cap.15 quidam Rex exclamavit in primo Regum: *Siccine ſeparas amara* 32. *mors?* Divus Hieronymus ita prompſit: *O mors, quæ fratres divi-* Ep. 3. ad Eli *dis, & amore ſociatos, crudelis, ac dura diſſocias.* Non tamen quis in- ed. ficiabitur, Religioſis mellitiſſimam contingere.

15. Divus Petrus Chryſologus ad Joannem Baptiſtam, Hero- Ser.127 demque reſpiciens, admonet: *Scire tamen nos convenit, quia & Joannes de morte ſuâ natus eſt, & de natali ſuo mortuus eſt Herodes.* Juſtis quippe mors eſt vice natalis, impiis autem vera mors. Laudabilium Religioſorum obitus, dulcem redolet ſomnum, penes Re- Pſ. 26. gium Vatem: *Cùm dederit Dilectis ſuis ſomnum.* Apoſtolus Paulus pariter: *Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur;* Græcus legit: *Sed non omnes dormiemus;* quoniam ut Sancti non omnes excedunt. Hinc Chriſtus de extincto Lazaro verba faciens: *Lazarus amicus noſter dormit, ſed vado, ut à ſomno ſuſcitem eum.*

16. Hæc dulcedo moralis, probæ vitæ partus, unus extitit inter alios ſtimulos, unde tot Martyrum agmina, deſiderio profundendi ſanguinis, aggrediendi mortem haut temperabant. Hinc exultantes Barbaris crudeliſſimæ tyrannidis machæris, cervicem inflectebant. Hinc adamantino pectore lanienas, atque carnificinas anhelabant, omnibus crudelitatum generibus provocando inſultantes. Hinc tot Religioſorum millia, Numini ſedentium in tenebris animas lucratura, inhoſpita petere non dubitârunt; geſtiendo, proprii ſanguinis effuſione, Oceani fluctus augere. Nec deſunt Religiones, quotidie glorioſas Catholicæ Religionis palmas, ſuorum filiorum ſanguine irrigare. Attamen, velut indomiti Cerberi, quamplurimi ſæpius ſacros Ordines allatrare lætantur. Hujuſce farinæ oblocutores propriam dediſcant inſaniam, Divo Auguſtino Magiſtro, hujus exempli adminiculo. Religio, inquit Doctorum Aquila, æmulatur aream, ubi

ubi & granum ſervatur, & palea. Corruptus autem Orbis vitio vertit, cùm animadvertit, levem paleam vehementi tartarearum tentationum vento auferri; quando ſemet ædificandi neceſſitas urget, aſpiciendo proborum granum, quorum exemplo tot paſcuntur animæ, cœleſteſque repleantur areæ; *Inique, invide, aream inſpicis, qui totus in paleâ es, non tibi facilè grana recurrunt: quære, & invenies populum gravem, in quo laudes Dominum.* Digna Cedro ſententia!

17. Tu verò pretioſo Religioſi titulo indignus, te levem agnoſcendo paleam; quò minùs tartareo rapiaris, diſpergariſque vento, te firma ſepulchralis lapidis pondere, utque ſubtraharis vehementibus venti formidabilis impulſibus, foveæ penetralia ne diſpudeat eligere. Mortem recogitans, virili propoſito tuæ vocationi fac ſatis, Religioſe Narciſſe. Profiteris vitæ ſanctitatem; ſinguli verò Sancti totos ſe Numini mancipant. Tuarum theatra pomparum ſint Japan, India, Mengrelia. Quàm dulce mori eſt pro DEO inter tormentorum acerbitatem! quàm ſecurus manet obitus ſecuri percuſſum, in Numinis gloriam! Non te terreant aculeorum languores, ſpumeum candentium doliorum ebullire. Anaxarchum haut expugnavit immitis tyranni crudelitas; nec lachrymulam extorquerunt tormenta ab illius oculis, nullum ore lamentum: qui voce quà intrepidâ, quà jucundâ ingeminabat. *Tunde, tunde Anaxarchi fellem, Anaxarchum enim non tundis.* Quoniam autem tantùm valet virtus moralis in Gentilis corde, cujus erit roboris in Chriſtiani pectore evangelica? magnanimam generoſitatem, generoſam magnanimitatem illa cogitatio inſtillabit, ita me munivi adverſus vitia, talem vixi vitam, cui mori vivere continget. Nunc ex diametro expendito, in nullâ temporis circumſtantiâ, mortem ſtitiſſe ſe magis debacchantem atque lymphantem, quàm cùm in Martyrem Laurentium, tranſverſæ copulata fortunæ, effrenes evomuit furores, ſpumans in excidium innoxii; Illius corpus ſexcenti circumſtabant carnifices, qui, ſævitiæ rabie animati, certatim artus dilacerabant. Non ſufficiebat unicum corpus tot vulneribus, una anima tot dolorib[illegible] unus homo tantis feris. Ita flagellis dilaniatus, ignitæ craticulæ [illegible]as, ponitur. Moribundis artubus frigidi ſudoris emanabat uber[illegible] imſciſſis venarum tractibus calidus cruor, fractis oſſibus med[illegible]tas, ditis carnibus fumus, conſumpto cadavere ſpiritus. Att[illegible]
[illegible]men oculus

nec lachrymulam eliciebat; nullam pectus doloris acerbitatem egerebat, quem neſciebat; nullam dulcedinis notam edebat, quà perfundebatur intrinſecus, utque nullam igni refrigerationem adornans, quò protractiùs, eò crudeliùs occumberet; Vel medius flammaſcentes inter ignis linguas, linguâ carebat, unde ſuarum pœnarum ſenſum annunciaret. Una duntaxat lætitia, cordis anfractibus erumpens, labiorum miniſterio, oreque famulante tonabat: *Aſſatum eſt jam, verſa, & manduca.* Compoſito igitur ad hilaritatem animo, placidiſſimè obeunt Sancti. Si tibi, ô Religioſe Narciſſe, par eſſet fervor, ſicuti tuæ Religioni, non alibi inhiares tumulo, quàm in puteo obducto acutis Chinæ uncis; nec deponeres cineres, quàm in accenſo Japonis rogo.

18. Ut igitur pro Chriſti gloria martyrium ſubire non dubites, ac fortiter dato ſanguine coroneris, Bethlehem cogitationum alis volato; quò Herodes, ſuam ſaturaturus crudelitatem, carnificum copiam transmiſit; ſtatuitque, in Civitate Bethlehem, quæ panem ſuo nomine ſignat, caro minimè deeſſet, atque deficeret; Ibi crudeliſſimam innocentium ſtragem juvabit expendere. Funeſtatas per Urbis plateas, perque compita ferreum flumen inundat; cui ex trucidatorum infantium ſanguine tributum accedat. Horrendum ſpectaculum, parque tragœdia; cui quòd ſuis coloribus minimè pingendæ ſim, ſtuporeque defigar, Divo Auguſtino exhibendam ex compoſito relinquo. Truculenti miniſtri ſcintillantes acinaces rotant, ubi nullam delictorum umbram offendunt. Inter ferri fulgura, gladiorumque jubar, matrum corda triſtitiæ nubibus velantur, nec irriguæ lachrymarum venæ frœnum injicere maturant. Amoris æſtu debacchantes, ſexcentis ſtratagematibus proprios celandi ſatagunt partus, dum hi vagitibus obſtrepentibus ſeſe propalant. Obmuteſcendi ſeſe probabant ignaros, quoniam nondum pavere didicerant; Cum matre carnifex, cum carnifice mater luctabatur, reluctabaturque lacertoſo ſexui mollior ſubjacere. Ille à ſinu lactentes avellere conabatur, hæc pectoris penitiſſimis inſerere, exclamando: *Quid ſeparas à me, quem genui ex te? ſimul occide cum parvulo matrem. Si culpa eſt, mea eſt. Si non eſt crimen, junge mortem, & libera matrem.* (*Ser. 1. de Inno.*) At non aures accommodat ſupplici, ceu Crocodilus magis, magiſque lachrymis exaſperatus. Inde illo in gremio infantem evitat, ubi

vitæ

vitæ natales paulo ante hauſerat, vixque natus denaſcitur. Priùs parvuli mortem guſtârunt, quàm lethale ferrum agnoverint, quos genitrix lactans, inani ſpe lactat. Tepidus ſanguis, velut coccineis ſolum obducit; ſemitæ ſeminantur truncatis capitibus, reciſis brachiis, ſectis corporibus, minutatim exenteratis viſceribus, *grande martyrium*, Hipponenſis eructat: *Crudele ſpectaculum?* tunc expletum agnoſcebatur Jeremiæ vaticinium: *Vox in Rama audita eſt, ploratus, & ululatus multus: Rachel plorans filios ſuos, & noluit conſolari, quia non ſunt.* Sub Rachel nomine, Catholica adumbratur Eccleſia; quæ nullum admittit ſolatium in afflictorum levamen, detergendiſque oculorum lachrymis ob natorum interitum. Rationi videtur hoc abſonum; Aſt Divus Hilarius enodat hunc Gordium, hos griphos reſolvit: *Noluit conſolari, quia non erant mortui, qui mortui reputabantur, in æternitatis enim profectum per martyrii gloriam afferebantur: conſolatio autem rei amiſſæ, & non auctæ erat præſtanda.* *Cap. 1. in Mat.* Coronatorum Martyrum mors, non mors, ſed vita dicenda venit. Animæ purpuram veneror vultûs pallorem; putatoſque horrores in jucunditatem migrare, incompertum haut eſt. Recenſitis mihi ſuffragatur Divus Bernardus: *Terrentur licet Martyres, rident; feriuntur, & gaudent; occiduntur, & ecce triumphant. Quare? quia morte charitatis intus in corde jam dudum mortui peccatis, mortui Mundo, tanquam inſenſibiles facti, nec minas, nec tormenta, nec mortem ſcire potuerunt.* *Ser. de vit.* Igitur eatis, jucundi, Religioſi Narciſſi, fortes, invictique Chriſti pugiles. Læti properate ad Africanas oras, lætitiâ triumphantes barbaras ad arenas petitote, cœli dogmata ſeminaturi. Feſtinate, anhelate immite ferrum, catenas, tormenta, quicquid excogitando ſe parem jactat inhumana crudelitas; Vos palmæ manent, invictos, alacreſque expectant coronæ. Tenella Thereſia, ſeptem annorum, in Africam ſolvere nullatenus dubitavit. Huic vos comites jungite.

IMPERATORES, REGES *CUM* PRINCIPIBUS, *AD* FONTEM.

CAPUT VI.

1. Mors, quæ horrore armata, mortalium cordibus plurimum formidinis infundit: Mors, cujus decreta montis firmitudinem ſuperant, cujus executio ventorum pernicitati antevertit, longis poſt ſe paraſangis turbinum præcipitium relinquit: Mors, indocilis flecti, ſurda precantibus, quæ tigridem, aſpidemque æmulata, nullum indulgentiæ locum agnoſcit; quæque mobilior obtutibus, ipſis cogitationibus velocior, ſupra fulgura rapida, humanæ ſobolis inhiat excidio: nil aliud audit, quam funeſtus enormis reatûs effectus, quo Protoplaſtus univerſam poſteritatem inauſpicatò corrupit, ac infecit: *In quacunque die comederis ex eo, morte morieris*, ſonat ſacrarum Paginarum periocha. Quoniam autem tunc temporis Adamus, totam involvebat, repræſentabatque naturam humanam, extitit fons, ac origo vitii, quod in ramos à radice fuit transfuſum; ut Adam, delinquente, reoque, in illo omnes erraverimus, *in quo omnes peccaverunt.* Ac quemadmodum ille noxius mortis ſententiâ fuit fulminatus, eò magis ob illam mortem nos mortales efficimur *ſtatutum eſt hominibus, ſemel mori.* O Imperatores, ô Reges, ô Principes, major oſſium, quàm lapidum numerus, noſtris ſubjacet pedibus. In hâc terrâ nos detinere nequimus, quin vacillanti veſtigio noſtros calcemus Majores, & Prædeceſſores: rurſus ſi nos vita ſuſtentat, nos avitâ morte ſuſtentat. Indiſcriminatim crudele fatum parvulos invadit, atque canitiem. Suis

S. Paul ad Ro. 3

Suis triumphis tam virilem, quàm fœmineum ſexum conterit, editaſque turres, ut humiles caſas inſultans proſternit: *Æquo pulſat pede pauperum tabernas, Regumque turres.* Horat. Animadvertite, ò coronati Narciſſi, in ſecundo Regum vix Davidem Regio Diademate ſibi tempora redimire, vix aureum ſtringere Sceptrum, ac Imperium capeſſere in Judæ Tribum; cùm ſubitò *ait Dominus ad eum: Aſcende in Hebron. Et imperavit in Hebron ſuper domum Juda.* Cur autem id non contigit in vaſta Jeruſalem, quæ vaſtiſſimi Regni Regia, Caputque colitur? curque Regalis Aulæ magnificentiâ, novum ſuæ Patriæ ſplendorem Bethlehem conciliare minimè conatur? Rationem à Lirano mutuemus: *Quia in Hebron ſepulti erant principales Patriarchæ.* Quaſi vellet innuere: Quoniam Iſraëlis Primates hoc in tumulo nuda jacent oſſa, num hæſitas, illis tua pariter eſſe copulanda. Licèt Monarcham te ſuſpiciat Orbis, venerentur populi, ſubditi cervicem inflectant; attamen humanæ fragilitati tributum tibi ſolvendum eſt, ut aſpexeris, ſuperba ſpolia mortis imperio, tuos ceſſiſſe Majores. Hinc Samuel Propheta, qui Saulem Regem nactus fuerat, quem ipſemet in Regem unxerat; novo Dominatori mandavit, ad Rachelis ſepulchrum properaret, noſceretque vix Solium aſcendens, ex iiſdem tabulis tam tumulum, quàm thronum compaginari; radios Regiâ Coronâ emiſſos, obſcurandos eſſe funeſtis ſepulchri tenebris; purpureum paludamentum, coccino tinctum, in candidum linteamen migraturum, in funeſtam Sindonem; regnantem anguſtâ foveâ claudendum eſſe; dominationis amplitudinem anguſtandam in tumulo: & quem pretioſus vermis hodie molliter veſtit, cras alterius vermis rabidis morſibus diſcerpendum eſſe. Samuel itaque mortis memoriam ingerere ſtudebat, evincendo, generatim illam cunctis dominari, tam Regi in Aulâ, quàm agreſti in tugurio, tam infantibus inter incunabula, quàm ſponſis in nuptiis ſolemnitatibus; Senibus ad ignem, nautis per undas, belli militibus, in muſæo literatis, doctis in cathedris, in ſuggeſtu Concionatoribus, in foro Judicibus, in ſede Prælatis, in palatiis Principibus, inter Regias Monarchis. Ubique Gentium crudelis mors ſuperba ſua trophæa lætatur explicare. Probè fateor, Henoch ac Eliam in terreſtri paradiſo vivere; attamen mortis legibus obtemperare cogentur. Antichriſti furori patentes, publicò in foro dilaniata

niata jacebunt cadavera; confirmabuntque, quòd *ſtatutum eſt hominibus, ſemel mori.*

2. Hâc potiſſimùm ratione, illorum Magnatum audacia frangatur, qui veritatis ſententias, luce meridianâ clariores impudenter impugnant, ac damnant, & adverſus illius aſſertores vehementiùs inſurgunt. Ego, Chryſoſtomus exclamare videtur; aſſociatus Davidi, terræ gyrum circuivi, obtutuque in arridentis fortunæ ſuffragiis evectos defixo, lacertoſóſque rimatus ut Cedros Libani ſublimatos, immortalitatis munere gaudere nullatenus ambigebam. Inde progrediens, ſingillatim unumquemque illorum
Pſ. 36. quærendo, non reperi: *Tranſivi, & ecce non erat.* Aut, ut legit Chaldæus: *Defecit à ſæculo, tranſivit de Mundo.* Aſſuerum vidi, qui Æthiopiæ, Indiæque in vaſtiſſimis moderans Provinciis, noctem, diemque ſubjectum ſortiebatur: Suorum ſtratorum pretioſa ſpectavi; cubilium mirabar nitorem, auro radiantium, quæ digniùs percurreret oculus, quàm planta: aſpexi illius opiparas dapes, lauta prandia, tentoria gemmis onuſta, purpurâ, byſſoque venuſta. Inde reverſus exploravi eum, nec offendi; *Tranſivi, & ecce non erat.* Semiramidem vidi, quæ Aſſyriorum Regina ſedebat in Babylonis throno: Flavam intuitus ſum comam, purpurea labia, oculorum fulgorem, quem Solem ſi quis intuitus fuiſſet, mentis lumen excœcâſſet; deinde *tranſivi, & ecce non erat.* Nabuchodonoſorem vidi, cujus ſuperbia Stellas provocabat, cujus effigiem auro cœlatam, fuſámve ſcimus, ne ex terrâ viſa opprobriis pateret. Vidi, quòd tonantem æmulaturus Jovem, Holofernes mittebat belli fulmina; deinde *tranſivi, & ecce non erat.* Zenobiam vidi Palmyrenarum Reginam in Orientis Regnis; vidi ſcintillare Phoſphorum ſui vultûs, qui poſtmodum ab Aureliano ſuperatus, in heſperum migravit; vidi illius faſtoſum pedem Tiburis campis inerrantem: Ita, ut cùm ſpoliatam ſe doluerit ſubditorum obſequiis, florum venerationem collegerit, vento agitatorum; deinde reverſus ſum, *tranſivi, & ecce non erat.* Vidi ſupra pontem Horatium, Catonem in Utica, in Capitolio Pompejum, ad Nili fauces Marcum Antonium: *Inde tranſivi, & ecce non erant. Defecerunt à ſæculo, tranſierunt de Mundo.* Proinde Chryſoſtomus ratiocinatur: *Talia*

enim

enim ſunt humana, & carnalia; nondum rectè advenerunt, & avolarunt. Statutum eſt hominibus ſemel mori.

3. In Sacris Paginis, ſub aquarum ſymbolo veniunt ſubditi, ſub ſpumarum hieroglyphico Reges. De illis Joannes effabatur in Apocalypſi: *Aquæ, quas vidiſti, populi ſunt.* De his Oſeas mentionem Cap.17.
fecit: *Tranſire fecit Samaria, ſicut ſpuma, Regem ſuum.* Se aquæ in Cap.10.
mare præcipitant, in abyſſo pereunt. Spumæ in ictu oculi evaneſcunt. Ita momento ſubducuntur & ſubditi, & Reges; *Omnes morimur, & ſicut aquæ dilabimur.* Futura cogitatione proinde uterque præcipiant.

4. David in Sacris Paginis identidem Regis titulo gaudet. Morti verò proximus, aliam ſortem expertus eſt, *appropinquaverunt dies* Eccl.
David, ut moreretur. Dormivit igitur David cum Patribus ſuis. Ac- c. 8.
celerante quippe letho, nec latum unguem Regis prærogativa ſuffragatur. Sic animadvertit Rabbi Salomon: *Cùm ſæpè David decoretur Regis titulo in Scripturis, cùm de morte agitur, ſola nominis, prætermiſsâ dignitate, fit mentio.* Igitur, Principes, Reges, cum Imperatoribus defunguntur; Voſque coronati Narciſſi, ne detrectetis vos in Fonte rimari, moram præcipitate, uti rationem detur expiſcari, cur Veſtra Regia Majeſtas amiciatur, decoreturque rubeſcente purpurâ. An ab algoſo Tyrii æquoris fundo, ut majus pretium accedat, derivatur? Ergo argumentatur Ambroſius: *Aquarum eſt,* l.6. Ex.
quod in Regibus adoratur; aquarum eſt ſpecies illa, quæ fulget. Scito- c. 2.
te, ô Narciſſi, ad Fontem Veſtras Purpuras maris partus occurrere; inconſtantiam vice hæreditatis habere, à Pelago, ceu ſuo à parente, mutuatam, atque communicatam, quantocyus venuſtate ſpoliari, haut ſecus atque levi ſufflatione, marini fluctus momento ſuis cœruleis deſtituuntur illiciis. Mihi dicere videtur Ambroſius, quæro Cyrum, qui, ut pretioſiore purpurâ involveretur, trucidatorum Monarcharum ſanguine illam tingere tentavit; Invictum quæro Xerxem, qui Mundum ſubjugare moliebatur inſtructiſſimis copiis: Aſtyagis inſiſto veſtigiis, cujus gratiæ momento degenerârunt in furias: Cambyſem venor, cujus triumphali quadrigæ Medi, Perſæ, Ægyptii catenati alligabantur: Mihi Darius haut occurrit, ut Sol orientis in oriente adoratus: Alexandrum quæro, cui animi magnitudini, brachiiſque Orbis erat anguſtus: Cæſarem

quæro, qui, proprio nomine Mundum implendo, ſuæ fortitudinis famam aduſque Nili accolas emiſit: Tiberium quæro, qui hortos heſperidum ad nudos Caprearum ſcopulos tranſvexit, illaſque in ſpecus Elyſios: Immò ejus quæro Sejanum, illum felicem infelicem Sejanum, qui licèt Imperatoris decore minimè honeſtaretur, Imperatori tamen pro arbitratu imperabat. Quò ſolertiùs quæro, eò turpiùs defraudatus recedo. Arguere licet, auras fuiſſe, avolâſſe; fumum, qui flante vento diſperditur; Bullas, quæ turgendo evaneſcunt; caſſa inſomnia, larvas nocturnas, fucata mendacia. Ubi nunc tot purpuræ quærendæ, quæ ſuis pontum depauperârunt muricibus? Quò receſſerunt tot ſplendidiſſimi Monarchæ, cum innumero Regnantium, Imperatorumque numero? ut umbra evanuerunt, corporibus in cinerem diſſipatis, animabus tartarorum flammis addictis. Et quamquis cœca Mundi vanitas, illis perennandis Coloſſos erigere laboret, marmoriſque ſoliditate æternam illorum memoriam ad Poſteros devolvere; his tamen non obſtantibus, nova edacis temporis ludibria, atque trophæa conſtituuntur. Ergo *aquarum eſt, quod in Regibus adoratur; aquarum eſt ſpecies illa, quæ fulget.* Divus autem Baſilius, ad regnantem converſus, talibus illum alloquitur: *Circumſpice eos, qui ante te ſeſe ſplendoribus efferebant.*
Orat. de mor. *Ubinam ſunt illi, qui civilibus dignitatibus ornati erant? ubi invicti? ubi Duces? ubi Tyranni? nónne omnia pulvis? nónne fabula? nónne in paucis oſſibus memoria vitæ ipſorum conſervatur?* Ad inſtar illorum, qui mapalia incolebant.

5. Nabuchodonoſori ſublimis apparuit ſtatua, diſtinctè ex auro, argento, ære, ferro, cretaque conflata. Hìc diverſi mortalium ſtatus, atque conditiones exhibentur; Siquidem in auro Reges figurantur, in argento Magnates, in ære mendici, in ferro fortes, in
Daniel. c. 2. 35. creta populus. Ergo deciduo exiguo ſaxo à montis ſupercilio: *Contrita ſunt pariter ferrum, teſta, æs, argentum, & aurum, & redacta quaſi in favillam.* Voſque, Regii Narciſſi, in veſtrum emolumentum notate illud, *contrita ſunt pariter*: quandoquidem æquâ lance Monarcha, quàm feſſus bubulcus in fata concedat, *Simul in unum dives, & pauper.* Et vos ex mortalium grege ex Divino Decreto noſcimini. Juſſit, quod David expreſſerat: *Et gloriam meam in*
Pſ. 7. *pulverem deducat.* Liranus: *In pulverem, per cadaveris mei incine-*

ratio-

rationem. Quid ego dixi? Vos duntaxat mortales? vitæ perpetuitatem veſtris excutite mentibus, vel Civitatibus defungentibus, corruentibus Regnis; & quoniam univerſus Orbis ſepulchrum occurrit, vobis vanitatis contemptus create, ac ingenerate.

6. Cain accinctus coronandis Urbium ampliſſimis, prævalidorum mœnium ambitu, regionem quæſivit, *Haid* nomine; quod vocabulum noſtrâ vernaculâ ſonat terra fluctuans. Divus Cyprianus ſuper hoc obſtupeſcens, ita effatur: *Mundus ecce nutat, & ruinam ſui, non tantùm ſenectute rerum, ſed fine teſtatur.* Ubi nunc Troja eſt, quæ quondam turritis circumdata muris, aut Aſiæ ſe Reginam coronabat, aut oppidò Aſiam ſinu circumſcribebat? ubi modò Megara quàm inclytiſſima? cujus ſtructuræ cùm impar haberetur ſoli fortitudo, Poli mutuabatur præſidium, deſcendente Apolline. Ubi nunc celebres Syracuſæ, quæ quatuor in Urbes partitæ, ob populi frequentiam, cum quatuor mundi partibus contendere videbantur. Ubi nunc ampliſſima Babylon, ubi Semiramidis faſtus centum turres erexerat; ut in ſuſpenſo ſim, an in ſui munimen, aut ad inferendum Syderibus bellum? ubi nunc celeberrimæ Athenæ, quarum magnitudinem ſuper Sphærarum ſublimitatem evecturæ, geminæ Academiæ, queîs florebant, pennas Famæ ſuppeditare gaudebant? imò ubi magna Roma? ubi Roma, magnitudinis theatrum? quæ parvúſne foret mundus, aut mundus magna Roma, peregrinus oculus definire neſciebat. Tam lacertoſi corporis moles, exciſis magnitudinis nervis elanguit; ex cujus proſtrato cadavere, cum urticis vermes pullulavêre, cimmeriis undique regnantibus: *Ecce tibi tenebræ occurrunt*, Auguſtinus conqueritur. Horrores, mutilatæ ſuperbi faſtûs reliquiæ apparent, *ecce, tibi tenebræ occurrunt*. Quære, ubi ſteterint tam magnifica ædificia? *Nihil invenies*. Cur? *Mundus ecce nutat, & ruinam ſui non tantùm ſenectute rerum, ſed fine teſtatur.* In ſe Roma tumulata jacet; quæque ſuis tellurem calcavit triumphis, omnibus protrita jacet. Carthago deſtructa eſt, raſtróque lacerata, videtur ſibi pectus diſcerpere, utpote reſurgendi impos. Athenæ ceciderunt, cujus muri ſuis calamis fragiliores inventi ſunt. Proſtrata Babylon ſordeſcit. Syracuſæ illuſtrium titulo ſpoliatæ ſunt, utut deſtructis illarum palatiis, Sol lucidior affulgeat. Megara ſuas inter flammas obſcurior effecta eſt,

Fer. in Gen.

Ser. 8. de immor.

in Pſal. 123.

atque in favillam reſoluta, nunquam è cineribus, redivivus Phœnix, in libertatem ſe vindicavit. Trojæ nomen inane eſt, *& campus, ubi Troja fuit.* Tuque pervetuſta Capua, cujus interventu Tyberis turbidas aquas evolvebat; quæ tuæ planitiei tractibus, ſeptem Latinorum collium eminentiam æquabas, ubinam es? tu quoque mortis præda facta es; nec quidpiam ſibi vindicat antiquitatis, præter ſuorum theatrorum reſiduum, ceu lapidem ſepulchralem, cui inſculpatur hoc Epitaphium: Hic fuit, quæ in mundi ornamentum adhuc eſſe deberet. Digna ſtare quæ jacet. Ubi ſunt Mycenæ, Ninive, Memphis, Ægyptia Thebe? pabulantur armenta, ubi olim populorum coloniæ coaleſcebant. Ubique locorum, Dominatores Regnorum, aſpicitis Urbium umbras, in ſemetipſis tumulatarum; atque ſi quis has inter umbras ſedulus explorator aderit, *nihil inveniet*: ut jure meritiſſimo Senecæ dicere licuerit: *Nihil privatim, nihil publicè ſtabile eſt; tam hominum, quàm Urbium fata volvuntur.* Ep. 91.

7. Opinionis eſt Philo Epiſcopus, Cain, ac Abel uno partu in lucem editos fuiſſe; tametſi diſpar contigerit ſors, hujus paris, primorumque mundi gemellorum. Hinc notare juvat, *Cain* audit *poſſeſſio*; *Abel* idem eſt atque *vanitas.* Ceu terrenorum poſſeſſio bonorum, atque vanitas individua ſint. Hinc malignus ſpiritus Chriſtum duxerat ſupra montis ſupercilium, *& oſtendit ei omnia Regna Mundi in momento temporis*: quoniam haut diutius momento durant, ſuffragante Chryſoſtomo: *Archidæmon in puncto temporis omnia Regna Mundi cœpit, & gloriam eorum; & cum omnibus viſus eſt, ut cum omnibus evaneſceret.* Cùm igitur Urbes moriantur, cùm ædificia corruant, cùm proſternantur Cariæ Mauſolæa, Ægyptique Pyramides; quæ cadavera conſervando, ad immortalitatem aſpirant, at labendo caſu cineres aggerant, quos ſervant. Si moriuntur hæc, queîs ex ſaxo eſt anima, totaque marmorea ſunt; quid de vobis fiet, ô Reges, ô Reginæ, ô Principes, viri ac fœminæ, quum ex carne, & oſſibus conſtetis, cùm ex cœno ſitis compacti, & originem derivetis à luto, ex quo in campis Damaſcenis Numinis manibus fuiſtis compoſiti. *ap. Lippom. in Cat.*

8. Quoniam ſuperiùs de campo Damaſceno mentionem fecimus, mihi occurrit Adamus, qui vix ex nihilo erutus, totius poſſeſſionem obtinuit. Haut anguſto gyro illius Sceptrum circumſcribeba-

bebatur; quippe Stellæ, Luna, Solque vaſto Regno lucida ponebant confinia. Aſia illius extitit penum, piſcina pontus, hortus Europa, aër auceps, Africa tam ampla Regio, belluarum læthum theatrum, opibus illius præerat America, theſaurarii vice. Sed ecce, quòd ſomno corripitur; jubenteque cœlo, Eva ex mariti dormientis coſtâ natales ſuos derivavit. Hanc latere egredientem agnoſco, velut enſem, unde cor viri feriatur, vulneretùrque. Infelix Adam! Tuis ipſemet oſſibus irrevocabilem tibi fabricâſti ruinam. Eva, licèt duro de oſſe formata, attamen admodùm ſe probavit teneram averni ſuggeſtionibus. Vetitum fructum audaci rapuit dextera; ſiniſtraque poſteritati paravit, animo malâ ferrugine nullatenus puro, dum Adamo porrexit pomum, quem mortis victimam effecit, cùm immortalitate donandum inde mentiebatur. Supplantatus Uxori, tartaris ſubſannandus miſerrimus Adam, pomum guſtavit; qui fructus deplorato tam acerbus extitit, ut ipſiſſimum exacerbârit Altiſſimum: hinc irarum impotens, minarum ſpirans, ad reum ſeſe corripiens, altâ voce clamavit: *Adam ubi es*? ſub arboris tegmine, ſic fulminatus, abdidit ſe. Fortaſſis præ prævaricatione ſe vermem factum agnoſcens, inter folia ſe maturavit involvere, quæ pabulum illi miniſtrabant, imò ſuæ fragilitatis hieroglyphicum exhibebant. Illius plantæ foliis circumdedit ſe, ſub cujus ramis latitabat; tuncque viridibus induit ſe foliis, quando ſua ſpes jam erat exſiccata. Tandem egreſſus, neſcio, num ſtimulantibus conſcientiæ aculeis, ſatiúſve ex Numinis imperio, ſic effari ordiebatur: *Vocem tuam audivi in Paradiſo, & timui, eò quòd nudus eſſem, & abſcondi me.* Probè fateor, vitam meam converſam eſſe in umbram, in puncto temporis effluentem. Ad tuum adventum, ô DEUS, aufugi, erupi, evaſi; Siquidem ad Solis appulſum amant umbræ ſeſe fugæ committere, *& abſcondi me.* Et ad quem metam hæc omnia collimant, interrogat Philo? ſuperfluas ſugillo tot verborum ambages, ac involucra. Cùm DEUS hàs voces eructavit: *Adam ubi es*? Nunquid reſpondiſſe congruebat, nuſquam ſum. *Ad illud ubi es? propriè reſponderi poterat, nuſquam*: Quoniam culpæ corruptelâ in nihilum redactus, ampliùs haut erat. Quî verò? Adam utique in Paradiſo terreſtri morabatur; ibique corporis mole ſuum ſpatium, atque locum *circumſcriptivè* occupabat. Non, inquit Philo, *eò, quòd* *l. 2. de ſomn.*

 huma-

humana res nunquam in eodem ſtatu maneat. Vivit Adam: cùm autem in ictu oculi reſolvatur in cinerem, ac veluti ventus evaneſcit, *propriè reſponderi poterat, nuſquam.* Momentanea fuit Adæ vita, qui Regis Inſignibus decorabatur; attamen defunctus eſt, eſto totius mundi Rex agnoſceretur: quin imò in filios paternam imbecillitatem transfundens, in hæreditatem poſteritati breviſſimam momentaneæ vitæ reliquit uſuram. Deliramenta, palmaremque ſaperet fatuitatem, ô Regii Narciſſi, ſi in noſtro morali Fonte vos deprehendendo calamitoſos filios deplorati parentis, ſatóſque inauſpicata origine, atque propagine, Vobis perſuaderetis, humanitatem duntaxat hæreditâſſe, excluſa mortalitate, vitamque aut perennè duraturam, protractiſſimámve hauſiſſe. Caduca radix occurrit: Flos igitur magis continget caducus, experimento magiſtro; quandoquidem licèt per aliquot annos radix vegeta vivat, flos decoloratus, eadem langueat die, languidus inclinetur, inclinatus jaceat, jacendo in terram reſolvatur, unaque cum terra tumuletur. Vos omnes, ô Magnates, eritis Adæ filii. Vobis igitur reſtrictum vitæ ſpatium conceſſum eſt; & niſi excordes eſtis, quàm velociſſimè veſtros dilabi annos comperietis: *Homo* (aſſerit Divus Auguſtinus) *in mortem fertur præceps, ſicut aquæ pronus eſt in mare delapſus.* Non ideò, Regnantes, vobis longævitas contigit, quòd amicæ, propitiæque ſortis ſuffragia vos honore Principatûs dignata ſint. Parnaſſus fabulabatur, Polyphemo zelotypiâ laboranti Acin puerum ſaxo interemptum fuiſſe: quo loco videre eſt, noſtræ florem ætatis, dum maximè virere videtur, exſiccari. Quem DEI in flumen mutârunt evincendo, Divi Auguſtini effatum veritati conſentaneum reperiri: *Homo in mortem fertur præceps, ſicut aquæ pronus eſt in mare delapſus.* Acis in flumen converſus eſt, ubi vel undarum ſpumæ argenteis oſtendunt bullis, evaneſcere momento, vitæ momentum. Acis abivit in flumen, aſt Galatheæ Nymphæ dum ludit in ſinu; quaſi poſteritatem erudire tentet fabuloſa Gentilitas, ſenſûs fœtidam obſcœnitatem, carnis incontinentiam, potiſſimùm mortalium longævitati derogare. Acis migravit in flumen (cujus fama emanavit in vulgus) quoniam *homo in mortem fertur præceps, ſicut aquæ pronus eſt in mare delapſus.* Voſque Reges, quibus datum frænum injicere præcipitantium exercituum impetui, ferreorum fluminum, veſtri vitalis fluminis præcipitium, haut eſtis ſigen-

apud Cæl. Rod. l.6.c.23

figendo: neque gemmatorum pharmacorum adminiculo, pretioſiſſimiſve juſculentis punctum temporis veſtræ vitæ curriculo valetis adjicere: *Poſuiſti terminos ejus, qui præteriri non poterunt.*

9. Ergò, Reges, eſtis cinis, quemadmodum cæteri mortalium, ut qui muneris publici vacatione donantur, ut plebejus quiſque. Quin imò quòd Regiâ dignitate fulgeatis, faciliùs ab hoc mundo avelli poteſtis. In throni ſublimitate ſedetis. Cinis autem in apice locatus, celeriùs ventorum vi rapitur. Crebriùs editiſſima montium fulmina ferire conſueſcunt. Joſeph filius Jacob, qui inter fratres natu penultimus, ævum prorogaturus credebatur, omnium primus mortis victima occubuit: ob hanc cauſam, quoniam omnium Princeps colebatur. Unumquemque veſtrûm, ô Principes, etiam, etiamque oro, quæſoque, noſtri Fontis margini incumbat; ſuique explorator Narciſſus, humanam conditionem exactiùs rimetur: non autem in aquis duntaxat ſe contempletur, ſed *ponat in pulvere os ſuum, ſi fortè ſit ſpes.* Nam Divus Paſchaſius interpretatur allatum Jeremiæ Oraculum: *Principium eſt noſtræ perfectionis, in pulvere os* *in Tren.* *ponere, & momentis ſingulis, quòd cinis, quòd pulvis ſumus, cogitare;* *3. 29.* *ex quo rurſus ſpes nobis geminetur; ac dilatetur charitas.* Beda quoque talia ponderans exclamavit: *Id eſt, memoriam infirmitatis, & conditionis meæ, quam memini me pulverem, & cinerem eſſe; panis mihi eſt, refectio mea eſt.* Quò minùs ego inter Regalium pomparum oblectamenta exorbitem à rectitudinis tramite; ne meæ Majeſtatis jubare caligem, demittam obtutum ad meæ conditionis humilitatem, mei cadaveris pulverem contemplabor. Huic Regii Vatis exemplo vos reſpondete, ô Regnantes, ô Monarchæ! veſtris obſtrepit auribus, *anni noſtri ſicut araneæ meditabuntur.* Auribus autem *Pſ. 89.* percipitote, quod Antonii Patavini lingua dictavit; quæ lingua cùm in ſepulchro minimè marceſcat, ſepulchrales inter cineres igneam ſe probat linguam, Sanctique Spiritûs ignem: *Quid araneæ* *Dom.* *telâ fragilius? quid vitâ hominis corruptibilius? quæ minimâ læſurâ,* *poſt* *modicâ febriculâ corrumpitur. In hoc ſæculo miſer homo* (en noſtri Fon- *Pent.* tis ſpeculum, ô Narciſſe!) *cur nativitatis ſuæ vultum conſiderat, ſcilicet qualiter natus; quàm fragilis, quàm vilis, vel quid futurus, aliquando compunctionem, & pœnitendi voluntatem contrahit: ſed quia eſt auditor Verbi, & non factor, vani, & vacui gaudii amator; ideò ſta-*

tim obliviſcitur, qualis fuerit. Quoties vos ad trutinam expenderetis, ô Monarchæ, non tam veſtrorum vos jactaretis ſubditorum Dominos, quàm Numinis ſubditos agnoſceretis; populos judicaretis ad Aſtrææ bilancem, nec Vulcani malleo eos opprimere gauderetis; opes in pauperum ſolatium, atque levamen diſpenſarentur, atque diſtribuerentur; potentiæ meta præfigeretur oppreſſorum libertas; Politices dictamina eò collimarent, ut cœlorum Regno potiamini, non ad rapiendam finitimis pacificam Regnorum poſſeſſionem. Sanè Regnantes ſtomacharentur indulgere genio, niſi mortis contemplationem faſtidirent.

10. Quàm rari occurrerent Politici, quoties Principes jugem ſibi fati memoriam ingererent; quàm pauci Dominantium forent læti, lethi neceſſitatem expendendo! vellem Magnates refricarent conſuetudinem, ac cæremoniam, adhiberi ſolitam in inauguratione magni Cham, cùm Imperator ſalutatur Catajæ; ut quid mortis animis affricent. Super atrum, villoſumque gauſape ſedet. Univerſus populus circumſtat, qui paſſim inconditus. Quidam de ſeptem Tribubus, quæ illo in Regno vigent, fuſcis, nigricantibuſque involutus, prolixo luctuoſæ caudæ tractu horridus, accedens linguæ repagula in hunc ſenſum reſolvit: Solem aſpicias, DEUMque teſtator. Hinc intelligas oportet, ſi regnaturus eris ad commendabilis politices præſcriptum, ſi tuæ leges ex leges haut erunt futuræ; poſt terreni Regni honorem, ad cœleſtis culmen imperii illi te evehendum eſſe, conſtituendumque hæredem. Secus, ſi poſt tergatâ æquitatis veneratione, in tyrannidis crudelitatem te non dubitas ingurgitare, hocce gauſape circumdaberis.

11. Ariſtoteles corruptus Politicus, depravata dictamina Macedonis infudit pectori. Hic Juvenis, utpote ſollicitatus inſiti genii magnitudine, propenſioníſque fervore, eadem executioni mandare gaudebat. Itaque perniciosis imbutus, quæ hauſerat, animoque imbiberat inſtillante magiſtro; undecim annorum ſpatio, ſupra binos menſium quaterniones, univerſam Aſiam, Lybiam, nec non Europæ non modicum tractum ſubjugavit. Eò amplitudinis perduxit ſuas opes, ut plurima ad aureorum talentorum millia (hoc vocabulum haut horreo) aduſque quadringentos penè florenorum milliones, annuos redditus auxerit, atque perduxerit: ne recenſeam opima

ma ſpolia, argenti ingentia pondera, gemmarum, margitarumque cumulos, quæ claudebantur ærario. Lætum oppidò vitæ filum, omni calamitatis expers modo! quas autem adhibuit machinas ſibi felicitando, ampliandoque? Conſcientiam poſt tergum abjiciendo. Sub ſuo ſceptro Regna copulabat, animas à corporibus pacificorum Poſſeſſorum dividendo: Spolia cogebat, aliena diſſipando patrimonia: Chlamydes trucidatorum Regnantium ſanguine tingebat; Regiis Capitibus eripiebat Coronas, capita à cervicibus inhumanè truncando. His ego fidem negarem, ni Sacræ Paginæ teſtimonium perhiberent: *Interfecit Reges terræ, & accepit ſpolia multitudinis Gentium.* Hinc legere eſt in Machabæorum libro: *Siluit terra in conſpectu ejus.* Quid inde contigit? terram lucrando, cœlum amiſit: cumulando gazas, in pauperiem incidit, egeſtatem incurrit, uſque ad mendicandum ſepulturam. Ignoravit infelix Habacuc effatum de Numine; *Ipſe de Regibus triumphavit, tyranni ejus, ridiculi ejus erunt. Comportabit aggerem, & capiet eos.* Legit Hebræus: *Comportabit pulverem.* Triginta duorum erat annorum, ſupra octo menſes; dumque Phœnicis annos ſibi pollicitabatur, mortis triumphatorem ſe jactabat. *Decidit in lectum, & cognovit, quia moreretur.* Eveſtigio ſe deprehendit deluſum, appropinquanteque immaturi fati neceſſitate, caſſas illorum aſſentationes agnovit, qui Jovis filium propalaverant mortis modò pabulum. Efflavit animam Alexander Rex, Politicus, invictus, magnus: ſuiſque belli Ducibus invicem diſceptantibus de Regnorum diviſione, ejus cadaver ſub dio, aliquot menſibus inhumatum jacuiſſe perhibetur. Magna parens Olympias, ingraveſcente doloris acerbitate, præ debacchantis ſortis inſaniâ, voces has haut inefficaces evolvit pectore: *O fili, tu, qui ſtudebas, cœli particeps eſſe, huc toto impetu properans, nec iis quidem potiri voluiſti, quæ ſunt mortalium omnium communia, terra, & ſepultura!* Tandem mandatus eſt tumulo, mortiſque dignatus honore. Nec defuit, qui epitaphium apponeret in non mortem, propriamque miſeriam recogitantium ludibrium:

Laur. Keier. in Tued.

Cap. 1. 10.

Mach. 1.

Matth. Rader. in Com. Hiſt.

Q. Cur. *Sufficit huic tumulus, cui non ſuffecerat Orbis;*

Res brevis huic ampla eſt, cui fuit ampla brevis.

12. Huc ſpectat Salvatoris documentum apud Sanctum Matthæum in Evangelio: *Quid prodeſt homini, ſi Mundum univerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* Ad hæc verba reſpiciens Gregorius Magnus, ſtupore repletus ſubnectit: *Quid prodeſt homini, ſi totum, quod extra ſe eſt, congregat, & hoc ipſum, quod ipſe eſt, damnat?* Quid Alexandro conduxit, Regionum immenſitatem, tot exantlatis periculis, tot artibus, vel cum capitis diſcrimine debellâſſe, cùm ad calcem ſeſe deturbaverit in Tartarorum abyſſum? quid juvat, tuâ non intereſt, ſupra Crœſum divitiis affluere; pluribus Provinciis moderari, quàm Aſſuerum: præ Salomone, deliciis inundari; ſupra Marium dignitatibus, togiſque decorari: cùm tandem vel invitus tot opibus, magnificentiis, honoribus, partaque fortunæ amplitudine dejiciendus venias, & quod caput eſt, animam, cœlum, Numen amittas?

Cap. 16.

13. Uſque ad id ætatis Principum ullus, toti terrarum Orbi non eſt dominatus. Unus Antichriſtus univerſum reget. Ille inſignis technarum, vaframentorumque magiſter, per corruptæ Politices calliditatem, teſte Hippolyto Martyre, adeò vaſtam Monarchiam impetrabit. Per charitatis hypocriſin ſibi populos benevolos efficiet. Ad Sceptrum vocatus, fucatâ modeſtiâ tergiverſabitur, repulſam mentiens. Throno impoſitus, paſſim amplius liberalitate ſuos ſibi demerebitur; cùm impoſito tributorum onere, illos ſic opprimi à ſuis peculiaribus Dominis evincet, ut propediem rebelles jugum excutere maturent: Ut illis inviſi, ſibi univerſali Domino adhæreant. Tunc exertis dentibus, ac unguibus, ceu brutum, ferinis adorationibus inhiabit. Alter coletur Deus, ut Numen habebitur. Quid autem hoc illum juvabit? tametſi totum Orbem ſubjectum ſortiatur; potis inveniatur effundere vel ſubterraneas gazas (tunc etenim dæmonibus effodientur) prodigia patret; miracula operetur; volet per aëra; marinas undas ſicco pede calcet; adoretur ut Deus; cùm ſubitò, ac derepente Omnipotentis Spiritu transfixus corruet,

l. de con. ſæc.

corruet, qui ſurſum elevabatur, æterniſque Tartarorum flammis mancipabitur.

14. A verem cogitationum momenta dirigerentur ad crebram mortis contemplationem: Quid enim tandem eſt, quòd ætas non atterat, vetuſtas non perimat, mors ipſa non adimat, matutinis, pomeridianis, veſpertinis, nocturniſque horis? Philippus III. Hiſpaniarum, ac utriuſque Siciliæ Rex, hujus inſigne exemplum poſteritati ſe reliquiſſe glorietur; qui jam animam agens, has cygneas voces emiſit: *Utinam nunquam fuiſſem Rex; utinam annos, quos in Regno egi, exegiſſem privatus in eremo; utinam vitam ſolitariam cum DEO duxiſſem in Thebaide. Quàm nunc ſecurus morerer? quàm fidentiùs ad DEI tribunal pergerem? nihil prodeſt, Regem eſſe, niſi quòd in morte crucier, fuiſſe.* Exceſſiſti, ô magne Philippe; mortuus es, illaque dereliquiſti Regna, in quibus neque cùm adveſperaſcit, intempeſtaque nocte, Sol occidit. Quamquam divitias, quibus præſtas, & opes, queîs polles, cogitans, te beatum judico: Attamen fluxis diſtentus, quòd mortis appulſum haut reformides, ac horreas, te miſerum dico. Corn. à Lap. in 2. Oſe.

15. Nobis acquieſcit Origenes, ob oculos mortalium fatuitatem ponens, dum pereuntibus implicati, eorum vanitatem haut animadvertunt, ut inflectant cogitationes ad lethi recordationem: *Si navigas in navi poſitus, vides terras & promontoria, & montes tranſeuntia; non quòd illa continuò moveantur, ſed quia tu, vento proſpero flante, tranſis, illa ſe ſubducere videntur, ac ferri. Ita, & in hoc ſæculo, ſi, Sancto Spiritu mentem tuam perflante, ſecundo naviges curſu, pertranſis ſenſu tuo omnia hæc, quæ videntur; quia temporalia ſunt, & intueris illa, quæ æterna ſunt, ſine dubio dicis, quia hæc omnia, quæ videntur, jam non ſunt, quia nec futura ſunt.* Vos, ô Reges! manet interitus, vos lethum expectat; neque tantillum Poſſeſſorum in vita, vobiſcum aufferetis. Hom. 5 in Pſ. 36.

16. Cæſar fugitivus, poſt acerrimum certamen, cogitur natando flumen eniti, ſaluti ſuæ proſpecturus. Ergo Imperialis Monarcha ad littus ſuas deponit veſtes; quique toti Mundo dominabatur, nudus undas tranare compellitur, ſuorum Commentariorum Codicem duntaxat, manu ſuffertim frigidam ſupereminente, geſtando. Ita eſt; à flumine mortalium vita nec latum unguem abludit; quoniam

per ſaxoſas durorum, adverſorumque ſemitas, in pontum evolvitur, cujus eſt præceps in mare delapſus. Ex hac orâ, ubi impræſentiarum ſubſiſtimus, in morte ad adverſam trajiciemus, at nudi. Nil advehemus præter fatalem meritorum, mendorumque librum; *Quia hæc omnia, quæ videntur, jam non ſunt, quia nec futura ſunt.* Henricus Octavus, ſceleſtiſſimus Angliæ Rex, iniquiſſimè tranſactam ſibi vitam, appropinquantemque mortem reducens ad calculos, parietem verſus converſus, exclamavit: *Perdidimus omnia.* Saladinus Rex Ægypti, cum morte colluctans, imperavit ſuorum Miniſtrorum ſupremo, per totam Urbem curaret circumferri linteamen, quo ſuum cadaver involvendum erat, exclamante Latore: hoc unum ſupereſt Saladino ex integro, vaſtoque Orientis Regno.

17. Igitur momentis tranſvolantibus, hæc ceruſſata ſæculi blandimenta rapiuntur, futura vanitatis ludibrium. Ergo invenitur re-
Epiſt. 3. *ex vet. Bibl. Pat.* ſpondere veritatis candori illud S. Petri Damiani: *Mortem non pluribus ſtadiis ab aula, quàm à tugurio diſtare memineris.* Quòd enim ſuperciliosa noſcatur Libitina, non tam mapalia, quàm Regias pulſabit, affliget, ac feriet. Adhuc lugent funeſtata Exodi folia, atque
Cap. 12. paginæ, quoniam *percuſſit Dominus omne primogenitum in terrâ Ægypti, à primogenito Pharaônis, qui in ſolio ejus ſedebat, uſque ad primogenitum captivæ.* Cur ſalvantur natu minores, falcique ſe ſubtra-
Orat. 19. hunt? rationem adducit S. Baſilius Seleuciæ: *Mors primatum primogenitorum non ſine dolore depaſcebatur, & natorum ordo fiebat ad imperium mortis.* Qui primi inventi ſunt ad felicitatis oſcula, & primi fuêre ad amplectendam infelicitatem; cùm faſtuoſa mors, eademque cerebroſa primitiis ſaturari prægeſtiat.

18. Coronati Narciſſi! utinam voſmet in noſtro Fonte rimantes, Babylonicæ turris ſtructores Gigantes haut æmularetis. Conati ſunt ingentem auſpicari molem; Hinc amœnæ truncatorum nemorum umbræ cecidebant, illinc denſæ fumantium fornacium umbræ ſurgebant; ibi editiſſimi montes deprimebantur, hìc eminentiores ſaxorum montes erigebantur; Ibi innumera Gigantum turba operi deſudabat intenta; hìc aut carpentis uberem vehebant materiem, aut bajulabant. Nemo non ſudat, omnes contendunt, vacat nullus, certanteſque magnanimè, ſeſe mutuò alloquuntur: *Venite, faciamus nobis Civitatem, & turrim.* Turris ſit quadrata, ne laboret imbe-

imbecillitate; quam fortuna, ſuam ut pilam, haut circumagat. Adeò ſurgat, ac emineat, ut alpina Caucaſi juga, nec non Olympi, pro fundamentis eidem deſerviant. Sit machina ædificiorum Regina, ideoque *cujus culmen pertingat ad Cœlum*; Unde Stellas inter fulgurantibus coronetur Sapphiris. Imò ut eluceſcat, opera noſtra tam eſſe glorioſa, ut nubes ſupereminendo magis fulminare, quàm fulminari dicantur. Hocque modo *celebremus nomen noſtrum*, uti ad turris altitudinem, noſtræ gloriæ ſublimitas aſſurgat. Neque neceſſum eſt, fama Cœlum petat, Sphæris nos altiores propalatura; dum ſublimem inter turrim, atque Cœlum, haut erit diſtantia, neque vacuum regnabit. Quod igitur faciendum, citò expediatur, *antequam dividamur in univerſas terras.* Philo, converſus ad hos excordes, ſic illos perſtringit, hiſque diris in fatuorum capita vehementiùs animadvertit: *O inſignem impudentiam!* & tamen caſſus contingit labor; *& tamen dicunt, priuſquam diſpergamur.* Hæc eſt dementia filiorum Adæ, dicere pergit Philo: *Sunt qui valde ſibi rebus talibus placent, non ſolùm præſagientes, ſed & prævidentes ſuum interitum: quos libenter ſic alloquerer: Scitis fore, ut diſſipemini? cur igitur peccatis, ſi veſtra conſilia, & conatus diſſipatum iri ſcitis?* Venire, dicant Reges, Urbibus ampliora palatia excitemus, cumque noſtris Regiis collata aurea Neronis domus; à ſordido turguriolo vix abludat; Venite, plantemus Urbes, parvis mundis ſimillimas; inexpugnabilia ſtruamus fortalitia; exercitus armis horridos inſtruamus; bello quaſſemus Principes finitimos, Regnaque cum Provinciis potenter abſorbeamus. Cur tanta moliri tentatis, quum vobis innoteſcat conſiliorum veſtrorum vanitas, quæ ad tumulum colliment, expedit? Cur peccati ſordibus maculamini, exclamante Eccleſiaſtico: *Omnis Potentatûs brevis vita?* Quandoquidem veſtrorum reatuum rationem repoſcet in tremendo judicio Judex iratus? Ceſſate, quòd conatus veſtros diſſipatum iri ſciatis.

l. de Conf. ling.

Cap. 10. 11.

19. Partis haut frui licebit. Ergóne veſtrorum natorum, pignorumque commodo, ac emolumento invigilatis? Huic reſpondeo. Moyſi DEUS mandat: *Cùm nudaveris Patrem veſte ſuâ, indues eâ Eleazarum Filium ejus.* Cur hoc Moyſi, quàm Aaron imponitur, qui vehementiori amoris impetu percitus, id explêſſet in filium? Ratio in Sacro Textu occurrit: *Aaron colligetur & morietur ibi.* Quoniam ſenex

ſenex Aaron, ſupremum diem clauſurus, ſe ipſum duntaxat expendere, atque proſpicere debebat. Vos Reges Regiâ involutos purpurâ magnificentiùs, voluit Altiſſimus, Cœlum decrevit. Ergo jactatote in DEUM ſolicitudinem, veſtros filios amiciendi paludamento. Vobis mortem ob oculos ponatis. Veſtris hæredibus conſulendi onus incumbit Altiſſimo. Illis veſtram concedet purpuram; inſuper, ſi placebit, anguſtias aviti Regni dilatabit. Hinc cùm revelatum fuiſſet Ezechiæ Regi: *Diſpone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives. Convertit Ezechias faciem ſuam ad parietem, & oravit ad Dominum.* Quid agis, Rex? cur tua Teſtamenta digeris? cur Regnum optimo Succeſſore munire non allaboras, cùm & cœlum hoc ſuadeat, ac album abjiciat calculum. Mors autem, velociſſima, nullam ſinit necti moram; ſed quantocyus nos ad DEUM convertere ſatagamus. Non neſcio, Salomonem in Proverbiis di-
Cap. 16. xiſſe: *Divinatio in labiis Regis.* DEUS Regnantium mentibus infundit, inſtillatque futurorum indices, menteque inſtantium præſagâ vult præditos: Attamen neque divinare, neque providere certam, propinquamque mortem iiſdem licet.

20. Theodoſii Imperatoris menti, hujus veritatis lux affulſit, cùm Imperii vaſtitati nuncium mittere gloriabatur. Id patuit & Chriſtinæ Suecorum Reginæ; quæ magni Guſtavi Adolphi haut degener fuit filia. Hoc auguſtum Caput Parentis generoſitatem æmulatum, hoc uno differebat ab illo, quòd, ubi Guſtavus Sueciæ limitibus egreſſus, ex centum Regnis unum conflare geſtiebat, Chriſtina reſpuerit quinque præpotentia Regna, patrioque ſolo, paternoque tecto neglecto, Cœleſtis Regni hæreditati avidiùs inhiârit. Quo verò percitus aculeo, Carolus Quintus Imperatoriam Dignitatem devolvit in Fratrem, in natum Regna? Hoc oppidò præſtitit mortis meditatio. Vivus in tumulo jacere noluit: curavit pro animâ ſuâ accerſiri defunctorum ſuffragia, mediâ Miſsâ cantatâ de Requiem. Incenſum adhibitum eſt, atque noviſſimum Vale. Inde ſeceſſit, ac ut mortuus vivebat in privata ædicula territorii Toletani: Cujus innumeræ victoriæ non fuerunt tanti ponderis, tantique momenti, quemadmodum hic commendatiſſimus receſſus. Hìc depoſito Sceptro, hortum falculâ excolebat, ac inſenſatis plantis uberiora Politices germanæ præcepta, quàm à ſagaciſſimis Conſi-

liariis

liariis derivans. In hac Caroli ſchola eruditus Philippus Secundus hujus nominis, toto vitæ curriculo ad ſupremam reſpexit diem; Cui talis proinde contigit obitus, ut ad ejus exemplum jure meritiſſimo ſeſe componant Reges cum futuris Imperatoribus. Fœtido morbo laborans, corpus immundorum animalium agminibus palæſtram exhibebat; ut eluceſceret, ſuprema Mundi Capita, ceu miſerrimos quoſque defungi. Adverſæ valetudinis dolores ſæviebant, poplitiſque recrudeſcens, rebellanſque vulnus, inſolentem tormentorum acerbitatem ciebat, creabatque. Calamitatum iliadibus oppreſſus, & ad omnem patientiam induratus, huic uni indolebat, quòd peccata perpetrâſſet, nec Regno valedixiſſet, atque cum Carolo Magno in ſolitudinem montis Caſſini minimè penetrâſſet. Igitur lachrymarum inundatus torrente, edito Chriſtianæ pietatis ſpecimine, ſanctiſſimis Sacramentis de more rite munitus eſt. Statuit autem, Philippus Tertius Succeſſor adeſſet, dum ſacro Oleo deliniebatur; Inde pathetico ſpectaculo emollitum Principem, tremula, flebilique voce his imbuit præceptis, tradente Petro Mattei, Galliæ Hiſtoriographo: Avebam, ô nate, hujus actûs evaderes particeps, ne ignorantiæ cimmeriis involvereris, quemadmodum mihi contigiſſe lamentor; rationem enim ignorabam, ac modum, quo Sacramentum hocce adminiſtrari conſuevit. Utque cognoſceres Regum, ſceptrorum, diadematum fatalem metam, ſicque reſipiſceres; Mors properat, meo capiti coronam eripere, tuis impoſitura temporibus. Supereſt, ut geminum animo imbibas, unum, ne Eccleſiæ hortamentis audeas reluctari, præceptaque repudiare; aliud, ut æquitatis tenacem, ſtudioſumque tuis probes te ſubditis; Futurum eſt, æquâ lance tuo ſicut jam meo capite corona depellatur. Tu Juvenis flores, ego florui. Dies mei numerati fuerant, modò abſoluti ſunt. DEUS tuos ſupputat, qui pariter finem nanciſcentur.

l.1.nar. 4.

GUBERNATORES, JUDICES, ET ADVOCATI AD FONTEM.

CAPUT VII.

1. ENormis univerſi machina, quondam fabuloſo Atlantis dorſo fuit impoſita, penes veteres Sapientes; quod grave pondus ſuffulciendo ſe probavit imparem, ſuccollando non fuit, mundoque regendo, niſi curvatus; Illo inflexo mundum ſtetiſſe rectum, ignarumque nutandi in comperto eſt. Dum autem caput demiſit, oculos humi dejecit, tunc amplius haut vacillavit hic Orbis creatus. Verùm enim vero juſtitiæ eſt, indefeſſis humeris portare, regereque univerſi vaſtitatem; quoniam Omnipotens tribus digitis mundum ſuſtineat, æquitatis ſuffragiis id omninò explere videtur, quandoquidem *Juſtitiâ plena eſt dextera tua.* Nunquam igitur in æquilibrio ingens pondus Juſtitiæ ferre licebit, niſi Atlantis ad inſtar caput inclinet, videlicet niſi ſolum aſpiciat; nec non profundæ cogitationi dedita, mortem meditetur. Moralis alacritatis ſolertiam redolet, Summum Sacerdotem, ad quem attinet, ſuis Gentilibus ſubditis in Regno Tibet, religioſam adminiſtrare Juſtitiam, identidem ex humano cranio potare; ut manu bilancem Aſtrææ tenentes, atque ſtateram, alterâ manu ferale poculum ſtatuminent, neque aliquam adiaphorarum ſuarum cogitationum, aut delectationum, à funeſtâ mortis contemplatione diſſocient.

2. Per mortis ſuffragia, legis tramitem terimus, ejus Miniſtro timore directi; quo duce, ac auſpice, nil intutum, omnes in ſe ipſis

ipſis teretes, atque rotundi. Quis autem ſecurim non abhorret, quis non abhorret à cruce? Quot malum deteſtantur, ne plexi decedant? mortem dico crucem cum Divo Bernardo, cui nedum integrum corpus affigitur, ſed inſuper anima ipſiſſima acerbè cruciatur: *Mors ipſa eſt crux horribilis, ad quam quotidiè feſtinas, & non attendis. Vide, quomodo mors te crucifigit? crura diſtenduntur, manus & brachia decidunt, pectus anhelat, cervix langueſcit, labia ſpumant, oculi obſtupeſcunt, vultus horreſcit, facies exſudat, & morte tacta palleſcit. Et hæc utique, quæ videmus de foris, & quæ ſentimus, levia ſunt ad ea, quæ intus animus miſerabilis jam prægustat.* Hunc autem horrorem (pluſculùm ſaltem pietati largientes) ſibi incutiant Regii Provinciarum Gubernatores, ac Urbium Directores, cum populorum Judicibus, nec non Advocatis. Prædicârunt Juſtitiam Chriſtus, Rex ac DEUS, nec non Apoſtoli, primi Catholicæ Reipublicæ Senatores; unaque ſinguli eam opere explêrunt. His tamen non obſtantibus, quotidie lethi cogitationem ſibi ingerentes, ejuſque formidine ligati, ſibi timebant, tenebanturque tremore. Petrus Bleſenſis, poſteaquam in ſcenam dedit Eccleſiam Cath. quæ ſuorum filiorum animis generoſitatem, conſtantiamque amat infundere; ſic reſpondentes exhibet, atque producit: *Quid eſt, quod dicis, Mater? Nemo carnem ſuam odio habuit. Etiam Chriſtus horruit mori. Petrus ductus eſt ad Crucem nolens. Apoſtolus optat, ſi fieri poſſet, ſuperveſtiri, non ſpoliari.* Cur Chriſtus mortem horruit? cur Petrus, ac Paulus illius tenentur formidine? audite, audite: *Cùm ſederit Filius hominis in ſede Majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim Tribus Iſraël.* Quippe proprium eſt Judicibus, ſupremum diſcutere finem, uti mortis imagine perterriti, metuque lapideſcentes, æquitatis trutinam in æquilibrio teneant, quemadmodum immobilem ſuſtentat ſtatua ex duriſſimo marmore. Has ergo partes Cœlum Judicibus vult demandatas. Quantum in ipſis eſt, in id ſtudii ſolertiùs incumbant; à quibus alienam eſſe debere deſidiam exiſtimo. Illis etiam facultas eripitur, nullaque copia datur colligendorum munuſculorum, ut uni partium præ alia faveant alacriùs, atque propenſiùs. In memoriam revocent mortem, illius meditationem inſtaurent.

Ser. de Vil. iniq. — *Ser. de S. Nic.* — *S. Matt. 19.*

8. Rectores, Judices Narciſſi, ad Fontem properate, priuſquam

progrediamini; Vel Togati defungantur, omnes moriuntur Miniſtri, abeuntque in cinerem. Hìc attendere, hìc in hæc verba prorumpere; & tot millibus, qui ſententias pronunciârunt, populis moderabantur, præerant populis, ullúſne occurrit? ad duriſſimos lethi ſcopulos quæcunque ſolida navis alliſa, frangatur oportet. Tandem altiſſimi montium mortis fulminibus patent. Nec argumentorum farragine opus eſt, ingenitum pulverem vobis vobiſcum

Cap.17. circumferentibus. Hinc Jobus exclamavit: *Putredini dixi, pater meus es; mater mea, & ſoror mea vermibus.* Quem locum Divus

in Job. Hieronymus hoc pacto interpretatus eſt: *Quemadmodum quiſpiam mortalium ſine parentibus non poteſt exiſtere; ita & ego factus ſum, quaſi ſine putredine, & vermibus eſſe non poſſem.* Ergo velitationem exerceamus adverſus mortem, ut, ex familiari illius recordatione, detur beatus obitus. Humanæ ſobolis honori veliſicaturum me autumo, aſſeverando illam putredine circumdari, ut, per propriæ conditionis notitiam, ſupernis duntaxat ſtudeat.

4. Indomitæ vaccæ, queîs arca Teſtamenti vehebatur, cùm illam DEI populo profligati Philiſtæi remisêre, referentibus ſacris paginis: *Ibant in directum per viam, & non declinabant, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram.* Cùm autem hæc bruta nondum indomitam cervicem gravi aſſueverant jugo, neque aratrum trahendo, ad ſulcandum, ferendaque onera ſeſe inclinârint; cùm fœtus in ſtabulis incluſi mugitibus, confuſiſque lamentationibus aërem impleverint: quì hæc matres audiendo à rectâ minimè deflectebant, exorbitabantque, arcam excutiendo, hacque illacque agitando, præpetes haut currebant deſertam ſolaturæ prolem? Grande miraculum! rectâ in cedere querulis propriorum partuum vocibus ſurdas: *Et non declinabant, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram.* Dubium enodat Origenes, arcam Philiſtæis nedum mortis imaginem extitiſſe, verùm etiam ſtrages, ruinaſque portendiſſe; quoniam, per Regionem vagando *fiebat pavor mortis in ſingulis Urbibus, & graviſſima valde manus Domini.* Hinc Tartarorum monſtra profectui ſpirituali adverſantia, quem Philiſtæi hauriebant ex lethi memoriâ, inſtituerunt, arca remitteretur, illorumque eriperetur obtutibus: *Quis ergo in his, ſi diligenter inſpiciat, de bovum directione, vel fortuitam dicet, vel aliquâ arte compoſitam, & non operatione quâdam dæmonum miniſtratam?*

tam? Cùm igitur vaccæ non ſolum mortis cogitationem, ſed inſuper cauſſam ſuccollando detulerint; profectò progredi debebant nullatenus vacillando, deflectendoque rectà, *non declinabant*, *neque ad dexteram*, *neque ad ſiniſtram.* Nunc judicem mihi ſiſtito, haut alienum à profundâ Libitinæ cogitatione; eundem ego vobis exhibebo rectâ adminiſtratione præfulgidum, æquitatis tenacem; qui alienum ſuæ dignitatis arbitretur, quicquid obliquitatem involvit; Haut vacillabit ſtatera *neque ad dexteram*, *neque ad ſiniſtram.* In proprium lucrum illud Proverbiorum inflectet: *Accipere perſonam impii non eſt bonum*, *ut declines à veritate Judicii.* Explebitque Exodi Præceptum, *Æquum Judicium ſit inter vos*, *ſive peregrinus*, *ſive civis peccaverit*, *quia ego ſum Dominus DEUS veſter.* Deuteronomii dictis audientem ſe probabit: *Quod juſtum eſt judicate*, *ſive civis ſit ille*, *ſive peregrinus*; *Nulla erit diſtantia perſonarum*; *ita parvum audietis*, *ut magnum*, *nec accipietis cujuſquam perſonam*, *quia DEI judicium eſt.* Supplicent amici, potentes minitentur, orent parentes, lugeant filii, Uxores ſollicitent, nihil refert, haut flectetur, aut curvabitur. Conſanguineorum ex lachrymis, haut lubricum evadat veſtigium ad præcipitandam ſententiam.

5. Olympias Regina Macedonis parens, natum præfervidis precibus arietavit, vellet quendam ſibi infenſum mortis ſententiâ fulminare. Alexander autem ita reſpondit: *Pete aliud mater*; *nam vita hominis nullâ mercede poteſt compenſari.* Maternæ illecebræ nil profuêre, preces inventæ ſunt caſſæ; non reſpexit ad perſonarum diſparilitatem, qui genitricem purpurâ involutam haut pluris fecit, quàm pannoſum. Alexandro (penes Plutarchum) familiare fuit, quoties accuſatorum declamationibus intererat, alteram aurem obturare. Interrogatus autem, reſpondit: *alteram integram ſervo reo.* In apice cœli rectitudinis locantur Judices; & Gubernatoribus competit Stellarum honos, quæ neſciunt eclipſin; audiunt inſuper Templi Juſtitiæ columnæ firmiſſimæ, civilis vineæ indefeſſi cultores, ærarii humanitatis cimeliarchæ, qui non defraudant; ac tandem ſuper candelabrum legis, erectæ tædæ, blandienti ſupplicium auræ, ventoque potentiæ furibundo, extingui neſciæ.

6. Moyſi in Exodo delineata fuit incorrupti Judicis idea: *Provide de omni plebe. Viros ſapientes*, *& timentes DEUM*, *in quibus ſit* *Exod. 18.*

 veri-

veritas, & qui oderint avaritiam; & conſtitue ex eis Tribunos, & Centuriones, & Quinquagenarios, & Decenarios, qui judicent Populum omni tempore. Quidquid autem majus fuerit, referent ad te. Ubi quoque ſupremi Principis perſona inſeritur, cui onus incumbit judicandi de negotiis majoris momenti. Quòd autem in propriâ miſeriâ, Narciſſi improvidi, ſeſe non explorent, juxta divinum allatum præſcriptum haut integritate imbuuntur. Ubi verò morantur! *Timentes DEUM, & qui oderunt avaritiam.*

7. Socrates apud Ariſtophanem ſuis Stellas pulſabat lamentis, inauſpicatum mundum, inprimis autem ſubſellia cum Tribunalibus, naſturtio repleri, ſcatere atque inundari; ſymbolicè intelligendo ſordidos avaros, atque tenaciſſimos Judices. Mirum ludentis, genioque indulgentis naturæ ſpectaculum! hæc herba naſcitur, naſcendoque ſuperbit, quoniam in ſuorum viriditate foliorum, affines atterendi plantas ſpem nutrit. Tali dotatur proprietate, naturaque, ut ad ſe omnem herbarum propinquarum ſuccum, quodam naturæ miraculo trahendo, prorſus aridas in languorem devolvat: *Ita, ut illæ pereant, dum hæc creſcit.* Avidiſſimi Judicis vivum agnoſcamus ſymbolum; qui nequeat evacuare cornu copiæ, quin Amaltheæ cruore manus deturpet, ac dehoneſtet, quin proximo detrimentum pariat, ſuis aggerendis opibus impar occurrat. Cariophyllum etiam Judicis avari typus exiſtit, quod vegetabilibus gravidatur theſauris. Expandit ramorum, virgultorumque viridem pompam, foliis ad inſtar lauri, veſtitorum. Rubicundo ridet flore, ut ſuperſedeam promiſcui coloris mutatione. Circùm plantam herba non erumpit; quòd, ejus inſito calore, circumjacentium arenarum humiditas abſorbeatur, quam ex integro deprædatur, nec non exhaurit. En recens iniqui Judicis hieroglyphicum, in quem quadrat
Pſ. 14. illud Pſalmographi per ironiam: *Qui munera ſuper innocentem non accepit.* Hùc ſpectat itidem illud Jeremiæ Oraculum: *Quare via impiorum proſperatur? plantaſti eos, & radicem miſerunt, proficiunt,*
Cap. 12. *& faciunt fructum.* At illicò ſubnectit: *Uſquequo lugebit terra, & herba omnis regionis ſiccabitur?* Depauperatur Civitas, locupletatur ut Judex. Lepidus oppido allatarum plantarum atque Judicis avari parallelus, ac appoſita, concinnaque comparatio.

8. Exhauriuntur quoque Provinciæ, ſiccantur Regna, unde de-

tur Judicibus proprium augere faſtum, & divitias. Hi pariter flavas æmulantur tulipas, rubris conſperſas maculis; ceu non liceat in aureos evadere, citra populi ſanguinem. Quidam, recenſente Æliano, multos per annos peregrè profectus, natale repetens ſolum, paternaque tecta, deprehendit, filium vaſtæ Civitatis ex præcipuis Miniſtris, ingens auri, argentique pondus conflâſſe. Tunc irâ, furoreque ſuccenſus, prorupit: *Multos familiares, atque hoſpites injuriâ affeciſti.* Corraſiſti pecuniam, opibus innoxios emungendo. Mirum arbitror, tam citò Gubernatorum ſuperba palatia theſauris reſtagnare, haut citra alieni boni iniquam diminutionem. Non Ophir mineræ, non Peru viſcera exſiccata ſunt, non Indiarum opes accerſitæ; ſed, quòd alienas arcas evacuaverimus, tuos replêſti Lares. His ſuffragatur Oraculum Divi Hieronymi clamantis: *Omnes divitiæ de iniquitate deſcendunt, & niſi alter perdiderit, alter non poteſt invenire.* Prolixiùs in hoc invehendi tenacitatis vitium, cupido ſubit animum, ô Gubernatores Narciſſi! verùm præſtat velociùs inſurgere in Advocatos, veſtris iniquitatibus omni niſu patrocinantes.

9. Advocatus, poſt tergum ſuam projiciens conſcientiam, acutam ſuggillaverim ſpinam, quæ pungit, ſimulque tenet. Audiatur Michæas Propheta: *Qui optimus in eis eſt, quaſi paliurus eſt. Quaſi* *Cap. 7.* *paliurus* (Sanctus Hieronymus exponit) *pungens, & retinens, pungens appropinquantem ſibi, & adunco dente comprehendens.* Appropinquantem ſibi litigantem, paliuri ritu retinent, retentum omnibus ſpoliant atque denudant. Prædonum degere vitam videntur, rapinas inter pauperum orphanorum ſanguinem ſugendo, viduas ſpoliando; dum patris, atque mariti nullo fultæ præſidio, Advocatorum ad patrocinium advolant, offenſuræ in tutela læſionem. Secus operabatur Jobus, cui fuit inſidens cura in liberando *pauperem vociferantem,* *& pupillum, cui non erat Adjutor.* *Cap. 29.* Siccine veſtris Clientibus barbari graſſatores imponitis? non ita placuit Divo Ivoni, qui infelicibus patrocinari non erubeſcebat, ſemet cœlo judice felicitaturus. Quid verò promam de Paulo de Arezzio, dum inter ſuorum miſerias ac calamitates Clientum, animam ſuam locupletavit? hic tandem, ad divitiarum apicem aſpirans, ſacro tumulatus Clauſtro (ſæculo mortuus erat) ſuarum virtutum monilibus, Clericorum Regularium Ordinem cumulavit, qui nil poſſidet, abdicato terrenorum cenſu: ita;

ut, ad Paulum reſpiciendo, cum Apoſtolo Theatinis liceat ingeminare: *Nihil habentes, & omnia poſſidentes.* Vaticanam ille Purpuram novo auxit ſplendore; ſui fervoris radiantes gazas in Placentinum Epiſcopatum, ac demum in Archiepiſcopatum Neapolitanum effudit, ac diſſeminavit. Qui verò ſe ducem junxit, ſeque ſociavit huic Advocato, Judici, Cardinali, Epiſcopo, Archiepiſcopo? mortis crebra meditatio. Inter cubilis ornatus, abaculo cranium humanum impoſuerat, ut, duce morte, quam ſuis identidem oculis objiciebat, ad vitam pergere geſtiret. Huc ſpectat Gregorii Oraculum in Moralibus: *Qui conſiderat, qualis erit in morte, ſemper pavidus erit in operatione, atque in die in oculis ſui Creatoris vivet.*

10. Adverſus avaritiam, ac injuſtitiam, ne conſcientiæ candor maculetur, Gubernatores, Judices, Advocati, mortis meditatione nil efficacius eſſe intelligant. Teſte Lactantio Firmiano, cinis combuſtæ viperæ medetur illius venenoſis morſibus. Mordet vos cupiditas, animæ vipera? ſepulchrorum cinerem adhibitote: præſentiſſimum habetis remedium. *Non peccavi*, Jobus affirmat; culpæ ſoluta laqueis, anima mea ſemper libertate gaviſa eſt ſpiritûs. Quod & ipſiſſimum Numen ſtatuminat, atque corroborat: *Numquid conſideraſti* *Job. c. 17.* *ſervum meum Job, quòd non ſit ei ſimilis in terra; homo ſimplex, & rectus, & timet DEUM; & recedens à malo?* Verùm expone mihi, ô Job! quid te gloriaris? cùm multis litigatorum cauſis præſto fueris; cùm omni bonorum affluentiâ circumdabaris; cùm meta fueris debacchantis fortunæ fulminibus, calamitatumque magnes? quo clypeo munitus propulsâſti ſenſûs aſſultus, nec incapiſtatus & culpæ catenis; cùm litigiorum labyrinthis inerrabas, Clientum ſtipatus ſatellitio, totoque familiæ ſtrepitu coronatus? Reſpondet ille: *Dies mei breviabantur, & ſolum mihi membereſt ſepulchrum, non peccavi.* Hoc præſtitit mortis recordatio, notante quoque Divo Gregorio: *Perfe-* *l. 1. Mor. c. 17.* *cta vita eſt mortis meditatio, quam juſti ſollicitè peragunt, culparum laqueos evadunt: Unde & beatus Job, quia dies ſuos conſiderat breviari, & ſolum ſibi ſupereſſe ſepulchrum penſat, aptè ſubjungit, non peccavi.* Et vos penſate veſtrum noviſſimum finem, in noſtro vos rimando Fonte, Gubernatores, Judiceſque Narciſſi. Tandem vel pretioſæ Tyri purpuræ, tacitum mordacium tinearum dentem experiuntur. Nunc ergo cogita, num illarum evadent immunes togarum panni.

ni. Nulla ſit fides mentitæ ſpei. Futuri nulla certitudo eſt. Veſtra vita perquàm brevis occurrit, Præſens veſtrum eſt momentaneum. Præteritum, utpote effluxum, haut veſtri Juris eſt, nec revocabile: Hinc appoſitè Poëta pronunciavit de amico Pontico:

Sæpè rogas quot habeo annos? reſpondeo nullos.
Quomodo? quos habui, Pontice, non habeo.

Tandem omnis obſcuratur aurora, quævis Stella cadit, quilibet Sol occidit, ac ſinguli Gubernatorum, Judicumque neceſſariò defungentur.

11. Eccleſiaſtes confert togas, ſæculique dignitates cum tonitru, quo mundus repletur: *Sicut tonitruum magnum in pluvia per-* Cap.40.
ſonabunt. Nonnunquam Solis beneficio, ab imo Soli tam exigua ſurgit exhalatio, ut aciem oculorum eludat. Velut avis inviſibilis, ac implumis ad ſecundam aëris regionem elevatur; Ubi vaporum, quà frigidorum, quà humidorum, copiam offendens, ceu ſuæ ſiccitati repugnantes declinare conatur. At imbellis bellatrix opprimitur, circumdaturque. Hinc inter vaporoſas ſuæ defenſionis phalanges, ſe circumagit, pugnat, condenſatur, inque nube, frigidiſſimis humoribus gravidâ, ſuos accendit ardores. Inde materno ex utero emergit, illuſtris obſcuræ matris partus; vixque naſcitur, cùm flammarum purpurâ involutus, formidinis ſe Regem appellat, cujus terribilibus natalibus formidabile tonitruum applaudit. Per aëra horribiliter ſerpit: quippe cùm oriendo parentis ſinum lacerârit, viperæ ritu debet incedere. Nil intentatum relinquit, omne munimen eludit. Vel in caſu ſublime ſitiens ſepulchrum, aggreditur editiſſima ædificia, ac terræ viſceribus ſeſe invehens, velut Gigantes Philegræ ſibimet ſub colliſis montibus tumulum aperit. En viva Judicum, Gubernatorumque idea! Velut humilis vapor, ad togam, auſpice Rege, ſublimatus es. Et ecce! qui Majeſtate circumdaris; en ſententiæ fulmen, quo exanimantur innoxii; At perpende, unà cum fulmine, cum ſono magnitudinem evaneſcere, quæ tam eſt durabilis, quàm fulgur. Iniquè fulminas, nec tuum expendis finem. Si neſcis illum, tibi denudabo, inquit David: *Periit memoria eorum cum ſonitu.* Quid ergo cumulantur Job.c.1.

opes

opes læſâ conſcientiâ? *Nudus egreſſus ſum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc*: ait homo de terrâ Hus. Cur ergo cunctamini bracteatis furtis renunciare.

12. Jacob cùm Joſepho Ægypti Gubernatori, Pharaoniſque Locumtenenti benedicere vellet: *Quaſi primogeniti tauri pulchritudo ejus.* Huic ergo tauro ille Jovis, qui Europam rapuit, cedet, equuſque cum leone? Sed audite Diogenem apud Dionem: *Taurus non ſolùm ex generoſis animantibus eſt, neque ſui ipſius cauſa fortitudine utitur, quemadmodum leo, & aquila perſequentes cætera animalia, ſuique devincentes cibi cauſa: quare potiùs quis tyrannidis eos dicat, quàm Regni exemplum eſſe. Taurus autem manifeſtè ad Regis imaginem factus eſt. Cibus ei paratus, & facilis, ut nullum, neceſſum ſit, vi opprimere illius cauſa.* Quiſquis igitur regnat, ne ſubditorum ſanguinem, aut ſubſtantias ſitiat.

Orat. 2. de Reg.

13. Cupiditatem igitur radicitùs evellet mortis memoria, potentiùs, quàm quævis ſecuris. Sin autem hæc ſecuris, ex infelicis hominis infortunio, nullius inveniatur roboris, ille inter præſcitos reputabitur; quoniam, haut ſecus atque dæmon, iniquitati callum obduxit, & inflexibilem ſeſe denudat: *Unus veſtrûm diabolus eſt*, Chriſtus objecit Judæ, Apoſtolo apoſtatæ: qui DEO Magiſtro erudire ſe voluit ad furiarum exercitium obeundum, omnique fide violatâ, à fidei ore prodendi arte imbui ſatagebat: *Diabolus eſt.* Haut aliter ſanè, niſi quia vel in nomine mortem geſtando, neglexit corde inſitam evellere avaritiam, cui parebat. Impio nomen inditum fuerat *Judas Iſcariotes*; quod ſonat *vir occiſionis*: aut *homo, qui moritur.* Proprios intueri cineres, nec calculos revocare, neque ad bonam frugem ſe convertere? fuerit Erebi marmor, immutabiliſque Averni Spiritus: *Diabolus eſt, Utique Diabolus eſt Judas, qui neque per mortis cogitatum reſipiſcit, ſed immutabiliter, ut Diabolus, in peccato perſeverat.* Ecce frœnum, quo compeſcatur manus, prohibeaturque extendi ad recipiendam veſtræ injuſtitiæ mercedem, ac remunerationem, ô Miniſtri Narciſſi! En mortis cogitatum, cujus ſuffragiis innocentia protecta triumphat, veritas impugnata propugnatur.

Joan. 6.

S. Cyril. Jeroſ. in Mat.

14. Hìc me retro converto, illud Oraculum ad Moyſen ponderaturus: *Provide de omni plebe viros ſapientes, & timentes DEUM,*

in quibus ſit veritas. Corrupti Judices, ſceleſtique Proxenetæ, ſive Advocati, implacabiles hoſtes veritatis ſe produnt; quæ Cœli Princeps in terram deſcendit, Stellis coronata, lucis paludamento coruſcans. Non enim illos verum fugit, ſed per hoc calcatum, corrupti muneribus, aut amicitiæ ſollicitati ſtimulis, aut potentium urgente patrocinio, ſententias pronunciant ex diametro veritati oppoſitas, legeſque violantes. Id, quod magis abſurdum habetur, atque immitius, quàm ſi quis palàm graſſaretur, aut ſepis tegmine munitus, violenter raperet: Quippe *iſtud, quod vi rapitur, nonnunquam repeti poteſt, quod legum circumſcriptionibus, non poteſt*; ſuffragatore Divo Zenone Epiſcopo.

15. Veritas, atque Juſtitia ſe habent ut materia, ac forma, quæ Judicem componunt. Ego verò veri neceſſitatem evincendo accingar. Mortalium vita flumen æmulatur, quod ſaxoſas per ſemitas præceps in pontum evolvitur. Non autem quælibet hominum vita ejuſdem fluminis ſimilis eſt. Proborum vita nihil differt à Tigri flumine, quod per fontem Arethuſam compoſitâ diſciplinâ dilabitur. A Salmacis fonte dicerem haut abludere ſceleſtum illum, qui, ſuis in aquis ſe abluentem, in alium ſexum migrare compellit. Vitam iracundorum parem conſtituerem Mummoniæ undis, dum calculo provocatæ, voraginoſas tempeſtates cient. Aquis Troglodytarum inconſtantes ſimiles aſſererem; quæ ad crepuſcula matutina, ac erumpente aurorâ defluunt dulces, tepidæque; in meridie verò calidos evomunt fluctus, amaroſque. Jobi aquis in Idumæa, quæ modò pallidæ, modò ſanguineæ, modò limpidæ, modò virides inveniuntur. Flumen Alcionium dicerem avarorum vitam; quod, licèt oleò tranquilliùs fluere videatur, attamen avidiùs cuncta devorat, neque paleis ſalvis. Judicum autem vitam conferam cum Jordane fluvio. Gemino hic ſcaturit fonte, quorum unus dicitur *Jeor*, alius *Dan*, primus ſonat *lux*, ſecundus *Judicium*, *&* *lis*. Quaſi mortalium vita, quæ litibus implicatur perennibus, ſecum ferat judicium, nec unquam à vanitatis luce recedere debeat. Huc ſpectat Hipponenſis, oraculum in verba Regii Vatis jurantis: *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam. Ipſa eſt lux tua, ipſe eſt veritas tua. Hæc omnia duo res una. Quid enim eſt aliud lux DEI, niſi veritas DEI?* *S. Aug. in Pſ. 42.* *aut quid veritas DEI, niſi lux DEI?* Præceps eſt vitæ veſtræ in ma-

re delapſus. Ubi, ubi verò lætus deficit Jordanis? *Defecerunt aquæ Jordanis, & in mare ſolitudinis, quod nunc vocatur mortuum, deſcenderunt.* Tandem Judices occumbunt; qui, niſi inter mortis umbras, veritatis lucem geſtabunt, à cœli tramite nullatenus aberrabunt. Aut fortaſſis tunc apparebunt non ampliùs Judices, ſed rei, coram Chriſti tribunali; qui reſpondeant ei, quod ipſe roganti Pilato: *Quid eſt veritas?* qui prævidens futurum eſſe reſponſum, veritatem eſſe, quam tu ſemper odio habuiſti, à tuo tribunali exulare feciſti; propediem tergum vertit, ruborèque perfuſus, dejecto vultu, *iterum exivit ad Judæos.*

16. Multi Judices probè veritatem agnoſcunt, & tamen labyrinthicis cavillationibus ita litigantes defraudant, ut pro perſonarum qualitate, quàm ad meritorum menſuram ſententias ferant, pronuncient, procraſtinandoque imponendi tempori inſidiantur. Huc mentientes Advocati. Cur autem Principes in utrumque animadvertere non maturant, cur ambos ut proditores haut plectunt; dum, ſub ſuppetiarum ſpecie, occulti graſſatores, ſuorumque Clientum tyranni noſcuntur? deplorata veritas! quondam abſoluta Principibus, utut illis ingrata, modò damnaris illorum ſententiâ, queîs tutanda venis. Symmachus Romanus filiam ſuſcepit ex Conjuge, cujus audacia parentis mortem vindicatura, tot revolutionibus populum illaqueavit, ut raptatæ, confractæque fuerint Theodorici, Gothorum Regis, ſtatuæ, ut & ſui generi Boëtii, qui mactatores habebantur. Captivatur miſercula, crineque incompoſito, nudoque pectore terribilis ducitur ante Totilæ conſpectum.
l. 3. c. 6. Tradit autem Sabellius, quòd *tam conſtanter confeſſa eſt, ut barbarus eam miratus, etſi cauſam improbaret, tantam tamen indolem, & veritatem veniâ dignam cenſuerit.* Quod barbarus explevit Totila, nunc executioni mandare detrectant Chriſtiani Judices. Tandem defraudate genium!

17. Si lubet intelligere, quì Perſarum Judices, Romanique
T. Liv. Advocati tam veraces reperti fuerint, denudabo. Quoniam illis erat cura de morte. Senatus Romanus imperavit, cathedræ, in quibus declamabant Oratores, ex iis compaginarentur roſtris, quæ, abſoluto navali prœlio, adverſus Athenienſes, Romam fuêre delata: ut, perſpectis tabulis belligerantium ſanguine tinctis,

extin-

extinctorumque prædeceſſorum, mortis recordatio ſubiret animum. Falſam pronuntiavit ſententiam Siſannes, quem è veſtigio Cambyſes Perſiæ Rex excoriari mandavit; ſubſellioque illius veſtito pelle, natum deplorati extincti impoſuit, ut eodem munere fungeretur. Ad pellis ſpectaculum, ad mortis memoriam deinceps nullus illorum Judicum auſus ab æquitatis rectâ deflectere. Conſulebant omnes ad unum ſenſatos quoſque, & à mortuorum Doctorum Codicibus mutuabant præſidia, ne in proferendis ſententiis ceſpitarent. Hoc vos haut occupatis ſubſellium; ergo juvat vos in noſtro Fonte rimari, judicantes Narciſſi. Vos deprehendetis mortales, ut fato conceſſit veſter inclytus Bartolus, nec Baldus mortis neceſſitatem eluſit, dum, catello blandiens in ſinu, colubrum in ſinu fovit, ac mortem acceleravit; quippe ex illecebris in rabidum evadens animalculum, Domini labiis lacteorum dentium miniſterio ferale virus inſtillavit. Sirii latratus cumulatioribus Solis ſplendoribus Orbem irradiant; hujus verò canis, mortis invehunt cimmerias. Quis modò affirmabit, canem eſſe fidelem?

18. Ergo mortem meditari ne pigeat, ubi omnium ratio reddenda erit. Et perpenditote, à vobis rigidiſſimam pœnam DEO dandam eſſe, ſi reperiamini injuſti, & litigantium oppreſſores. Lucianus Sophiſta, apud quem rata habebatur animarum tranſmigratio, affirmat, ſpiritus adeò ſceleſto modo diteſcentium, ingredi corpora ſordidiſſimorum aſinorum; qui, ſi Doctores fuerint, nil ſe ſciviſſe ſciant in ſuarum ſolatium animarum: Hocque, *ut à pauperibus exagitentur, ſicuti ipſi pauperes exagitârunt.* Hæc autem vigilantis ſomnia damno, & idololatriæ Philoſophiæ cœcis ſuccenſeo ſpeculationibus. Hujuſce farinæ Judices lethi ſternentur victimæ; queîs pauperum inſultabunt maledicta; quorum animæ, putreſcentibus cadaveribus, in Tartaris tranſmigrationem ſubibunt. *Ululate quercus Baſan* (intonat Zacharias) aut, ut Chaldæo legere placet: *Ululate Satrapæ Provinciarum.* Quàm meliùs bubulci pabulatum exegiſſetis armenta, quàm magnifici Satrapæ munere fungi, cum veſtrarum animarum jacturâ, diſpendioque! Ululate proinde, Judices, quoniam ſupplicia vos manent; quòd æquâ ſolertiâ teſtamentorum ſummam, paragraphos, Codicillos decurrere neglexiſtis, condendi Teſtamenti locus vobis aut erit, otiumve, inopinâ

in Menip.

Cap. 11.

morte præoccupatis. Juſtitiâ duce condemnâſtis neminem, qua cœlitùs condemnabimini. Vos animadvertiſtis in mortales, at DEUM Omnipotentem, exactiſſimum Judicem nanciſcemini. *Judex, & ara idem ſunt*, aſſerebat Architas: quod ad utrumque urgente neceſſitate calamitoſi confugere ament. Hinc quemadmodum ærumnoſorum nullus vobis erat pietatis ſenſus, æquâ lance in vos miſericordiæ viſcera haut effundet Altiſſimus; dum exacerbatus accitâ juſtitiâ, in veſtra capita fulminibus animadvertet. Quòd ſi veſtris in ſtragibus juſtitia labore languebit, feſſum illius brachium
Iſa. c. 59. ille ſuffulciet, donec exterminatis nihil ſuperſit: *Salvavit ſibi brachium ſuum, & Juſtitia ejus ipſa confirmavit eum.* Legunt Septuaginta: *Uſus eſt eos brachio ſuo, & miſericordia ipſa fulcivit eum, ne ab incepto deſiſteret.* Traducit Pagninus: *Et miſericordia ipſa fulciet brachium mihi, ne deſiſtat ab opere incepto.*

BELLATORES AD FONTEM.

CAPUT VIII.

1. SI bellantis Narciſſi frons pupillis inſtructa coruſcat, quò magis ferro armatum ſe deprehendet, eò luculentiùs ſe mortalem agnoſcet; fortique clauſus galea, ad deprehendendam propriæ conditionis fragilitatem, oculos patenter aperiet. Quid armis involutus horreſcis, ô miles? vulnerum, mortiſque formidine. Verùm quo cingeris ferro, tua mors notatur, atque provocatur. Caput galeâ munitur. Aſt ictu machæræ diſciſsâ, quid cranio continget? Impoſitâ galeæ editiſſimâ criſtâ emines. En in pennis vitæ levitatem! quæ hiſce plumis inſtructa, uno volatu velocitatem in fugiendo tibi patefacit. Thorace pectus obducis. Væ miſero tibi! ignoraſne, ex ſoli viſceribus ferrum erui? Igitur cuſtodiendo tuo

tuo cordi, à fovea materies mutuatur. Lateri gladium appendis. Utut incorruptibili conſletur chalybe, vaginam tamen fragili conſtare pelle conſtat. Quippe tametſi anima tua immortalitatis munere donetur, mortale, caducumque corpus occurrit. Dexteram armas ſclopeto; dum nitrato Mavortis pulvere oneras, tuum mortis pulverem in illo ſpectas. Equi dorſum calcas, fugæ pernicitate ſalvandus. Nihil refert. Lethum antevertet præcipiti: *Et ecce! equus pallidus, & qui ſedebat ſuper eum, nomen illi mors.* Quàm equo calcaria ſubdit, quàm currit! Mors torrentibus, qui inundant, velocior eſt; Aquilæ in pernicitate palmam præripit, dum jejunâ aviditate inhiat prædæ; ſupra ventos Æolo reſolutos, præceps habetur; turbinibus furibundis haut cedit; multis paraſangis fulgurum rapiditatem antecellit, Solis curſui, cœlique gyris. Igitur te tuetor, ſi vales. *Apoc.6.*

2. En miram filiorum Adæ conditionem. Moralis teſtatur Seneca: *Stratagema eſt naturæ, homines ſine ratione naſci.* Quandoquidem ſi tunc adeſſet intellectûs lumen, ac uſus rationis, forſitan infans naſci reluctaretur, contentus potiùs intra materna viſcera mori, quàm in lucem edi, vitamque haurire, in qua priùs ad gemitus, quàm ad reſpirandum, halitum reciprocamus, ac trahimus. Oraculum Senecæ typus eſt veritatis, quam jam dudum Pythagoras habuit in confeſſo; dum affirmavit, neminem naſcendi deſiderio teneri, in votis eſſe nulli, ſi priùs mente futurorum præſaga liqueret, hunc Mundum funeſtum eſſe theatrum, ubi mortales cœcæ fortunæ jaculis ſcopus præfiguntur; quæ ſuper noſtris calamitatibus jubilando, alienas lachrymas in proprii ſolatii inſtrumentum inflectit, ac meſſem colligit gaudiorum. Quis amabò, in lucem edi ſuſpiraret, certus, mox mortis ſe tenebras offenſurum affore cimmeriarum tetricitatem? Quis maternâ in alvo pacis tranquillæ gaudens otio, in preſſurarum, jugiſque belli ſcenam erumpere maturaret? *Militia eſt vita hominis ſuper terram.* Attamen quàm plurimi mortalium, uſu rationis donatûm, poſttergatâ dulci patrii tecti quiete, necnon commodis, ultrò, caſtra ſequendo, mortem, moleſtiaſque anhelant, ac in deliciis habent, ceu quid aliud haut ſit ad palatum. Etiam bruta calamitates præſagiunt, atque provident. Suffragante Plinio, immania cete tempeſtates imminentes agnoſcunt; neve parvuli filii undarum impetu ad littus impellantur, rurſum ſinu recon-

 dunt,

dunt, evomitura in malacia, cumque reſederit pontus. Mures domum deſerunt, cui præcipitium inſtat. Unus homo propria mala non præcavet, quin imò provocat, & amplectitur; haut ſecusquam ſi ſibi foret corpus ictibus impenetrabile, ut illud Achillis Stygiâ in palude intinctum. Utinam recordarentur Alexandrum Macedonem, cùm immortalem ſe, Joviſque prolem jactabat, profundè vulneratum in crure, ſtillante ubertim ſanguine, recrudeſcenteque doloris acerbitate exclamâſſe: *Omnes me prædicant Jovis eſſe filium, vulnus hoc hominem eſſe me clamat.* Vel in prœlii ſimulachro vulnera regnant, & mors ipſa occurrit; Quid igitur accidet in cruento certamine, ubi dimicantium animi in ſtrages exaſperantur? Henricus II. Galliæ Rex filiam matrimonio junxit Philippo II. Hiſpaniarum Regi, Sororemque Margaritam Sabaudiæ Duci. Pariſiis magnificentiſſima quæque parabantur, Regiis nuptiis celebrandis; quas coronaturus ipſiſſimus Henricus in umbratilem pugnam innoxius hoſtis deſcenderat. Jam congreditur, jam contendit, jam ſtadium decurrit; at aſſula ex Mongomeri lancea in clauſam ſe buccatam inſinuans, quemadmodum ſanguinis aperuit torrentem, ita & Regiæ vitæ periodum abſolvit. Infeliciſſimus planè Rex! primo dum orbatur lumine, inde mente viduatur, poſt undecimam diem ab infauſto eventu fato concedit. En fatale Henricorum præludium; quorum nomen ſemper extitit lachrymabile, licèt glorioſum Franciæ quà latè patet.

3. Attamen in confertiſſimos hoſtium gladios intrudunt ſe mortales, mortem ut immortales contemnentes. Mortem haut horrent, mori non pavent. Hinc Cato minor, jam Cæſari debellatus, in Platonis Codicibus paginas de animæ immortalitate pervolvens, violentas ſibi manus injecit. Gladio incumbens in riſum effuſus, ſemet evitavit. Hic autem enſis illi in Achillis haſtam migravit; quippe ſi ſauciando peremit, vulneribus dein medebatur, extinctum famæ immortalitati conſignando. Pari paſſu Cleopatra (nimirum ſexus imbellis viriliter egit) Antonio ab Auguſto ſuperato in Leucatis Ponto, in Ægyptum fugam capeſſivit, de mundo fugitura: Ibi ſiquidem intrepidâ dexterâ nudo pectori viperas admovit, quas poſtmodum inter mammarum nivem, virulento furore arſiſſe comperimus. Hæc autem facinora non homines, at belluas decere nullus ambigo,

ambigo, queîs nulla fuit animæ propriæ cura, ſtudiumque. Leonides Lacedæmoniorum Rex, innumeras Xerxis copias aggredi non dubitavit raro milite; quem, mortem contemnens, animabat ad lautè prandendum, legiſque nil obnoxii ſervandum, quoad Solis occaſum in Campis Elyſiis opiparâ cœnâ ſe recreandum ſciret. Qui verò probum ſe profitetur Chriſticolam, ſecus ratiocinatur.

4. *Lazarus mortuus eſt*, dixit Chriſtus Apoſtolis. Chriſtus autem Lazari obitum lachrymis haut proſecutus eſt, ſub lapide putridum cadaver ſpectans. Flevit autem dum illum ad vitam revocavit: *Et lachrymatus eſt JESUS*; ac ſi vellet innuere, corporis contubernio ſolutam animam reſtituere, vix inter inſignia chariſmata numerandum venire; quum jam recuperatâ priſtinâ luce, denuo defungendum eſt, oculique claudendi. Ploravit JESUS, quoniam in ſecundo conflictu Lazarus rurſum luctari compellebatur cum immiti, quòd omnium amariſſimum, terribiliſſimumque mors exiſtat. *Ultimum terribiliſſimum eſt mors*, inquit Ariſtoteles. Neque deſideratur Divi Hieronymi teſtimonium: *Doluit Lazarum non dormientem, ſed potiùs reſurgentem, & flebat, dum cogebatur* propter ſalvandos alios eum ad ſæculum revocare. *Joann. 11. 15.* *Epiſt. ad Tyr.*

5. Equitum, peditumque ingentem copiam Philiſtæi conflabant, hoſtem internecione deleturi; jamque devorâſſe rati, citra obſidionis catenam, qua Urbem Sunem coronarent, omninò triumphum ante victoriam licere credebant. Exercitus Philiſtæorum caſtra eminus Saul intuitus, vexillaque aurâ agitata, pectora trementia formidoloſus fovebat. Satagebat incerti Martis fatalem exitum explorandi: Cœlitùs autem nullum impetravit reſponſum, neque medio ſomnio, aut Sacerdote, Prophetaque. Fatuus mox ad magicam confugit mulierem, quæ Regis audiens dicto, Prophetæ Samueli revocando ad vitæ munera, circulum formavit, quaſi circulus, æternitatis hieroglyphicum, animæ jam æternitati mancipatæ, foret opportunus. Efficacibus verbis ſecum fœmina murmurabat, interque illius mœſtitiam horroris Saul terrefactus, quid aſpiceret illa, rogavit; *At ait mulier ad Saul, Deos vidi aſcendentes de terrâ.* Inter quos quædam perſona peculiariter eminet: *Vir ſenex aſcendit, & ipſe amictus eſt pallio.* Tunc Sauli innotuit, Samuelem eſſe reſuſcitatum à mortuis; cujus genibus provolutus, vivum defunctum *1. Reg. c. 28.*

ado-

adoravit. Tunc Samuel converſus torto cilio, hirſutaque barba, ac impexa, altâ voce clamavit; *Quare inquietaſti me, ut ſuſcitarer.* Sepulchri umbræ, mihi umbræ acceptæ. Nil mihi prodeſt iterata tui viſio, cùm iterum mihi lumina mortis velo claudenda veniant, denuoque illius agonis tolerandi dolores; *Quare, quare inquietaſti me?* tam horridum accidit mori, ut ſemel defuncto deſipiat reviviſcere, ne iteratò acerbam animæ à corpore ſeparationem ſubire compellatur. Tuque Bellator ultrò, impavidóque pectore crudelis obvias falci? generoſitatis palmam præripies Macedoni? audito.

6. In uno Alexandro magnanimitatis epitomam habes, omnium cordatiſſimo. Helleſpontum transfretans, Xerxis trophæa conculcavit. Combuſtâ Darii Regiâ, ex illius cineribus, ſuæ gloriæ Phœnicem natum agnovit. Omnibus major diſcriminibus, victoriis onerabatur. Tandem penitiſſima Orientis ſecunda alite attigit. Hic penetravit in obſcuras opaci nemoris umbras, atque oraculis auſpicibus Solis ac Lunæ ſupplicaturus, vana eorundem ſimulachra humiliter conſulit. Tunc lene mollis, ac byſſinæ vocis murmur reſonuit: *Invicte bellis Alexander, unus eris terrarum Orbis Dominus, ſed vivus in patriam non reverteris.* Ad hoc funeſtum Oraculum Ariſtoteli ſcribendo, fatetur ipſemet, *tunc lachrymas effudi.* Ad mortis nomen ploravit Alexander, fortis, invictus, magnus. Numquid Saulis obtutibus, ne dicam fulminanti brachio, inſtructiſſimi exercitûs cedebant, robuſta mœnia patebant, longè, lateque fractis armis campi ſeminabantur? attamen cùm ei redivivus Samuel expoſuit: *Cras tu, & filii tui mecum eritis: Statimque Saul cecidit porrectus in terram.* Porrò ad mortis recordationem, vel ſolidiſſima columnarum nutare aſſolent.

Quint. Curt.

Reg. 28

7. Quòd igitur neque vacilles, neque formides, Bellator Narciſſe, conſequens eſt, te mortem haut horrere, quoniam occidere non occidi, vincere non vinci, autumas animoſus. Sed ecce inſignes technas! Joſue Urbi Hai aciem admovit, inſidiarum ignarus: *Quod cùm vidiſſet Rex Hai, feſtinavit mane, & egreſſus eſt cum omni exercitu civitatis, direxitque aciem contra deſertum, ignorans, quòd poſt tergum laterent inſidiæ.* Adventante Rege Hai, ceu formidine perculſi, atque repleti, Hebræi fugam mentiuntur, atque ſimulant. Elabi conantibus ſupplantatus hoſtis inſiſtit, præceps præpetes adoriri

viri maturat, in opima ſpolia quantus quantus ſpumans, ſicubi offenderentur. At erumpentibus ocyùs auro, quæ latebant, inſidiis, exanimis proſternitur, *ita, ut nullus de tantâ multitudine ſalvaretur.* Hoc perſpice, hoc comprehende, Narciſſe Bellator. Quid inhias prædæ, quid aſpiras ad contentum ſub tentoriis, ad debellandos exercitus, ipſe temporis, quod inſtat à tergo, trophæum? *Homo temporis ſpolium*, inquit Ariſtoteles, *& fortunæ luſus.* Horreas ad Senecæ minas: *Stat ſupra caput fatum, & pereuntis diem imputat, propriuſque, ac propius accedit. Iſtud tempus, quod alienæ deſtinas morti, fortaſſe citra tuum eſt.* Quot filii parentum mortem præcurrunt? quot invicti milites imbellium funeri antevertêre? quot præcoci fato rapti, animam exhalarunt, pro Pæanibus nænias colligentes? Petilius Romanus Conſul, apud Valerium Maximum, in Liguria belligerando, montemque Letum expugnando, gloriabatur ad ſuos Commilitones ſic effutiens: *Hodie ego Letum utique capiam.* Hoc Oraculum haut animo ampullanti adſcribendum duco, verùm præſago; quemadmodum funeſtus roboravit eventus: *Quippe eodem die non Letum montem, ſed lethum cepit; non utique occupans hoſtilia, ſed ipſe ab hoſtibus occupatus.* Ratum occupare aliena, triumphareque, inopinum fatum ſubrepſit.

l. 3. de ira. c. 42.

l. 1. c. 5.

8. Hanc veritatem roboret accerſitus Gigas, meiſque aſſortis gravius authoritatis pondus conciliet. Jam arrogans Goliath Iſraëlitas provocabat ad certamen, tàm horrendis inſultans vocibus, uti Terebinthi vallis impleretur echus repetito clamore. Secus Urbis mœnia obſidione vallatæ, carnei montis moles videbatur, cujus ora animoſitatem ſpirabant, ac audaciam. Vivus videbatur Olympus, à cujus capite ſerenitas exulabat, turbulentis cogitationibus onuſto. Ad hunc debellandum Saul dexteram armare detrectat. David ergo ſubrogatur, fundam torquendi inprimis peritus. Thoracis, galeæque oneri ſuſtinendo impar, queîs Giganti appropinquans involvebatur; ſeſe denudat, abjectiſque armorum ſarcinis ſic effatur: *Non poſſum ſic incedere, quia uſum non habeo.* Ad torrentem volat, & à torrente, vitæ ſymbolo, mortis inſtrumenta mutuat. Quinque limpidiſſimos lapillos ſeligit. Saxa, queîs cæterùm fabrica ad faſtigium conſurgit, modò deſtinantur deſtruendo unius corporis ædificio. Primodum fundæ petram imponit, funes reſolvit, librat, rotat, jacula-

tur, percutit, interimit. Jacet Goliath infelix victima; ſupremam diem, mortiſque ſuæ tenebras albo ſignavit lapillo; cujus frontem David ferire meruit, ut, Gigantem proſternendo, Coloſſum erigeret propriæ fortitudini, ſtaretque ſimulachrum perenne deportatæ victoriæ, atque decoris.

9. Num ætate noſtrâ hujuſce belli cataſtrophes deſiderantur, quæ regnant? Guſtavus Adolphus Germaniæ univerſæ propemodum imminebat, de catenanda nullus dubitans. Gothus igitur, ac Auſtriacus in conſpectu acies inſtruunt, congrediunturque. Quamplurimi deſiderantur utrobique. Guſtavus ſalvo capite inter cadaverum cumulos, ad gloriæ apogæum graſſari, aſpirare, eniti ſibi licere non ambigit. Aſt audacem fortuna deſtituit, cùm furori ſuo parentavit, plumbeâ glande illo è medio ſublato. Non ſemper igitur auſpicatò certaminibus coronis imponitur.

10. Hoc idem ſolidare juvat, exemplo ex Sacris Paginis eruto. Joſaphat atque Achab, ille Judæ, hic Iſraëlis Rex, prævalidis copiis Regem Moab aggredi tentabant. Exercitibus fœdere junctis, præ frigidæ defectu ad levandam ſitim, penè enervatis, Propheta Eliſæus ſe laturum ſuppetias pollicetur. Inter hæc ridens poſteræ diei conſurgit aurora, cœlumque purpurat; in qua temporis circumſtantiâ Iſraëlitæ in vallis concavis, cum ſpumeis undis torrentem ambitioſum colludere deprehendunt. Hic autem torrens per Moabitarum Regionem effuſus, uſquequaque ſanguine decolora-
4. Reg. tum ſe prodebat; Tunc Moabitæ dixerunt: *Sanguis gladii eſt; pu-*
3. *gnaverunt Reges contra ſe, & cæſi ſunt mutuò. Nunc perge ad prædam Moab.* Perrexêre. Feſtinantibus autem obviaverunt Iſraëlitæ, minarum ſpirantes, armati furore, ſpumantes in vindictam; quorum oculis inerant fulgura, fulmina dexteris. His ergo Moabitæ debellantur, cùm vincere autumant. Fas erat, ex rubicundis aquis propriam haut alienam internecionem arguere. Moabitæ cæſos eſſe Iſraëlitas, deletoſque arbitrantes, propriam mortem incurrunt. Hoſtis ſibi propitiam ratus fortunam, quoties experitur novercam? O perſpicacitas inſigniter luſca, ubi plurima horret mortis imago, ſe mortis immunem credere!

11. Abſalon Davidem evitare cogitabat, Iſraëlis Regno potiturus, ad quem ſcopum aciem conflavit. Hunc autem ſi aureos

per

per crines in annosâ quercu ſuſpenſum aſpicias, aſſeres, quòd cùm flavi Meduſæ capilli degenerârint in aſpides; hi migraverint in capiſtrum. Cùm auro Atalanta in cursûs æſtu ſufflaminata intelligatur; aurum capillitii medio in curſu vitam Abſaloni truncavit. Infelix miles dum elevatur in aëra, in calamitatum profundum deturbatur. Igitur, ad vulnerandum pendulum, Joab in curſum effunditur; neque lanceâ tranſverberatur, dum equo inſidet, ſed dum per crines pendet ſublimis, ut mortis fulminibus propior haberetur, ac impar innoxio lædendo Davidi, rotamque fortunæ figendo: *Tulit ergo Joab tres lanceas in manu ſuâ; & infixit eas in corde Abſalon.* Ita milites occumbunt, qui animas negotiandi ſatagunt, alienæque perniciei invigilant, ac inſidiantur.

12. Miles Narciſſe, credere fas eſt, quòd cùm te noſtro in Fonte exploraveris, te ortum ſub Martis auſpiciis opineris, fortunæ præſidiis ornatum, ut & luminaris omnium maximi: ita, ut identidem à vulneribus, atque jacturis ſis procul. Inſuper, ob fortiter initas pugnas, ſuperata pericula, non reluctor audias *terrâ, marique invictus*: tibique triumphis decoro Græcum aptetur Proverbium: *Et piſcem olet, & florem.* At quid inde? reſpice Romanos, fortunatos milites. Illi, diſſipatis Mithridatis copiis, triumphis innumeras Archelai phalanges conculcârunt; Scyllâ, qui fuerat triumphator, quatuordecim duntaxat ex ſuis extinctos, deſideratoſque numerante. Illi Arabiam devaſtârunt, duce Ælio Gallo, ſeptem milites ſolummodo hoſtium furori victimando. Illi, debellato Tigrane, unà cum centum hoſtium millibus, extra Romam novum Capitolium erexêre, novem militum jacturam ſubeunte Lucullo. Illi Marcellum Syracuſas miſerunt, ut cœli, quos ibi fabricabat Archimedes, Archimedem haut agnoſcerent auctorem, aſt Jovem Capitolinum. Illi per Pompejum in Palæſtinâ, Latinæ magnitudini novum accederet ſplendoris incrementum effecerunt. Per illos Scipio in Lybia denudavit monſtroſis illis Regionibus, duntaxat Romæ militaris fortitudinis monſtra naſci. Illi, nullos in gloria tolerantes æmulos, Carthaginem funditus everterunt, Reginam Africæ deſtruxerunt Urbem, quæ in civibus Romæ ancilla facta eſt. Illi ex lucidiſſimis coronis, propriis pedibus ſcabellum confecerunt, ſuccollantibus Perſeo, Tigrane, Mithridate, Jugurtha, Ariſtonimo,

Ariſtobulo, Hannibale, Syphace ad thronum. Illis mare militabat; quod cùm Hebræis iter præbiturum per vallis ima, in montes aſſurrexerit; pariter per undarum montes ſeptem Romæ colles adoravit. O gens bellicoſa, ô populi invicti, ô fortunati Milites, ô terque, quaterque felices pugiles! ubi nunc reperiuntur? Inclytiſſima Orbe toto Urbs Roma, Romanum Imperium, Romanique evanuerunt. Quære, ſi lubet, Scipionem Africanum, Romanorum Strategûm longè famigeratiſſimum. In tumulo jacentem offendes, cujus cadaveri certatim vermes inſultant: hocque dabitur epitaphium oculis luſtrare:

Devicto Annibale, & captâ Carthagine, & aucto
Imperio, hoc tectos marmor habet cineres.
Et cui non Europa, nec obſtitit Africa quondam,
Reſpice, res hominum quàm brevis urna premit.

Pompejum quære, ſodes, inter Latinos conſpectiſſimum; qui & Sol Romæ, & Mundi Cometes ſuſpiciebatur, utrumque ſiquidem ſe probavit, ac commendavit. Minervæ Templum ſacrârat, cujus in fronte curavit incidi, ſibi cœſos, diſſipatos, captivatos, peremptos duos milliones, ſupra centum octoginta hoſtium millia; ſe occupâſſe, deprædatum fuiſſe, ſubmerſiſſe octingentas quadraginta ſex naves; everſiſſe ſe, deſolâſſe mille quingentas ac triginta Urbes, ac pagos. Sic oſtendit Civitatum, rerum mundanarum, ſui ipſius vanitatem, quam oſtentabat; cùm tandem in tumulo jacere coactus ſit. Etiam Milites defunguntur, tam armati, quàm inermes, lacertoſi, ac imbelles: Et licèt in agone non expirent, attamen *ſtatutum eſt hominibus ſemel mori.* Ita mors belli cordatorum ſuperbiam expiat, audaciæque nervos incidere gaudet, dum funeri litat.

13. Xerxis exercitus ſeptingentis, quà peditum, quà equitum millibus conſtitiſſe, claſſemque tam inſtructam habuiſſe, ut propemodum Helleſpontum obduceret, Aſiamque ceu ponte Europæ copularet, apud Sapientes conſtat. Ille, ſuperatâ collis iniquitate, ex illius coronide exercitum obtutibus luſtrans, neceſſitate conſtrictus, uberem lachrymarum venam effudit; quòd, evoluto unius ſæculi curriculo, nec ullus ex tot militibus ſoſpes, atque ſuperſtes futurus

turus eſſet. Milites potiſſimùm appetit lethum; quibus proinde crebrius meditandi mortem onus incumbit. De Celtis populis pronunciavit Tertullianus, quòd *apud virorum fortium ſepulchra pernoctare conſuevêre.* Quod Sacrarum Scripturarum teſtimonio roborabo, ut Martis prœliis initiati, quique cruentæ militiæ nomen dedêre erudiantur, quis acerrimæ pugnæ fructus maneat minacem, exultantemque audaciam, ac contendentium ardorem. Cùm Lazarus vitæ uſuræ reſtitutus fuit, *exiit ligatus manibus, & pedes inſtitit.* Chriſtus eum mortis manibus eruit, non autem ligaminibus; Ideò illum nexibus mortis non ſolvit, laqueiſque non expedivit, ut inde mortis memoriam ſibi perennè objiceret: *Chriſti virtute exiliebat quatriduanus mortuus, lethi ſigna circumferens, & exutâ morte ſepulchralem ornatum non exuebat*: teſtatur Divus Baſilius Seleuciæ. *Orat. 35.* Sub quocunque cœli fornice, & concameratâ firmamenti teſtudine, in velitationis æſtu, ac certaminis ardore, Miles Narciſſe, lethi legibus ſubjaces: quem lethaliter ſaucium, ex arcano Numinis conſilio, nonnunquam incolumitati reſtitutum miramur. Utut autem Libitinæ præda nullatenus evadat, attamen vulnerum cicatrices circumfert impreſſas, ne memoriâ mortis excidat. Horatius Coclites ſemel & iterum, dum dimicaret, in coxendice læſus eſt; ex quo vulnere claudicantem cùm quidam percontaretur cauſſam, hoc obtinuit reſponſum concinnum, ac appoſitum: quòd claudicem, fortunæ duco muneribus, ad omne quippe greſſum, atque veſtigium, meæ memor gloriæ, mirâ perfundor dulcedine. Tu verò, Chriſtiane Miles, ad ſingulos paſſus te mortalem agnoſcito. *Plut. in vit. Publ.*

14. Bellator Narciſſe, ſcias, te de letho nunquam triumphaturum, cùm univerſi te domitorem jactas, ac oſtentas. Attamen in profundâ noſtri Fontis abyſſo modum offendes, unde mortem ſuperes, nimirum mortem recogitando. Jam tibi patet, quòd *Lazarus, ligatus manibus, & pedibus ſtatim prodiit foràs. Progreditur*, dicit Sanctus Petrus Chryſologus, *Lazarus, ab inferis reverſus occurrit, apportans vincendæ mortis formam. Hæc eſt enim vincendæ mortis forma, nimirum defuncti habitus.* *Ser. de Lazar* Bellatores excogitant ſymbola, ac inſignia, queîs honeſtent vexilla. Hinc Perſarum Reges erigebant vexilla, candidis coruſca liliis; quæ poſtmodum in aurea mutata, fulgent Galliæ inſignia. Parthi tigridem, leonem Macedones, Græci

ci draconem, æneum clypeum Lyſander, Solem in cryſtallo Darius, columbam Carthaginenſes, aquilam Romani geſtare conſuevêre. Deſine, Chriſtiane Miles, deſiſte de talium cogitatione, ſindonemque, qua tuum cadaver involvetur, recogitato. Subtrahe mentem, cor ſubtrahe tympanis, bellicíſque tormentis; & dirige ad fatalis urnæ contemplationem, neque negligas animo tuo immortalitate digna depromere: *Hæc eſt enim vincendæ mortis forma, nimirum defuncti habitus.*

15. Ignatius, ſtrenuus miles, in propugnatione Pampelonenſi accepto vulnere in terram procidens, cœlitùs erexit Societatem JESU, qua, ceu ſolidiſſima columna DEI, fulcitur Eccleſia. Ignatius igitur labendo, alter Antæus recreabatur, atque lacertoſus magis ſurgebat. In caſtris, aſtris bellum inferre didicit, atque vulneris doloribus eruditus, debellaturus mortem, ſæculi pompis abdicatis, vitam degit ſolitariam. Hinc nomen habens igne plenum, quantus quantus DEI, proximique flagrabat amore. Tam arſit, uti, Phœnicis ad inſtar, in ſuæ charitatis rogo in cinerem fuerit redactus. Proinde, ſi ceu Phœnix extinctus eſt, poſtmodum reſurrexit, ac emerſit ex cinere volaturus ad empyrei ſublimia, candida, immaculata, ſanctiſſima columba. Igitur ad Divi Ignatii de Loyola exemplum, Narciſſi Milites, mortem impugnare diſcatis.

16. Ter ſtrenuus, quàm inclytiſſimus Gerardus, primus Jeroſolymitani Xenodochii Rector, norma, ſpeculum, prototypus proborum militum, in ſcenam prodeat; cui nullus anteſtet, præſtet, antecellat. Ejus virile robur omnis ætas decantat, poſteritas plaudit, ſenſatorum acclamat grex. Unicum verè decus Equitum Jeroſolymitanorum; quæ militaris Religio ſibi jure meritiſſimo vendicat prærogativam, ſuper cæteros Ordines quatenus illam univerſus Orbis, quâ latè patet, Infidelium, acerrimorum Chriſtiani nominis hoſtium, malleum commendat, flagellum ſuſpicit, fulgidiſſimo Chriſtiani cœli ſyderi primas defert: cujus objectu Oecumenica Luna eclipſim ſubire compellitur. Quæris, qui in omni temporis articulo Equites Jeroſolymitani triumphent? in promptu reſponſum eſt, à Salomone depromptum: *Juſti tulerunt ſpolia impiorum.* Sin miles dimicando eò collimet, ut rapiat, ut infenſus æquitati, laſciviâ diffluat, ſpumet ad hauriendum ſanguinem, effundatur

Sap. 10.

in

in ſacrilegia; has ſibi Numinis comminationes protinus aptet: *Dixit inimicus, perſequar, & comprehendam, dividam ſpolia, implebitur anima mea, evaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea.* En ultricia Numinis fulmina! *flavit ſpiritus tuus, & operuit eos mare, ſubmerſi ſunt quaſi plumbum in aquis vehementibus.* Exod. 15.

17. Militum excurſionibus, nec non rapinis, mortis meditatio frœnum injiciet, quod non mordeant. Nil tibi prodeſt, tibi alieno corpori vulnus infligi, cùm tuam ſaucies animam. Haut conducit, hoſtem ſpoliare, quandoquidem innocentiæ veſtibus denudatus, reatuum ſarcinis onereris. Epirotæ cum Romanis digladiabantur aperto Marte, armis arma conſerebant, auſpice, propitiaque fortunâ: Attamen Epirotis victoria tanto ſanguine ſtetit, ut illorum Rex Pyrrhus eructârit: de nobis conclamatum eſt, ſi contingat Romanos nobis denuo ſuperari. Eſto, ex unâ victoriâ tibi liceat congeſtarum opum fructus colligere, plurimorumque Regnorum gazas deprædari, potiri pretioſis; tumulo tamen nil horum tecum inferes. Hoc adhibuit remedium Gratia, ſanctificatum inter armorum ſtrepitus Elzearium, Comitem de Ariano, ortum in Gallia Narbonenſi, militantem in Italia, melliflui cœli alumna. Meruit Ruperto Rege Neapolitano, à quo creatus ſupremus Belli Dux, in expeditione adverſus exercitum Henrici Imperatoris: Præclara ſpecimina, omnique æmulatione majora fortitudinis edidit monumenta. Certaminis campus extitit Romæ vicinia, ipſaque Roma; ubi triumphales Capitolii coronæ Elzeario contexebantur, inviÉtiſſimum Strategum honeſtaturæ, decoraturæ, cujus tempora lauro redimenda veniebant. Univerſus Imperatoris exercitus, Elzearii ferro victima immolatur; qui cæſus, profligatuſque miſerandum in modum, quâ lachrymis, quà ſanguine, turbidis Tyberis undis incrementum conciliârunt. Elzearius autem hac illac diſcurrebat, inhibiturus ſuos ab hoſtium adhuc ſpirantium excidio, cadaverumque inſultibus: operæ pretium facturum ſe ratus, ſi triumphantes animi turbidos, debacchanteſque compeſceret, atque cohiberet, cæterùm culpam, pœnâ comite premente. Comitiſſa Dalfina, perdilecta Conjux, at Virgo, effluxo plurimorum annorum ſpatio, ubinam mellitiſſimus habeat Maritus, quo loco ſedem fixerit, anxius ſcrutatur; datiſque epiſtolis (quæ ſuâ manu erant) animum ſuum morarum impatientem denu-

denudat palam, proteſtaturque; hoc illi reſponſum legebatur appoſitum; ſoſpitâ gaudeo, pancraticè valeo. Si fortaſſis mei ſpectandi tuum animum cupido ſubiret, in Chriſti latere nidificantem daretur offendere. Hìc quieſco, hìc explorantibus occurram, alibi me quærentes eludam, fruſtrabo. Ubinam obviant hujuſce farinæ milites? per mortis meditationem, ad tantæ perfectionis gradum graſſabantur. Ab Rege Ruperto ad Aulam Galliæ Regis mittitur, inter Calabriæ Ducem, Mariamque Caroli de Valois filiam; qui Regis Philippi Tertii, cognomento Audacis, noviſſimus ſuſpiciebatur filius, connubium ſanciturus. Pariſios attingens, amœnas inter illius florentiſſimæ Aulæ delicias, nunquam riſiſſe fama volat. Interrogatus, ecquid ſubauſterus videri mallet, quàm hilaritate ora ſerenare, riſuque, reſpondit ſapientiſſimè: Poſtquam ego meis debitis fecero ſatis, exiguum vitæ ſpatium mihi ſupererit: Quoniam autem ſolutionis fini propinquum me comperio, jam luculenter eluceſcit, lethum præpeti curſu appropinquare. Rogatus à Rege, quam methodum, formamque in obſidionibus fortalitiorum adhiberet, reſpondit, ipſiſſimam, qua dæmonis calliditas utitur adverſus animam, agonis tempore.

18. Vobis igitur ſcribo, vos alloquor, belli, ac artis militaris peritos, Martis aſſeclæ. Perpenditote, obſidionem cogitate, cùm infenſus exercitus in raſis campis, è veſtigio ſpiſſiſſimam haſtarum ſylvam jubet exſurgere. Ab obſidionis primordio, haud propius ad Urbem accedit, ſed eminus circumvallationis lineâ cingere maturat, ſuppetiarum loco ſepiendo. Inde ſinuoſis aggeribus ſenſim appropinquat, crebraque bellicorum tormentorum verberatione flagellat. Obruit propugnantium munimina, eruptionibus antevertit, propulſatve. Verùm inſtantibus hyemis rigoribus, cœloque imbribus fœdo, ſoloque tenaci cœno ſordidato, undique ænea tormenta fulminant Urbem; agmina certatim innuunt; hic rotat enſem; ille ignitos jaculatur globos; tertius accendit cuniculos; ſcalam alius mœnibus admovet; hortatur hic deditionem, alius præſidiariis ſuccenſet cunctabundis; Omnibus, reluctante nemine, ad triumphandum aſpirantibus in hoc potiſſimùm temporis veſtigio; priuſquam mortalitate, ſeu cœli inclementiâ, intemperieque intercipiantur.

19. Ita

19. Ita nos habet dæmon. Davide ſuffragatore, ille ſolus in vita digladiatur, *ut ſingularis ferus.* In morte verò, ut excelſum decet Principem, formidabili cingitur exercitu: *Venit Princeps hujus Mundi.* Eminus impugnat, obſtando gratiæ ſubſidiis, per noſtrorum ſcelerum erectas lineas. Sin intelligat, frigidorum annorum nive ſpargi crines, ſi mortis immineat hyems, ſi vitæ arbor viridibus ſpolietur frondibus diuturnioris vitæ, ſi deprehendit morientis pluviam in deciduis lachrymis, agoniſque ſudoribus; tunc aggreditur te, collectis viribus: *habens iram magnam, ſciens, quod modicum tempus habet.* Tunc undique turbat te, efficit, intercidat memoria ſupernorum illapſuum, ob oculos ponit innumerum numerum tuorum mendorum, violentias, crudelitatem, furta, violatam æquitatem, profanatas Eccleſias, libertatem effrænem, intemperiis ſexcentis ciendo nullatenus ſuperſedens, donec in deſperationis barathrum devolvaris, ac deturberis. Quid ages, miſerrime miles, calamitatum iliadibus, ærumnarum agminibus obſeſſus? mortis cogitatio tuis indomitis appetitibus duntaxat frœnum injiciet, una lethi memoria tibi temperabit. Recordare, te Libitinæ prædam mox futurum, anguſtâ foveâ cogitationum tuarum amplitudinem circumſcribendam venire. Sic igitur vitam inſtituas oportet, ut, in terris dimicans, palmam reportes in cœlo, rudeque doneris. Epaminondas Thebanus patriæ ſtudioſiſſimus, ſtrenuus miles, Juſtitiæ, pietatiſque decoribus præfulgidus, cum morte colluctans, has cygneas voces in ſuos commilitones effundens: *Non finis, commilitones, vitæ meæ, ſed melius & altius initium advenit: Nunc enim veſter Epaminondas naſcitur, quando ſic moritur.* Sanè probus illi contigiſſet obitus, ſi maculam originalem priùs ſacro Fonte abluiſſet. Sic mori, mors haut eſt, ſed vita. Illam dico veram mortem, cùm quis in peccato excedit, poſt ſceleſtum vivere. Ergo morieris, ô miles, militiæque ſtipendia erunt & lethi. Modò cum hoſte contendis, nec intelligis, tecum Numini eſſe certamen. De DEO in Proverbiis ſcriptum legitur: *Ludens in Orbe terrarum*, Legit Hebræus: *Prælians in Orbe terrarum.* Quid autem Gregorius Nazianzenus de Divino luſu ſentiat, audiamus: *Ejuſmodi in terra ludus, & cùm non ſimus, naſcamur, cùm nati ſumus, rurſus diſſolvamur.* Deinde de Divino prœlio ſubnectit: *Nec*

Pſ. 97.

Orat. 10. in laud. Cæſ.

ars omninò ulla, & aſtutia invenietur, quò mortis tempus repellat, ac velut exceptione ſubmoveat; Verùm quemadmodum in medio bello captis, fuga omnis undique præcluſa perſpicitur, atque omnis hominis impietas ſimul perit.

LITERATI
AD
FONTEM.

CAPUT IX.

1. ME doctiores alloqui auſpicor, ac exordior. Attamen, Literati Narciſſi, juvabit reſpicere ad oſtream, quæ vulgariter audit lanapinnula, quæ inter concharum ſpecies numeranda venit. Cœli rore paſcitur. Inſidioſo cancro eſt inſidens cura, patentis claudendi tegminis, lapilli ſuffragiis, oppilatum ut devoret. At ex providæ naturæ indulgentiâ, illius ſinu naſcitur, aliturque minutulum animalculum, à cancro vix abludens: quod, ſua dum nutrix, animataque paſcitur domus, præ teſta oculatum excubat, aditum inſidiatori præcluſurum. Probè fateor, illorum doctrinam, ad quos meus dirigitur ſermo, tam occurrere conſpicuam, ut ejus ſinu vivam, plurimumque utilitatis inde mihi liceat haurire: quos proinde oculiſſimos habeo. Verùm cùm iidem appareant in hoc procelloſo ſæculi Pelago, intenti ſibimet paſcendis per cœli doctrinas, aut cœlorum motus ſpeculando, Stellarumve influxus, aut denique Numinis attributa cum perfectionibus: dabunt veniam, ſi parvuli ad inſtar, illis inſerviam, erudiendo, inopinam inſtare mortem, eorum devorandorum, dum aliud agunt, neque de illâ cogitant, inſidiantem tempori. Lethum igitur ſuggerens, haut commiſerim in illorum profeſſionem; eſt quippe Sapientum, mortem meditari: eos neque propriâ extraham ſphærâ, in epitaphio Nepotiani, dicente S. Hieronymo: *Platonis ſententia eſt, omnem Sapientum vitam meditationem eſſe mortis. Laudant hoc Phi-*

Epiſt. 3. ad He-

loſophi, & in Cœlum uſque ferunt. *lion.*

2. Hìc, doctiſſimi Narciſſi, in memoriam revocate Homeri oraculum: *Nihil homine imbecillius terra nutrit.* Nec multum laborabo de hoc evincendo, cùm argumentorum ſupellectilem eruere valeatis ex ſaniore Philoſophiâ; quatenus homo contrariis elementorum qualitatibus, mutuoque pugnantibus conſtans, diu durare nequeat. Vos, in ſcientiarum Oceano immerſi, ægrè ad littus aſpirabitis, &, niſi prolixam poſt temporis intercapedinem, appuliſſe geſtietis. Ter longæ vos arti mancipâſtis. At quid inde? *Ars longa, vita brevis,* intonat Hippocrates in Aphoriſmis. *Plut. in mor.*

3. Generoſum Literati ingenium volat ad ſpeculandum pernicitatem, diſcordiamque cœleſtium motuum; ſinuoſas, rectasque Stellarum aſcenſiones; motus Sphærarum majorum; epicyclos; Planetarum aſpectus, atque progreſſus; latitudinem Zonæ Zodiaci; majorum circulorum labyrinthos, atque minorum; Climata, Zonas, Parallelos: quæ in cœli planitie implicat Aſtrologia. Cum Chriſto dicam, ô Aſtrologe, *Zachæe feſtinans deſcende.* Audi Divum Petrum Chryſologum: *Feſtinans deſcende, ut expeditus intres Philoſophiam mortis.* Hoc ſapit germanum ſapere. Verùm ne moras nectas, cùm tantillum temporis tibi duntaxat ſuperſit, imbuendo, erudiendoque in ſchola mortis. Vitæ ſpatium tibi conceditur perquam reſtrictum, *Feſtinans deſcende* de aſtrorum contemplatione ad tumuli conſiderationem. Oleum enim, ac operam perdis, otiumque ludis, judiciariæ vanitatem amplectens, in eventuum contemplationem te ingurgitando; cùm ſuperſedeas illius cogitatione, quod mox executioni mandetur, quodque Mortalium nullus eludat, elabatur cui nemo. Quod prædicere te jactas, nullum ſortietur effectum; quoniam ſydera neque medio motu, neque lumine, nec influxibus, quidpiam valent in animam, ſubſtantiam ſpiritualem, aut in potentias, actuſque illius: agens enim, ac patiens ejuſdem ordinis eſſe deberent. Fieri proinde non poteſt, agentia corpora naturalem actionem exercere in incorporea, ſuperioris ordinis, atque diverſi, nec non generis differentis. Igitur aut explodat quis inanem ſcientiam, aut adhærenti, ſe ſibi egregiè imponere ſciat.

4. Stoici Epicurô illudentes, caſui cunctos effectus tribuenti, rebantur Sphærarum ſtabilitate ſortem firmari, cœlorumque motu, hu-

tu, humanæ fortunæ rotam ſufflaminari. Palmarem oppidò redolet fatuitatem. Joannes Barclajus in Argenide, laxatis habenis in judiciarios invehens, in ſcenam dat Nicopompum, eorundem inſaniam
l. 2. aſperiùs perſtringentem: *Et unde tantum ſyderibus in corpora noſtra, imò in mentes imperium? ex iis ſcilicet expecta fœlicitatem, ex iis vitæ genus, & mortis arbitrium.* Quo epiclemate erubeſcant neceſſum eſt. Ut igitur meæ vitæ tenorem legam, in illis luminoſis, ſcintillantibuſque characteribus mihi defigendus obtutus; Stellarumque candor, aut purpuræ rubedinem, aut prætextæ prænunciabit mihi mœſtam nigritudinem? Ergo dum maximè tranquillâ gaudeo pacis ſerenitate, rigido influxu meam ſydera funeſtabunt hilaritatem? ergo aſtrorum eſt, mihi cimmeriis involuto, amicos per radios affulgere, tenebras diſcutere? ô miſeri! *quò libertas mortalium, ſi à præſcripto ſyderum non poſſum recedere?* nullum eſt aſtris imperium, nulla poteſtas in mortalium arbitria. Hinc, poſttergatis Pichi Mirandulani argumentis, in teſtem juvat accerſere Cardanum, qui gloriabatur, ſibi fundum Aſtrologiæ fuiſſe repertum. Hic ſex luſtris, ad nimiam credulitatem incumbente genio, propriæ nativitati conſtituendæ pertinaciùs ſtuduit; aſt cùm digito ſe cœlum attigiſſe ampullabatur, ſuæ mortis puncti ignarus, in ſicco hærere deprehenſus ſubſannabatur, Aſtrologiæ ludibrium. Thales, unus ex ſeptem Græciæ Sapientibus, qui primus Geometriam invexerat Græciæ, intempeſtâ nocte obſervabat temporum ambitus, ventorum flatus, ſtellarum motus, tonitruum ſonora miracula, ſyderum obliqua curricula, & Solis annua reverticula. His itaque tam amœnorum ſpectaculorum contemplationibus abſorptus, atque raptus, profundam foveam, quæ pedibus imminebat, haut animadvertit: in quam prolapſus, cachinnantem, illudentemque talibus annum ſortitus eſt; ô excors! qui cœlorum arcana enodare audes, cui telluris hiatus, qui præ pedibus, prorſus haud innoteſcit? Huc, Aſtronomiæ vani aſſeclæ, perbelle elegantiſſimum Alciati emblema in hosce quadrat:

Dum turdos viſco, pedica dum fallit alaudas,
Et jacta altivolam figit arundo gruem.
Dipſada non prudens auceps pede perculit: ultrix
Illa mali emiſſum virus ab ore jacit.

Sic

Sic obit, extento qui ſydera reſpicit arcu,
Securus fati, quod jacet ante pedes.

Ergo tua prognoſtica, quemadmodum tua mors, haut veritati reſpondebunt; illa ſiquidem certò continget, cùm *ſtatutum eſt hominibus ſemel mori.* Quod in Deuteronomio legitur, talibus aptare liceat Aſtrologis: *Gens abſque conſilio eſt, & ſine prudentia. Utinam ſaperent, & intelligerent, ac noviſſima providerent.* Legit Vatablus: *Utinam expenderent, quod tandem futurum ſit ipſis.* Albertus Magnus, qui in vaſto ſcientiarum Oceano, ceu ſpongiâ, haut modicum in omnium doctrinarum facultatibus attraxit; quotidie funeſtum inviſebat locum, ubi ſibi ſepulchrum elegerat: inſuper mortuorum officium recitans, velut extincto, ſibi juſta perſolvebat, parentabatque. Satius eſt ergo mortem contemplari, quàm vana ſectari; ſecus enim quis ſemet perdet, ac peſſundabit. Cap.32. 28.

5. En vivendi normam, Theologi Narciſſi, quam vobis Magnus Albertus præſcribit, profundiſſimus Theologus. Mortem perpenditote, *Sapientia ubi invenitur?* quærit Jobus; ac deinde reſpondet: *Trahitur Sapientia de occultis:* veluti ex cadaveribus in tumulo reconditis. Cùm Chriſtus per ſuam mortem reſarcivit vetera damna, cur, amabo, adhuc crudele lethum, primi reatûs reparati funeſtiſſimus effectus, perſeverat? Audite Doctorum Aquilam, Divum Auguſtinum: *Tantam DEUS præſtitit gratiam, ut mors, quam vitæ conſtat eſſe contrariam, inſtrumentum fieret, per quod transferretur in vitam.* Deſcendit Verbum æternum de ſuperis ſedibus, in hanc vallem, præſentiſſima allaturum lenimenta, dulcandæ vulnerum acerbitati, ad reſtaurandam, refocillandamque vitæ languentis imbecillitatem roboriſque deliquia. Ob quam cauſam? *Contraria contrariis curantur:* Mors vitæ repugnans, evadit vitæ ſemivivæ remedium; quandoquidem per mortis cogitationem, ſpirituali vitæ ſervemur. Hinc lethum terrâ non eſt extorre, nec eliminatur. Cap.28. l.13.de Civ. Dei.c.4.

6. Anni diſſipantur, corporis ſalus deſtruitur apud Literatos, dum totum otium conferunt ad ſubtiliſſimarum ſpeculationum indaginem; eoque deveniunt acuminis, ut ſubtiliſſimi Scoti formalitates jam viſibiles audire mereantur. Seſe animoſi Divino Sanctiſſimæ Triadis ingerunt labyrintho; quem evaſuri, mutuant ab ingenii facultate ar-

gumentorum filum, velut ab Ariadna. At audiant Joannis Gerſonis
1. c. 1. oraculum: *Quid prodeſt tibi, alta de Trinitate diſputare, ſi careas humilitate, unde diſpliceas Trinitati?* Scioli faſtu turgent, *Scientia inflat*, teſte Divo Paulo: multò magis ampullabuntur ter docti. Verùm quid prodeſt, te ſublimari cogitationibus ad Divinam Eſſentiam, ibique cognoſcere generationes, ſpirationes, notiones; cùm lenocinans vanæ gloriæ aura, aliò tibi cor rapit, teque à mente abalienat, cùm ſublatâ anchorâ, velis ſuperbiâ inflatis, delictis onuſtus, longiùs avellaris à Numine? mortem recogita, ſepulchrum ſpectato, & ſupercilium protinus demittes. Humanum contendit ingenium, laborat, conatur. O caſſi niſus, ô infructuoſa molimina, ô vani labores! quò collimatis, quò tenditis, quod præmium vos manet, qua donabimini mer-
Luc. 10. 25. cede? Nunquid Juriſperitus rogavit: *Magiſter, quid faciendo vitam æternam poſſidebo?* Chriſtus autem utique reſpondit: *In Lege quid ſcriptum eſt? hoc fac, & vives.* Ergo ad unguem Divinis auſculta Præceptis, bonum operare, pietatis operibus opera cumulato, ſic prædeſtinatis adſcriberis. Jam Altiſſimus fidem oppignoravit, ſtabitque promiſſis, *hoc fac, & vives.* Quis autem præcavet, ne viator homo à rectâ cœleſtium mandatorum exorbitet, deflectat, atque declinet, præter lethi memoriam, niſi una mortis meditatio? Ariſtoteles, quem veſtrum colitis Magiſtrum, docet, quòd quantò quis ſapientior habetur, tantò vehementiùs mortem abhorreat, qui proinde exclamaſſe
l. 6. Eth. dicitur: *Nil morte terribilius, nil acerbius.* Quod ex eo proficiſcitur, ac emanat, quoniam Sapiens clariùs agnoſcit ſuæ vitæ pretium. Hinc eructabat ſapientiſſimus David: *Cor meum conturbatum eſt in me, & formido mortis cecidit ſuper me.* Homo, Sapientiſque pectus lethi pavore perculſum, ſuæ duntaxat ſaluti conſulit, ac proſpicit, ſuis invigilat bonis, nec ab Evangelii præſcripto vel apicem recedit.

7. Quid de Theologis Concionatoribus aſſeram, quorum capita fumo replere conſuevit, una generoſi liquoris ſtilla, quam ex aureo eloquentiæ cratere hauſerunt; ita ut immodicarum cogitationum vertigine laborent? Meo non defuero muneri, ſi vobis expendendos exhibuero Aloyſium Albrizium, Ludovicum de Tomaſis, Pontificios Concionatores; Reginaldum Sgambati, Angelum Orinbelli, Franciſcum Panigarolam, Jacobum Zacchiam, Aloyſium Juglaris, Cornelium Muſſum, Laurentium Felini, Joann. Baptiſt. Paſſerini, Joſe-

Joſephum Scammaccam, qui Rhetorices fulmina ſuſpiciebantur; aut Paulum, aut Marcellum Toloſa, qui *Boanerges* titulum ſibi vendicarunt. Horum ora, quondam vocalia uſque ad miraculum, impræſentiarum in tumulo obmuteſcunt. Nil dicam de Paulo Oliva, de Nicolao Lepori, Bonaventura Cavalli, Jacobo Lobrano, Fulgentio Arminio, Matthæo Taverna, Paulo Segnari, Placido Caraſa, qui populis, nationibuſque perſuadens, deinde Epiſcopus procuravit. Hos quoque in faſciculum colliget Libitina. Emmanuel Theſaurus in cinerem ſolvetur cum Jo. Auguſtino de Lingueglia; Joſepho Silos, Cajetano Bonomo, Cajetano Felice Verani, Amadeo Hamilton, literarum cultu ornatiſſimis; quemadmodum pulvis jacent Auguſtinus Maſcardi, Julius Brignole, Joan. Ciampoli. Defunctus eſt Hieronymus Mantini, pariter accumbet Philippus Sitajolo. Ut hinc migrârunt Franciſcus Maria Campana, Ludovicus Antinori; ſic Carolus Petra ſancta, Michaël Fontana roſa evaneſcent. Franciſci Zappatæ enervabitur energia, inque fovea exſanguis jacebit. Haut ampliùs loquentur Auguſtinus Bozomo, ac Stephanus Pepe. Licèt Concionatores Mercurii geſtent alas, cothurnos, ac caduceum, attamen lethi falcem haut eludent. Eloquentiores expirant; quibus ſi cura eſt proficiendi in eloquentiæ ſtadio, mortis meditationem ſibi proponant, neceſſum duco.

8. Apoſtolo Petro ubique locorum reſurrectionem extinctæ Tabithæ à Numine poſtulare licebat; cur ergo invectus legitur, ubi gelidum cadaver jacebat? *Duxerunt illum in cœnaculum: Ducunt Petrum* *in Act.*
(reſpondet Chryſoſtomus) *ubi ſita erat mortua, fortaſſis putantes aliquid* *Apoſt.*
illi ad doctrinam dari. Ut ad conſpectum defunctæ ſibi documentum *c. 9.*
haut vulgare derivaret, & hauriret: Licèt enim Petrus & Prædicator fuerit, & Apoſtolus, mors attamen Concionatorem Concionatorum agit. Quod autem documentum diſcemus, ex mortis conſideratione? nempe, in noviſſimo fine tibi rigidiſſimam rationem eſſe reddendam, num concionando, præ tua gloriâ Evangelicam vineam excolueris, an animarum lucro inhiaveris, auræve popularis quæſtum ſitiveris, utrum inconditæ multitudinis plauſus ventoſâ popularitate venantem, aſſentatio bracteata titillârit.

9. Nonnulli Concionatorum chamæleonem æmulantur. Hoc animalculum tam eſt tenui, exiguâque magnitudine, quàm ingens appa-

apparet, ſi nomen ſpectes, implicans ſe viperinis orbibus, aſperum corpus teſtudineâ velocitate ſuper ſubjectas roſas trahit. Ad colores, quos videt, converſione facillima variatur; hincque ſuper illas repens, rubedinem contrahere videtur, ut & virorem, ſi frondes perambulet. Sin quid atratum contingat decurrere, protinus nigrore veſtitur. Utut habitator ſoli videatur, attamen aëris filius nuncupandus venit, cujus ſe jactat æmulum, mille verſicolores colores attrahens; cùm inſuper ſolus animalium, nec cibo, nec potu alatur, nec alio quàm aëris alimento. En ſymbolum Concionatorum acclamationes anhelantium! Adveniente letho, meritis vacui, nil niſi aërem pugno conſtringent. Quæret paterfamilias, num vitis fuerit putata, an jaceat, aſſurgátve, & eradicatæ ſint circumſtantes pravitatis herbæ. Illi potiſſimè confundentur rubore ſuffuſi, qui, ſuggeſtu in ſcenam mutato, Apoſtolicum concionandi munus, in minorum exercitium inflexêre, concionibus ſubrogatâ Comœdiâ. Eò impudentiæ devenit, ætate noſtrâ, mortalium perfidia, ut, dum Evangelium adulteratur, populus certatim accurrat, audiendæ vanitatis ergò, interim genuinis Divini Verbi præconibus nec unico auditore aures accommodante? quod tamen admiratione caret. Si quis Phœnicem volucrum reginam ſedulus explorator ſpectabit, omni viduatum ſocietate, per aëra volantem offendet: Sin autem contempletur noctuam, avium ſcurram, deprehendet innumero avicularum numero coronatam, cui accurrunt, ad quam volant. Hanc miſeram ſæculi conditionem deploro. Hujuſce pariter occurrere Concionatores, teſte Nazianzeno, mirum haut

Orat. 24. fuerit; Siquidem *conſpicio Sapientes diei unius momento exortos, ac manuum impoſitione Theologos factos, quibus ad ſapientiam comparandam ſatis, ſuperque eſſe videtur, ſolam voluntatem afferre.* Autumant ſe ſapientiæ heluones cum Ezechiele uno in volumine, Cathedramque aſcendentes bolo adhuc faucibus hærente, diſcriminando non ſunt à theatrorum paraſito ſacrum Oratorem. De his locutus eſt Di-

in cap. 4. Ez. vus Hieronymus, cùm lachrymabatur, dicendo: *Cùm loqui neſciunt, tacere non poſſunt, docentque Scripturas, quas non intelligunt; & cùm aliis perſuaſerint, eruditorum ſibi aſſumunt ſupercilium: priùs imperitorum Magiſtri, quàm Doctorum Diſcipuli.*

10. Longè diſpar extitit vivendi norma, apud veteres Philoſophos; queîs cùm minimè diurnum ſpatium ſuffeciſſet, pernoctantes etiam

etiam ad lychnum, invigilabant temporis lucro. Quid non illorum pectora effundere ſatagebant erudiendæ mortalitati? Quid non tentârunt, ut erudirentur, comparandæ ſapientiæ gratiâ: Diogenes Cynicus habitabat in dolio; Anaxagoras ſub dio vivebat in campis apricis, Solis curſum ſpeculaturus: quin imò proteſtabatur Heraclitus, haut ægrè ſe laturum, ſi, redivivi Phaëtontis inſtar, Jovis fulminibus percuſſus fuiſſet, dummodo propius inveſtigandi Solis eſſentiam, votis potiretur. Hinc tamen ſupercilium Doctorum ſibi non aſſumebant, nova diſcendi cupidi. Proinde Seneca felices appellabat Reſpublicas, *in quibus aut Philoſophi regnant, aut Reges philoſophantur.* Ep.83. Integrum quidem Mundum erudire, ac regere poterant, modum obſtandi letho docere neutiquam poterant. Hinc Ariſtoteles impar ſcrutando Euripi naturam, præcipitando dixit: *O abyſſe, cùm te capere non poſſim, tu me recipe.* Neque Platonis Divini cognomentum, immortalitatem peperit. Cepit ſomnum carpere, nunquam evigilaturus. In ſomno mortuus eſt, cujus vita ſomnium extitit. Socrates dictitabat: *Mortem eſſe ſimilem profundo ſomno, aut diutinæ peregrinationi.* Hinc admodum concinnè Clemens Alexandrinus lectum vocavit *ſomni gymnaſium*; cùm enim ſomnus imago mortis habeatur, ille in toro eandem ſcholam veritatis aperire didicit, vel Literatorum primates erudiens. En quì etiam Philoſophorum inclytiſſimi defungantur. in Pæd. l.2.c.2.

11. Adhuc ſub Judice lis eſt, Stoicos inter atque Peripateticos, num partes, queîs quantitas continua conſtat, ac componitur, ſint in infinitum diviſibiles, an puncta indiviſibilia. Hos ſanctiſſimo Job ſiſtamus, qui per mortis jugem memoriam, conſcientiam nullo reatûs nævo maculavit. Aſſignat puncta, ac inſtantia indiviſibilia pro illis, qui, bacchanalia vivendo, ſenſûs, ac voluptatum mancipia, Philoſophorum nomine gaudent, ac corruſcant, at Heliogabali depravatis moribus ſordent; *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.* Repetit Divus Antonius Patavinus: *Punctum eſt vita omnis peccatoris, in qua eſt punitio conſcientiæ, brevitas vitæ.* Et quamvis Philoſophiæ amica Medicina ancilletur, nec latum unguem ævum extendere, vivacitatem prorogare valebit: *Exiguum, & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ, & non eſt refrigerium in fine hominis.* O Medici, ô Medici! *non eſt remedium.* Serm.1. Dom.3. poſt Pent. Sap.c.1.

12. Noſtro in Fonte explorate vos, ô Philoſophi Narciſſi; quibus ſe ſocient Medici, Anatomiæque periti: qui protinus denudabunt, quòd, ex naturæ inſtituto, docto in capite os quoddam geſtent, in ſimilitudinem funeſtæ falcis effictum. Aſtronomi ne graventur ad ſydera tollere vultus, ibi obſervaturi, cunctas ſtellantes imagines identidem occidere, unâ demptâ, quæ noſtro Polo propenſius imminet; Perſeum intelligo, qui dexterâ machæram ſanguineam ſtringit, lævâ truncatum Meduſæ caput. Caput inclinent naturæ à ſecretis, cum herbariæ indolis ſcrutatoribus; animadvertent humi mandragoram [alii circejum] avellanarum nucum magnitudine, humani cadaveris figuram præ ſe ferre: ne hominis, ſurſum deorſumque aſpicientis, obtutibus, deeſſet perennis barbaræ mortis icon, effigies, inſignia. Quis enim fato ſe ſubtrahat? Socrates, ſibi nunciantibus: *Athenienſes te morte damnârunt*; citra hæſitationem re-
Ep. 66. ſpondit: *At illos natura.* Quaſi inferre vellet penes Senecam: *Mors omnium par, id, per quæ venit, diverſa ſunt, id, in quod deſinunt, unum eſt, finiſſe vitam.*

13. Præter naturæ legem, Medicis quàm reliquis mortis innoteſcit certitudo, quæ fluxorum definit commercium. Attamen aut negant, aut longinquam affirmant, obrutaque veritatis confeſſione, ſeverâ aſſertione mellita per blandimenta moribundis imponunt. Quod medelæ genus, quàm ex arris Medicæ præſcripto, veritatiſque candore, ex Politices verſipellis vaframentis, ac technis de-
l. 10. Mor. promptum ſuggillabo, teſte Divo Gregorio Papâ: *Hujus Mundi ſapientia eſt, cor machinationibus tegere, ſenſum verbis velare; quæ falſa ſunt, vera oſtendere, quæ vera ſunt, falſa demonſtrare.* Quod & Philoſophis familiare ſcimus; qui ſuis dogmatibus, quæ habent incomperta, credulorum mentes imbuere ſatagunt, ceu novi Mundi repertores Columbi. O intellectûs acumen! hos ego damnandos venire capitis, dum alieno honori velificando, mactant, haut inficior.

14. Senecæ verò ſtomachus fuit hujuſce fatuitatis, ſed morali Philoſophiæ erudiendum ſe tradidit, ac credidit; attamen ſupremum diem inauſpicatò clauſiſſe, in confeſſo eſt apud Sapientes. In balneario labro eum contemplari ne pigeat, lacte ſcatente. Haud admiratione teneor, Neronem tam crudeliter in Senecam deſævire; quip-

quippe viperæ efferantur lacte; Venas Philoſophus aperire non dubitat. Cùm enim pauper ac nuda incedat Philoſophia, ille in ſemet neque liquidos cruoris pyropos patitur. Confunditur purpurei ſanguinis rubedo cum innoxio lactis candore, quòd inhumanus Nero, æquitatis, naturæque leges ſuſque, deque verterit. Lac ex violentiâ purpuraſcit, ceu immiti tyranno probroſum propinaret ruborem, dum animadvertit barbarâ feritate, in caput ſui nutritii, à quo virtutis lac hauſerat. Occumbit exſanguis Seneca; nec alibi Sol moralitatis, quàm in lacte, innocentiæ ſymbolo, occidat, congruit. Quid aget coram extincti cadavere Paulina mellita Conjux? Eclipſin ſubibunt ſuorum oculorum Stellæ, quoniam ampliùs haut lumen mutuare conceditur à Sole extincto. Quid vivam, inquit, mea cùm ſit mortua vita? Chirurgicum ſtringit ſcalpellum, venas incidit. Magnanimum facinus ad Neronis aures pervenit; qui, licet aſpis, hâc tamen vice illas non obturavit, imperatque patentes obduci venas, amplius ne ſtillent: aſt adeò copioſa extitit ſanguinis effuſio, ut deinceps afflicta vidua effœta, pallidaque vixerit, identidem ore cineres oſtendente, in ingentis amoris ignis teſſeram, quo illius pectus inflammabatur. Tandem cùm Parca nevit præfixum filum, & ipſa fato conceſſit. Æquâ lance exceſſit Hippocrates, qui, aphoriſmos dictando, verborum ſuffragiis fugacis firmandæ vitæ ſatagebat. Mortuus eſt Galenus, qui, integrâ die herbas, radiceſque exprimendo, ſuccos quærebat venandæ ipſiſſimæ morti. Inſignis ille Archimedes è vivis ſublatus eſt, dum circulum formabat in cinere, quo pavimentum ſpargebatur: quoniam in cinerem reſolutus, ad æternitatis circulum pergere debebat. Igitur defungentibus Aſtrologis, Mathematicis, Theologis, Concionatoribus, Philoſophis, Medicis, etiam Hiſtoricos eadem ſors manebit, atque Poëtas: nec ad labentes ſolidiſſimos quoſque, imbecilliores ſtare noverint.

15. Numquid Plinius moliebatur amicam ſibi reddere naturam, ejuſdem mira recenſendo arcana, vimque mirabilem. Sibi ſua per monumenta perennando ſtudebat. Cauſſam voracis incendii ſcrutaturus, quod ſempiternum in profundis vivit viſceribus, accenſi Veſuvii rupes exeſas aſcenderat. Ut videatur in ſcientiis gigas, montem ſcandit. Frœna, fræna veſtigium, ſiſte greſſum. Empedoclis Tragœdia properantem ſufflaminet; qui in Æthnæ coronide deplo-

randum evaſit flammarum pabulum. Scias, hujus in montis ſupercilio cinerem fulminare, tametſi fulminis ſit, in cinerem reſolvere. Plinius audire detrectat, progreditur, ignis migrat in prædam; ac extinctis artubus, tonantibus Veſuvii cineribus incrementum ciet. Mortuus eſt, nec quidpiam ei profuit naturæ neceſſitudo, atque amicitia. Livius itidem è medio ſublatus evanuit, quem comitatus eſt Tacitus. Saluſtio parentatum eſt hiſtoriæ parenti, nec non Famiano Stradæ ſoluta juſta ſunt. Quid futurum erit de Joſepho Silos, cujus immortalis calamus, omnium ſæculorum admirationem ſibi conciliabit? Memoratorum veſtigiis inſiſtet.

16. Homerus haut amplius occurrit ſpectabilis. Enodando ænigmati, quod piſcatores propoſuerant, impar, *præ tædio mortuus eſt.* Ubi nunc Virgilius habet? cavo jacet in ſaxo, hocque epitaphium ipſe ſibi compoſuit:

Paſtor, arator, eques, pavi, colui, ſuperavi,
Capras, rura, hoſtes, fronde, ligone, manu.
De capris, paſtis, de rure ſato, hoſte ſubacto,
Nec lac, nec ſegetes, nec ſpolia ulla tuli.

Ubi nunc Ovidius, Horatius, Martialis, Statius, Lucanus, Silius Italus? Satius fuiſſet, in noſtro, quàm in Hippocrenis fonte, ſeſe exploraviſſe. Nec Dantes, Alighieri, Sanazzarus, Scipio, Henricus, Joannes Baptiſta Marini, Joannes Baptiſta Guarini, Fulvius Teſti, Hieronymus Preti, Claudius Archillini, Franciſcus Balducci, Alexand. Taſſonius, Torquatus Taſſus, aut Franciſcus Petrarcha cum Ludovico Arioſto inter vivos numerantur. En qui epigrammate, tam Poëtârum, quàm omnium viventium calamitatum iliades perſtringat Antonius Venetus, Siculus Poëta:

Temporis hic index, tenui qui pulvere manat:
Hic & apud Græcos chlepſidra fluxit aqua.
Humor humus factus, nos certè, & noſtra figurat.
Dum vita eſt, lachrymæ: dum morimur, cineres.

17. Uti-

17. Utinam, relicto Fonte Agnanippeo, in noſtro, in propriâ morte ſe rimarentur laureati Narciſſi: Porrò ad fabulas haut converterentur, cùm illorum vita ſit fabula; neque tam obſcœnæ compoſitiones circumferentur, quas, ut honos auribus ſit, ſilentio prætererire ſuadet modeſtia. Præſtat, ſe provolvere Crucifixi pedibus, atque non Apollinis, ſed Davidis lyram pulſare, adjectâ Pſalmorum piâ cantilenâ. Expedit fieri gementem Canticorum columbam, quàm Parnaſſi cygnos, *ſuper rivulos aquarum*; quos propriæ pœnitudinis lachrymis efficiant turbidos. Recogitate, Laureati Poëtæ, magis vos eſſe mortuos, quàm mortales. Virgilius in hoc ſæculo, ubi cuncta tranſvolantibus rapiuntur momentis, æternitatem ſpopondit, atque pollicitus eſt!

His ego nec metas rerum, neque tempora pono.
Imperium ſine fine dedi.

At ſuis aſſertis Mantuanus Vates excuſationem prætexit, apud Divum Auguſtinum, affirmando: *Quid facerem, quia Romanis verba vendebam?* Utut lepida quâdam compoſitione, ac adulatorio carmine vobis mortem demereri, ac devincire, demulcereque laboretis, haut attamen placabitur: & quamvis novem Muſarum alumnos vos jactetis, lethum vobis haut parcet. Quin ſciatis oportet, nonum numerum haberi fatalem, ac ſicuti ſeptimus nuptiis dicatur, eò magis nonum funeribus addici? cecinit Poëta:

Præterea ſi nona dies mortalibus almum, *Virg. l. 5. Æn.*
Aurora extulerit, radiiſque novaverit Orbem.

Hinc antiquitus per novem dies funeſti luſûs celebrabantur, novemdialiaque nuncupabantur. Hinc Priamus impetravit ab Achille, Hectoris funera novem diebus celebrarentur. Cùm igitur novem veſtræ numerentur Muſæ, in illis veſtrum funus agnoſcite. Sapientes ne deſipiatis: Defungendum eſt. Cùm tyrones, atque Diſcipuli mane à Magiſtro Divo Brunone, Lectionem præſtolabantur, tunc derelictâ Cathedrâ, illis valedicens, in deſertum ſecedere moliebatur. Humanam neglexit ſcientiam, imbuendus divinâ,

opportunâque ; quoniam mortuum loquentem audivit, jam à divina judicatum juſtitia. Mortem recogitando, rudimenta tyrocinii deponetis. Hoc agite, nec ego vobis ſuadere pergam, quoniam *Sapienti pauca.* Pro coronide corollarium adjeciſſe juvabit. Numeris omnibus abſoluta, fulgidiſſima Literarii firmamenti Sydera, longè lateque ſuos diſſeminantia ſplendores ; Voluminum heluones ; animatas ſcientiarum arcas ; omni doctrinarum cultu ornatiſſimos Viros ; Primatum delicias (eſt enim ingens illorum pretium, neque diſpar veneratio) præ ſcientiarum ſupellectile bullatis, ut faſtum deponant, expedit in ſcenam dari. Illi, quamvis proprii ingenii fœtibus, atque gazis Rempublicam Literariam, immodico famæ fœnore cumulârint, locupletaverint, ac inter Sapientes haud infimum occupent ſubſellium : Attamen lethi ſe ſe probè probantes tyrones, eo Magiſtro ampullari dediſcunt ; & cum jure meritiſſimo, ſibi eruditiorum audeant ſupercilium arrogare, amant exuere, gnari, ſe, mox futuros cœnum, ac cinerem.

MUSICI *AD* FONTEM.

CAPUT X.

1. MUſica quid cœleſte ſapit ; hinc ſapientiſſima Numinis liberalitas, quos aut corpore conterminos empyreo nanciſcitur, aut quâdam metaphoricâ ſimilitudine cœlitibus copulantur, tantæ dulcedinis conſtituit participes. Undarum habitatores mutos agnoſcimus ; terrena verò animantia voce ingratâ, ferave ſui ingerunt præſentiam. Leo rugit, taurus mugit, ovis balat, nitrit equus, canis latrat, ſibilat ſerpens, pipat accipiter, anas tetrinit, aquila clangit, catulus glaucitat, coturnix gryliſſat, lynces orcant. Alatæ duntaxat aves linguas cantui reſolvunt ; utpote aëris filiæ, qui ſpiritus

ritus audit: Unicuique verò patet, quòd Spiritus *ſcientiam habet vocis*. Luſciniam ſi conſideres, nemoris Angelum, quam avem dices. Ad cantum duntaxat luſcinia naſcitur; quam jure merito nuncupabo ſylvarum Orpheum, ad fluminum ripas Amphionem: Et quamvis Muſicus plumis amictus haud videatur, ſaltem dicatur vox pennata, volitanſque ſonus. Modulando, DEUM per vocem æmulari tentat; ſiquidem cùm ille ex nihilo Mundum eruerit, illa ſuo ex pectore, quod nihil eſt, vocum extrahit Mundum. Matutina ad cryſtallinas torrentis undas volat, & modulatum edit ſonum, qui nunc continuo ſpiritu trahitur in longum, nunc variatur inflexo, nunc diſtinguitur conciſo, copulatur intorto, promittitur revocato, & infuſcatur ex inopinato. Ad decurrentis lymphæ murmur conqueritur, dolens Philomela, vetus Terei probrum; utque lamenta ſolemniora evadant, cantando propalat. Vulcanum dico pennatum, dum ſexcentis nexibus notarum catenam effingit, imò Muſicum rete, ad deprædandum, niſi Venerem, atque Martem, audientium corda, fontium te dico Sirenem; quippe, niſi ad melos ſoporantur Ulyſſes, ſomno venti capiuntur, auræque tenentur. Solem ſalutat orientem, occidentemque ſuâ comitatur ſuavitate, quam in multam quoque noctem proſequi didicit. Ingeminare proinde licet Clementis Alexandrini oraculum: *Luſcinia quandam pennarum tincturam tanquam flores emittit, & etiam vocis exiſtit cantus, Ver.* Sap.c.7. Pædag. 2.

2. Rurſum eliciamus recentem conſiderationem. Tellus ſi geminâ voce horrendos è concavis cavernis ſonitus emittit, mare mugit, venti fremunt, obſtrepunt tonitrua, ſtridet ignis. Duntaxat Sphæræ, tradente Pythagorâ, motricibus intelligentiis circumactæ, ſuavem formant concentum, utpote empyreo conterminæ. Ob hanc potiſſimùm cauſſam, teſtatur Divus Athanaſius, *hujus rei gratiâ omnia aromata ſuaviſſimi odoris circa orientalia loca perveniunt, utpote quæ ſunt vicina Paradiſo; & quemadmodum palmæ maſculæ propinquas fœmellas, aſpiratione ventorum contactas, fructuoſas reddunt, ſic etiam ex Paradiſo ventorum aſpiratione fragrantia exhalans, propinquiores illis locis arbores aromaticas efficit.* Rotantes cœli lætantur harmoniâ, quòd illis communicetur Paradiſi melos, cui propinqui ſunt. Homini proinde, quatenus nato empyreo, conceſſa fuit Quæſt. 47. 10.

vox cantui reſpondens; quippe Muſicâ gaudent, prædeſtinationis edunt ſigna, teſtatur haut ſubleſtæ fidei Divus Thomas: quoniam ſympathiam oſtendunt in eâ, quæ paradiſo propria noſcuntur.

3. Quis ergo portento non aſcribat, Muſicum, quem cœleſtis vitæ norma decet, prædam evadere cupiditatum, diffluere otio, laſciviâ? Non eſt empyrei cygnus, paradiſi luſcinia, ſed erebi onocrotalus, Phlegetontis votaurus, ululans noctua, bubo, noctua tartarorum avis. Quis unquam audivit avem, quæ vulgò *acceggia*, haut ſecus atque limam ſupra ſeram, ſtridentem? Quis grues, ac anſeres crocitantes? Oculis aves, auditui Cerberus ſunt. Canis, canore Narciſſi, ad noſtri moralis Fontis marginem; at tui ſtrident incompoſiti mores, ploratque anima ſecus turbidi Acherontis, Cocytique littora. Demitte pupillas, in propriæ conditionis ſpeculo explorato te, tuumque recogita finem. Modularis, longiuſque vibratam vocem retrahis: At greſſum moliris irrevocabilem, *vadam ad terram tenebroſam, & opertam mortis caligine, & non revertar.* Artis miniſterio quæ harmonica calles eructare ſuſpiria, tandem degenerabunt in mœrorem, eruptura ex afflicti, tortique cordis anfractibus. Fugas implicas, ignarus, Muſicis fugis tuam vitam exiſtere fugaciorem. Vox tua tuæ ſymbolum vitæ cognoſcito. Omnino ſonora oris clauſtris emergit, eadémque hilaris. Aſt vix egreſſa evaneſcit, moriturque. Hinc de ſemetipſo Domini pronuntiavit Præcurſor: *Ego vox clamantis in deſerto.* Ad menſuram pruinarum, atque glaciei ſuper ponticas arenas, dies tui, anni tui durabiles inveniuntur. Lamas, gentiles Religioſi intra Regnum Tibet, denudaturi vel Muſicis lethum incumbere, ſuperſtitioſis cæremoniis, ac ritibus, tibias, fiſtulaſque ex defunctorum oſſibus effictas adhibent: Qui mos inolevit adeò, uti etiamnum vigeat.

4. Qua gaudes vita nil brevius; & quod caput definio, ærumnarum ſatellitio vallatur, calamitatum coronatur iliadibus. Tubalcain, ſuorum malleorum ſonum obſervans, incudem flagellantium, verberantiumque, Muſices inventor decantatur. Muſica mallei filia cognoſcitur; Cujus invento, ad ſenſum moralem translato, erudimur, vitam Muſici in hoc ſæculo ſubjacere humanarum preſſurarum ponderi, calamitatum ictibus, ferroque ærumnarum. Muſici luſciniæ

voce

voce pollent, at luſciniæ minimè ſunt, ſed homines, ut cæteri, de grege mortalium, nec ab humanâ conditione recedunt. Non neſcio, tempore virtuti duramentum, atque robur accedere; quoniam autem breve contingit vitæ ſpatium, ô Muſici Narciſſi, omnes intendite nervos, ut ne vobis infructuoſum momentum decidat.

5. Tres Muſices tonos aſſignabant Veteres, referentibus Polymneſtore, Sacadaque; tonum Dorium, qui verſabatur circa melancholica, nec non flebilia; tonum Phrygium, qui delicatè, ſuaviterque ſeſe inſinuabat; tonum, ſeu modum Lydium, qui decurrit in F & f, diviſus in C, finitus in F, levatus decurrit inter b, & bb, dividitur in f: qui durus eſt, & minax. En in Muſica viva mortalium vitæ imago! Naſcitur deploratus homo in hac lachrymarum valle, naſcendoque canit in tono Dorio; ſiquidem auſpicatur à planctu, deindeque in vitæ curriculo, anceps hæreo, pergatne in Dorio, Phrygiove faliacium ſæculi deliciarum: Quoniam medius inter amoris incendia, Cypriæque flammas, ortæ ſalo, ſuſceptæ ſolo moritur, ac reviviſcit. Sed ecce, derepente Lydium bellatorem, vehementioribus, acerrimiſque tentationum aſſultibus inſtructum, armatumque, nec non horridum mœſto letho. Mihi quidem hoc inter tonorum trinum, nullum in homine diſcrimen intercedere videtur, quoniam in illis indiſcretæ ſimilitudinis iconem, tenoremque, citra pulverem offendere datur: atque vita tam momentanea occurrat, ut uno in momento, nulla reperiatur ſenſibilis diviſio. Cantat ille, neque cantus dividitur, ut confunditur lachrymis, agone, Libitinâ. Moyſes Joſue aſſociatus de Sina deſcendit in ſubter effuſam planitiem, videlicet de monte in hunc Mundum, ærumnarum vallem. Deſcendendo Joſue eructat: *Ululatus pugnæ auditur in caſtris.* Nequaquam, annectit Moyſes animoſè, *vocem cantantium ego audio.* *Exod.* 32. 18. Nimirum Muſica, certamen, morſque nil differunt, ſed idem ſunt. Huc collimat Salomonis oraculum: *Extrema gaudii luctus occupat*: Aut, quod Jobus effabatur: *Verſa eſt in luctum Cythara mea.*

6. In tono Dorio Joſephus Scrilli palmam æmulis, atque rivalibus præripiebat. Acutum canebat, voceque tam patheticâ, ut è veſtigio vel jucundiſſimas mentes, ac corda, in profundam mœſtitiæ abyſſum, devolverit. At ubi nunc eſt? Hydropicus occubuit. Fortaſſis intumuit, utpote ſaturatus applauſibus, nimirum vento. Ah!

Cap. 7. 75. Ah! venti flatu omnia evanuêre. *Memento mei* (exclamabat Job) *quia ventus eſt vita mea, nec aſpiciet me viſus hominis.* Ad inſtar venti ad mortem curro, letho appropinquo. Ita eſt vitæ noſtræ volucris exitus, ut, qui nos hodie ſpectârunt, poſterâ die minimè ſint viſuri.

7. In tono Phrygio Antonius Sportonius, omnem parilitatem excludebat; quem Gallia, Italia, Sicilia ſuſpexêre, atque commendârunt. Jam canoram emittit vocem, jam retrahit, jam inflexo crebrius ſpiritu variatur ſonus, jam vocis quaſi fugientis auditur inſectatio; nunc dieſis, nunc mora, nunc ſuſpiria, nunc ſemiſuſpiria alternant: inde reſonans, ſplendida vox cum acuta, vinnulaque contendit, ac demum criſpatur. Proteum diceres Muſicum, clarumque canorum.

8. In tono Lydio plurimùm præſtitit Bartholomæus Nicolini; ad cujus immanem, terribiliſſimamque vocem imbecillia erubeſcebant organa: Non enim cantum, ſed tonitrua ex ejus faucibus erumpere crederes, ac horreres. Verùm Sportonii ſuavitas, formidabilis Nicolini ſonitus echo fuerit, quæ naſcendo perit, tonitru, quod obſtre-

Cap. 26. 12. pendo evaneſcit: *Pulverem tuum* (intonat Ezechiel Propheta) *in medio aquarum ponent, & quieſcere faciam multitudinem canticorum tuorum, & ſonitus cythararum tuarum non audietur ampliùs.* Muſici defunguntur, utque illorum ſonitus, voxque evaneſcunt. Quò abiit Laſus Erminius, primus Muſicæ Scriptor, qui ſæpe ſæpius Darii lenocinabatur Aulæ? ubi nunc eſt Terpander Lesbius, quem Lacedæmones accerſiverunt ad ſedandos cantu ſeditioſorum animos? ubi Chryſogonus moratur, qui vocem ſonoro ſcalmorum motui accommodans, nautarum laborem levabat, atque in aëre ventos catenabat ſuſpenſos? Ubi nunc eſt Timotheus Mileſius, Senophilus, Nicomachus, Scylla, Jalemus melodæ Calliopes haut degener filius? omnes perierunt, quorum cineres hodiè non reperiuntur.

9. Aſpicitiſque cygnum, (neſcio utrum aëris, vel aquæ habitator nuncupandus ſit) candidiſſimâ veſtitum plumâ? dum natat, auroram dices, quæ ex undis emergit; aut natantem nivem: cùm verò per aëris regionem alas expandit, videtur nix volitans. Vivendo gravitat; hinc prope ab ultimo ſuæ vitæ, collecti, coactique vivaciores ſpiritus confluunt ad præcordia, illumque opprimunt: Hinc extin-

extinguitur canendo. Ergo vel modulando in fata concedimus. Aloyſius Roſſi celeberrimus Compoſitor ac Inventor muſicè modulati Carminis, ætatis 46. annorum, Principem fœminam hâc arte Romæ imbuens, apoplectico morbo correptus expiravit. In hac ſæculi ſcenâ etiam Muſici, ſuam exhibent fabulam. Dum recitatis quoddam muſicum drama Franciſci Cavalli, inſignis theatralium operum Compoſitoris, veſtram vitam, Muſici Narciſſi, fabulæ ſciatis ſimilem. Hinc vobis cordi ſit, etiam atque etiam invigilate, unde noviſſimum actum probè repræſentetis. Siren, quæ cantando vitalem ſpirat auram, ſtridendo defungitur. Identidem immerſa mari, mare imitatur, quod intra ſinum murmurans ſilet ad oram. Cùm ſemper innatetis deliciis in hoc ſæculi ponto, ut Sirenes moriemini. Hinc canori cygni, neglecto ſolo, cogitationis alis ad mortem vibrate volatum, per mortem ad beatam æternitatem: Haut me latet, cygnum Hugonis Epiſcopi Lincolnienſis, prævidiſſe adventum Domini ſui, editis manifeſti ſolatii indicibus. Sit ergo cor Muſici candidum, immaculatum ſupra niveas cygni plumas; ut penitiſſimæ lætitiæ argumentis præoccupet, provocet, præſtoletur lethum. In hunc modum Diva Cæcilia conſonantiſſimè vocis, & affectûs harmoniam componens, Creatori ſupplex canebat: *Fiat cor meum immaculatum, ut non confundar.*

10. Cur nonnulli Muſici reperiantur mendoſi, rationem adducit Ariſtoteles. Quandoquidem integrum vitæ curriculum theatralibus impendant, maculentur neceſſum eſt. Scenis, choreis, conviviis, feſtivitatibus Muſicus paſſim intereſt. Igitur innutritus effrœnibus, genioque indulgens, morum corruptelæ non eſt declinandæ. Quomodo igitur appetituum licentia cohibetur? Porrò ad bonam frugem reverti maturarent, ſi contingeret illis, quod in nuptiarum ſolemniis Alexandri Scotorum Regis. Jam ad ſymphoniacum concentum, cui opiparum ſympoſium antevertit, uterque nobilium ſexus choreas ducunt alacriter, ſpectante Civitatis, Aulæque, ſucco: Cùm quædam herula mirâ dexteritate, parique agilitate, ſic ſinuoſis tractibus, ac labyrinthicis inflexionibus pedes implicat, greſſus confundit, ut ſubſultim decurrens nunc ſublimis, nunc demiſſa, in proci amplexus quanta quanta geſtire videatur. Dum reſiliendo, vibratumque celeriùs veſtigium revocando, ſpectantium plauſus aucu-

pandi ſatagit, memoriam refricando ſuperſedet, *poſthac occaſio calva.* Verùm enim verò tam effuſæ lætitiæ ſerenitatem, tragicum funeſtavit ſpectaculum; mors quippe inopinanter accedens, ut paſſim pingi aſſolet, theatri meditullium occupavit, effœtaque crurum oſſa circumagendo, quà horridos, quà inſipidos ſaltus inſtituit; Inde, inclinato exſangui corpore, ceu coronæ valediceret, evanuit. Rex, pallentia denudans ora, ac tremebundus apparens, depoſito ſceptro, exiguam poſt intercapedinem ſupremæ neceſſitati fecit ſatis; quem, multi circumſtantium præcoci, immaturoque fato comitati dicuntur, aliis calculos revocantibus præ formidine. Itaque non amabilis Juno, ſed Libitina pronuba funeſtiſſimis præfuit nuptiis: *In tertiis Alexandri Scotorum Regis, viſa eſt ad finem choreæ mors ſaltando agmen claudere; ea ſpecie oſſea, & horrida, qua pingi ſolet: deſignans Regem eo anno moriturum, ut factum eſt.* O ſpecies horrida, ô imago tetrica.

In Annal. Scot.

11. Mihi gnarum eſt, in Thracia Dorceum fidicinem juxta Orpheum, Soni ſuavitate omnibus anteveniſſe. Scio, tam floruiſſe Amphionem, ut à Mercurio acceptâ lyrâ ſuaviter canendo, ad ſtruendos Thebanos muros nullo negotio traxerit ſaxa. In Terpandro mira fuit artis Muſicæ excellentia; quem æmulatus Terpinus, Neronis animum furiis exagitatum, tigridibuſque reſtagnantem ſedavit, cæterùm ad ſoni ſuavitatem tigribus ſeſe diſcerpentibus. Ævo noſtro Guilielmus Fradeſtor Belga, Romam in ſui admirationem rapuit; cùm, ſonos eliciendo, moduloſque, unam plectens lyram, quatuor unà pulſare viſus eſt. At hi præſtantiſſimi Muſici haut ampliùs inveniuntur. Orpheus quoque evanuit; cui Superos conceſſiſſe, ab inferis Eurydicem revocaret, fabulantur Poëtæ: Sed nondum audivimus reducem. Ubi nunc Claudius Monteverde, recitativi cantûs gratioſus inventor? in pulverem redactus eſt. Si veteres Gentiles Joſephum Fede, Antonium Rivani, M. Antonium Paſqualino, & Attum Melani canentes audiſſent; ad ſuaviſſimum Paradiſi melos, cœlorum ſublimibus accerſitos obſtupuiſſent, atque Muſicæ Deos adoraſſent. Attamen conſtat, ex luto fuiſſe plaſmatos, mox diſſolvendo, ut adimpleatur illud: *Statutum eſt hominibus ſemel mori.*

ad Cor. 15. 5.

12. Igitur in fata concedendi neceſſitas urget, neque mortem recogitamus. Cogitatio ſupremi illius agonis, illius amaræ diviſionis à cor-

à corpore, ſepulchralis metamorphoſis, vos haut deducit ad abſolutiſſimæ ſanctimoniæ culmen? quoniam mortem contemplari negligitis, neque oculos veſtros, oraque perpenditis, futura putridas audacium dipſadum, vermiumque urnas; otium citra fœnus fallitis. Hinc mortis memoriam Sancti Patres vocavêre myſterium. Ita Divus Paulus: *Myſterium vobis dico; Omnes quidem reſurgemus*: Auguſtinus atque Chryſoſtomus, *eamus ad ſepulchra, & videamus ibi myſteria.* Sanctus Ephræm Syrus: *Myſterium mortis.* Et Stilita etiam agonem vocat myſterium: *Quando à corpore diſcedit anima, magnum myſterium ibi peragitur.* Igitur mors ſub myſterii nomine venit, quòd nos magna doceat, ac plurimum perfectionis ſuis ingeneret ſcrutatoribus. Mors inſignem agit Muſices Inſtructorem, oculatiuſque morum, quàm vocum invigilat harmoniæ. Quot Magiſtros diſcipulos Mundo peperit decantatus, ac incomparabilis in Eccleſiaſticis, ſacriſque Muſicæ Compoſitionibus, Jacob. Cariſſimi? Romæ ad Apollinarem, tam indigenæ, quàm peregrini certatim confluunt, paſcendi eruditis compoſitionibus, jucundiſque concentibus quoad auditum, quoad viſum verò tanti Viri præſentiâ: Et ne ſuſpiceris, de fœce me loqui, Viros primates, Principeſque intelligo. Nunc expedit ſcire, à magiſtrâ morte longè præſtantiſſimos, abſolutiſſimoſque Muſicos, nec non in majori copiâ Mundo fuiſſe datos. Meam roborabit ſententiam David, qui, lyram pulſando, pſalterium ac cytharam, multifariam canebat Pſalmos, Cantica, Hymnoſque; Muſici munere fungebatur, at pientiſſimi, quoniam in omni temporis articulo mortis ſe memorem probabat, abundantem illius recordatione, meditationiſque. *Formido mortis cecidit ſuper me. Circumdederunt me dolores mortis: In pulverem mortis deduxiſti me: Cooperuit nos umbrâ mortis.*

13. Lethi meditatio cujuſcunque conditionis, ordinis, atque profeſſionis mortalibus ſanctitatem inſtillat, plurimum pietatis affricat, fluxorumque faſtidium creat, ac ciet. Veſtræ occurrat memoriæ œcumenicum diluvium; quando nubes de cœlo præcipites ruebant; cùm flumina effundebantur extra ſuos alveos; cùm Oceanus tumentibus fluctibus, nullis circumſcribebatur terminis, præfixum littus devoravit, ſylvas inundavit, imis ſtagnabat in vallium, prata occupavit, campos obſedit, hortos obduxit; cùm ad quadraginta cubitos, ſupra Atlantem, Olympumque tollebatur; quando, undique dominan-

minante elementi liquentis vaſtitate, nullibi Mortalibus patebat aſylum, univerſo Mundo tempeſtuoſum in tumulum degenerante. Tunc annoſus, ac occiduus Noë ſuæ gentis incolumitati proſpiciebat, ſuperioris ætatis mendorum emendandorum ſatagebat, ſuorum ſaluti tempeſtivus; quorum ergo humanam progeniem ſævum manebat diluvium. Ad munimen, arcam fabricavit, atque condidit; pro expiatione protoplaſti oſſa intulit arcæ: *Detulit ſecum in arcam oſſa Adami, præſidium ſibi in illo communi naufragio allatura.* Jam (ratiocinabatur providus Noë) advenit diluvium; jamque tumulantur in aquâ, qui ardebant libidine. Naufragium culpæ interpretemur effectum. Igitur ad integritatis præſidium juvat confugere, ni nobis cordi ſit propria perditio, maturemuſque in ſubmerſionem, ac excidium convertere aſylum. Camum vitiorum monſtris, reatibus frœnum adornavi. En Adæ gelida, nuda, exſucca oſſa! Lipſana cognoſcito magni illius Monarchæ, cujus Regni vaſtitas cœlo ſe jactabat conterminam. Impræſentiarum amplius haut eſt. Indomitus appetitus calcar ſubdit ad decurrendum reatuum ſtadium, tædam præferentibus cupiditatum furiis? paratum adhibitote frœnum. Obtutum his in oſſibus ne pigeat defigere: Veſtri quoque fati mementote. Noë arcâ egrediens ſuorum pignorum trino corpus Adæ partitus eſt; ut illorum unuſquiſque ſortiretur, unde materiem contemplandi mortem depromeret, eaque media in Regno cuſtodiendæ innocentiæ.

Moyſ. Bar. de Parad.

14. Tumuli vicem gerunt ſuggeſtuum, Concionatorum cadavera; dum perſuadendo, nervoſeque erudiendo, ad pietatis obſequium vehementiùs accendunt. Tullius ſuggeſta vocat ea loca, ubi ſupra lignorum congeriem defunctorum corpora cremantur; quoniam ibi, nemine hortante, populus ſpectator commovebatur: *Sic enim ſuggeſtum illud, ubi Principum cadavera cremabantur, Cicero videtur appellare*, teſtatur Pierius. Noctuis equidem congruunt polyandria: Verùm Chriſtiana ſuadet moralitas, Catholicæ luſciniæ illa ſibi eligant in proprium habitaculum.

15. Tria numerantur muſicalium inſtrumentorum genera. Quædam ſonum edunt Muſicorum flatu animata, repletaque, uti tuba, tibiæ, lituus, fiſtula, ac hujuſcemodi: alia percuti ſolent, quemadmodum æs ſacrum (videlicet campanæ) Pſalteria, cymbala, tympana!

pana! alia plectro tanguntur, digitis, ac arcu, ſicuti rotata ſambuca, ſecundana barbitus, fides gravior, cithara, teſtudo, chelys, lyra. Nunc, Muſice Narciſſe, affectus decurre tactu cogitationis vitæ perbrevis; & ecce brevem, ac momentaneum halitum; Cogitatione certæ mortis, & ecce cantus, numerorumque moderamen: Cogitatione incerti Statûs, quem in æternitate nanciſceris; & ecce Omnipotentis digitum! Quàm jucunda hæc foret fidicinum ſymphonia! quàm dulcis ſonus, quàm ſuavis harmonia! Muſicâ itaque par habetur emolliendo ex pervicatia lapideo pectori. Probè mihi conſtat, Peninſulas Lydiæ, quæ Nymphæ dicuntur, ad fiſtulæ ſonum à continenti avelli, abſolutaque per æquoris undas chorea, rurſus littori copulari. Ita M. Varro monumentis tradidit, ac conſignavit. Aſt longè graviſſimæ petræ, duriſſimi ſcopuli, corda ſaxea per pœnitentium lachrymarum aquas, impellente lethi recordatione, circum agantur. Haut me fugit, Terpandro fidibus ludente, Alexandrum Macedonem ubique locorum, ſtringendo capulo, haſtæque addictum fuiſſe. Sed tumuli meditatio, in vitia aſſilientia dexteram armare conſuevit. Non neſcio, Thaletem Cretenſem, Iſmeniam Thebanum, Xenocratem, Aſclepiademque, ob innumeros ægros priſtinæ ſanitati ſibi per ſonum, atque cantum reſtitutos, ampullatos fuiſſe, Plutarcho ſi licet acquieſcere. Sed contemplatio tumuli, vel contumacibus animæ plagis auſpicatò medetur. Refert quoque Boëtius, Empedoclem ſpectantem obſtinatum ad cædem, nudoque ferro hoſpiti inſultantem Juvenem, effeciſſe, ut Muſices adminiculo illum ſedaverit, gladiumque cum furore protinus exuerit. Hoc potiſſimùm lethi præſtare Muſicam, nemo ſanæ mentis audeat refragari. Monumenti marmore frigeſcit ultionis ardor. Circumdantia tumuli lumina, ferocis iracundiæ faces extinguunt, ac tædas vindictæ.

l. de Muſ. c. 1.

16. Evolutorum retro ſæculorum decantati Sapientes, tres Muſicæ ſpecies conſtituere minimè dubitârunt. Prima venit ſub mundanæ nomine, quæ ſita eſt in corporum cœleſtium harmonico motu, elementorumque unione, humanâ conſtans hominis voce, organicaque inſtrumentorum varietate. Hujus autem triplicis Muſicæ (ut ita dicam) mors meſochorum agit. Quoad mundanam Muſicam, hoc arripe. In cœlo tempus adeſt, quod Solis motu vitam dime-

dimetitur. Nullum occurrit elementum, cui Muſica non inſit, aut cui non ſit accepta, omneſque non defungantur. In terra homo canit, ac moritur. Ipſiſſimus Elephas, adeò vaſtæ molis bellua, teſte Strabone, Muſicâ delectatur, ſonoque tympanorum tenetur. Aves in aëre modulantur, modulandoque pereunt. Delphinus tam hominis, quàm Muſices ſe probat ſtudioſiſſimum. Hinc Arion citharœdus nobilis, ex Italia Corinthum trajiciens, animadvertens à nautis, qui ſuis opibus inhiabant, ſibi inſidias ſtrui, non nihil ſpatii ſibi ab illis concedi poſtulavit, quo veluti cygnus moriturus, ſuas ſibi exequias caneret: Quo peracto, edita ex puppi, ſe in mare præcipitem dedit, ſtatimque à Delphino exceptus, ad Tænarum, Laconiæ promontorium, eſt pervectus. Hinc Pindi fabulis locus datus, ad evincendam vel in irrationabilibus Muſicæ vim, energean, robur. Rurſus, cùm piſces muti noſcantur, etiam ſurdi ſunt: Attamen adeò cantu, ſonoque demulcentur, uti ſemet perdendos exhibeant, atque propinent, fiantque piſcatorum præda.

17. Jonii pacis conditiones ultro à Cyro oblatas, ſuperbiâ inflati reſpuerunt. At adverſum ſibi Martem experientes, eaſdem avidiùs impetrabant. Cyrus eorum preces indignatus, ſub apologi velo ſua ſenſa revelavit, denudavitque: Tubicines ad maris ripam canebant, piſcibus blandituri; ſed nihil proficiente ſono, injecêre rete, unde plurimi capti ſunt. Undis extracti, ſuper ſiccas arenas palpitando ſaltabant. Tunc buccinatorum unus ſic efflavit: *Temperate jam à ſaltationibus, quia me canente, noluiſtis ſaltare.* Nimirum canit, ac modulatur lethum, ceu Præfectus Sacrarii. Dum ergo ſuppetit facultas in ejus diſcendi ſchola, nos erudiendos, imbuendoſque pietatis documentis tradamus, credamus, committamus; expendendo, in aëre volucres, piſces in ponto, feras, homineſque in terra defungi: Inſuper recogitando, totam mundi machinam, integram mundi conſpirationem, coagmentatam è cœlo, terraque compaginem, patheticum exiſtere cantum, quoniam univerſus Orbis ſepulchrum redolet. Saltare, exultare, tripudiare, dum toro affixi, mortiſque formidabili quaſſatione contremiſcetis, nec apicem proderit; ut nec prope funus hilareſcere, *temperate jam à ſaltationibus, quia me canente noluiſtis ſaltare.*

Herodot. l. 1.

18. Veſtigium moliri delectet ad humanæ Muſicæ diſcuſſionem. Huma-

Humanâ ex voce conſurgit, ac emergit. Huic autem immorari non expedit, quòd ſat, ſuperque eluceſcat, vocem oris clauſtris erumpentem, extemplo evaneſcere, perireque. Decrevi pariter ſuperſedere organicæ Muſicæ conſideratione, quà prolixitati parciturus, quà ne à propoſito contingat digreſſio, apprimè quoniam nulli non innoteſcit, modulamen eſſe momentaneum. In Scenam prodeant excellentiſſimi fidicinum totius Europæ, quà latè patet, Michaël Angelus Roſſi, Franciſcus Sopranus, ac Lælius Coliſta. Duo primi, cheliodûm longè præſtantiſſimi, uſque ad miraculum canunt fidibus numeroſè ſonantibus, minorem barbitum oberrando ſiniſtrâ, mirâ profectò dexteritate. Tertius autem eburneæ lyræ nervos carpendo digitis, teſtudiniſque fides, fidem aſtruit alienæ imparilitati. Quæ reſonat ſuavitas! at vix mulcetur auris, cùm illico ſonum periiſſe, ſymphoniam evanuiſſe, ſeverâ triſtitiâ doles, ac acerbiſſimum tantæ dulcedinis fructum decerpis, & hauris, cui ægrè abſorbendo ſis. In hos quadrat oraculum illud: *Periit memoria eorum cum ſonitu*; quo concinno ſcommate alatilis ſæculi vanitas perſtringitur. Vos, ô Muſici, fovea manet, expectat urna, præſtolantur vermes, qui ſaturabamini cupediis. Cur canitis, cùm plorandi campus patet ampliſſimus? temperate lætitiæ, queîs funebribus vacandi onus incumbit, *Muſica in luctu importuna narratio*. Vacare præſtat atque hilaribus indulgere ſonis, quàm effundi in jubila, aliud agentibus imminente letho non læto. Vobis, ô Muſici Narciſſi, ſpeculum probitatis objicio, quem æmulaminor, Joſephum Antonium Barnabei, Sereniſſimi Boici Ducis, nec non Electoris Phonaſcum: In Dorio, Phrygio, Lydio modis; in Harmonica, Organica, Symphonica Muſica; in Cantilenis, ſoniſque gravioribus, ac Eccleſiaſticis; in jucundioribus, atque floridioribus; in dramaturgiis modulatis, nec non theatralibus ſyſtematibus, ut & in quovis Muſicorum genere, præſtantiſſimum Compoſitorem. Sub cujus Apollinis auſpicio, ſive Oxyphonum, ſive Megalophonum, ſive Meſophonum, aut Baryphonum audias, vel promiſcuum qualiſcunque vocis, ſonique concentum; Angelicis intereſſe te Choris haut inficiaberis. Hujus religioſiſſimi Viri veſtigiis inſiſtatis alacriter (à morum candore, à fluxorum generoſo contemptu, à perenni Libitinæ contemplatione commendatiſſimi) prolixiùs hortor, etiam etiamque ſuadeo; utinamque, quò minùs muſſitetis, Muſici Narciſſi, perſuadeam.

PICTORES AD FONTEM.

CAPUT XI.

1. DIvinam artem Veteres indigitavêre picturam: Quippe penes vulgarem loquendi modum, penicillus imitationem *Fiat*, Omnipotentis ore prolatum, moliri videtur. Altiſſimus efflavit: *Fiat lux, & facta eſt lux.* Pictoris autem peritiâ, in confuſorum colorum chaos, indigeſtaque congerie, lucis emergunt radii, oculos jubar perſtringit, noctiſque cimmeriis dulcia conciliantur lumina. Depictum à Tiziano Sancti Laurentii martyrium, in admirationem intuentes ſe rapit, quod Venetiis aſſervatur. Et quoniam bis gemina lumina finxit, à quatuor luminibus lumina derivantur. Unum, ac alterum lumen, ſceleſtorum, profligatorumque Miniſtrorum manibus impoſitum, umbris lumen conciliant, quò non pertingit fatalis ignis radius, ſubter candente craticulâ lymphantis. Ridens fulgur, & ad amœnitatem compoſitum, cœlo ſplendidè delapſum, diſſipatis lepidè nubibus, ignis lumen vincit: Spectatores quoque, quos eminus per feneſtras proſpicientes exhibet, recentes illuminant lucernæ, candelis copulare: quò tot inter luminum apparatum, clariùs barbaræ crudelitatis tyrannis, in innoxium caput deſæviens, eluceſceret. De famoſa Antonii Coreggii nocte, quæ apud Sereniſſimos Eſtenſes, ceu inæſtimabilis theſaurus cuſtoditur, quid promendum? nox apparet obſcura, luminis indiga, queîs accedunt Bethlehemitici ſpelæi cimmeriæ, clauſique præſepis arundinea, ſtramineaque pauperies. Unus duntaxat infantis JESU vultus, ſplendoribus coronatus, vagientis ſolummodò ora fulgorem ſpirant, ac vibrant, unde pictura ſibi lumen mutuet, irradienturque quæ aſtant perſonæ. Num veſtræ occurrit memoriæ, Pictores Narciſſi; cùm

Apelles

Apelles Alexandrum Macedonem pinxiſſet ſub Jovis ſpecie, fulmine denudatum, quendam hujus rogâſſe cauſſam? at Pictor reſpondit appoſitè; ne tela combureretur: quoniam ſuis illum pinxiſſet coloribus, ſpirantemque, callebat enim telas coloribus animare. Mirabilem igitur prædicabo picturæ vim, quòd vel fulmen, ac lucem imitatur, atque veros mentitur ſplendores. Pictoris eſt, currentia flumina, maria fluctuantia, florentes plantas, volitantes aves, ſaltantes feras, homines ratiocinantes, animi affectus exprimere, ac exhibere.

2. Licèt autem ad tot præſtanda validus habeatur penicillus, attamen Creatori cedere compellitur; ab hoc etenim creatum tempus, æmulando, pingendoque ille impar invenitur. Qui verò tempus coloribus reddat, ignarus quid ſibi velit. Michaël Angelus, juſſus effingere conglobatorum Angelorum nexum, in inclytâ tabulâ, quæ S. Luciæ funus exhibet, reſpondit, cùm nunquam mihi fuerint conſpicui, illos depingere minimè valeo. Proinde Divus Auguſtinus obſtupuit, quòd tempus dimetiri potuerit, horologii miniſterio, cujus ignorabat naturam; *Itâne DEUS metior, & quod metior, neſcio?* Audite, *l. 11. de Civ. c. 26.*
Narciſſi Pictores; juxta Platonis aſſertum, unà cum cœlo tempus eſt natum, & eodem corpore cum Mundo, teſte Plotino: Conſiſtitque in præterito, præſenti, futuro. Præteritum extitit idea præſentis mutabilitatis. Præſens exemplar eſt, ac typus futuri fugacis. Futurum erit typus veritatis præteriti ac præſentis; quoniam præteritum fuit, nec ampliùs eſt; præſens eſt, nec ampliùs erit; futurum erit, ut ampliùs haut ſit. Itaque tempus figura cognoſcitur fluidi momenti, umbraque momentanea fallacis indiviſibilis. Sin tempus pingetis alatum, haut ſatis illius pernicitatem exhibebitis, Narciſſi Pictores. Fulmina, quin imò cogitationes accerſendæ veniunt; at hiſce moliminibus in caſſum vos accingetis: ergo neque tempus coloribus exhibere, veſtri juris fuerit.

3. Revocate ad memoriam illud Salomonis: *Gyrans gyrando vadit ſpiritus, & in circulos ſuos revertitur ſpiritus: Annus Solis curſus.* En *Eccl. 1. 6.*
ſerpentem, temporis ſymbolum. Hinc Theophilus Alexandrinus: *Eadem temporis rota in ſemet revertitur, rediens ad ea, unde profecta eſt.* Ergo cuncta revolventur in præteritum, quòd haut eſt ampliùs. Vos, ô Pictores, moriemini, qui hodie vivitis, nec ampliùs eritis, veſtraque præſens vita eſt momentanea, menſurata,

nec non dependens à tempore ſugaci, momentaneoque. Præſentes ſimiles præteritis evadetis, futurique præteritis, atque præſentibus. Nihil denique non reſolvetur in cinerem, nihil non in nihilum redigetur.

4. Narciſſum eximii Pictoris titulo decorare delectat, honeſtareque; quòd temporis in puncto ad vivum ſe ſe depinxerit in fontis frigida. In humidæ genis imaginis, candidis liliis purpureæ mixtæ roſæ florebant. Anemones vernabant in labiis; amœnoque oris tempe auratam ſeptem crines adornabant. Utut fontium ſit, mediis in hortis exſurgere, nihilo ſecius tunc frontis hortus, fontis umbilico locabatur. Tam immanè lumina fulgurabant, effrænatè ſic pupillæ ſcintillabant, ut Sol viſus fuerit Narciſſi pupillæ, cùm jam in limpidi fontis undis occidere ordiebantur. En ſpirans ſui ipſius prototypum! Suam deperierat imaginem, ſe ipſum exardeſcebat, ſui captus icone, captus umbrâ. Expandit brachia, illam tenacibus ſtricturus amplexibus; at fugax inhiantem eludit. Itaque ſpe, diligentiâque tam ambitioſâ depulſus, apud Naſonem flebiliter conqueritur:

Meta. *Quóque magis doleam, nec nos mare ſeparat ingens,*
Nec via, nec montes, nec clauſis mœnia portis:
Exiguâ prohibemur aquâ.

Voſmet vivis exhibituri coloribus, ô Pictores, redivivi Narciſſi, vos inflectite in noſtro Morali Fonte, ſolerterque vos expendendo, pingatis modicum cineris, fœtidos vermes, oſſa marceſcentia, quæque corruptioni obnoxia, & ſi ſuppetit facultas, ſi veſtri Juris eſt, nihilum: Hoc quippe nihilum veſtram imaginem clariùs exprimeret, videlicet fluxam, atque deformem, cùm maximè luculentâ, eleganti, dotatâque formâ florere vos autumatis.

5. Antonius Tempeſta, Jacobus Callot, Stephanus de Bella, S. E. Bavariæ delicatus, atque peritiſſimus Calcographus ab Amling, ſi Xerxis Copias in æs incidere tentâſſent; diſcrepantes oppidò vultus, oris halitus repugnantes, militum manipulos, armorum varietatem, artificioſis manibus, acutóque ingenio, exigua in tabella, in puſillo exhibuiſſent. Si verò id modò illis executioni mandandum foret; præter oſſium, cineriſque congeriem, nil prorſus ex-

exprimere liceret: immò nil iiſdem delineandum ſupereſſet, quòd evanuerint omnia. Ex Numinis decreto, ſinguli Adæ filii, huic ſubjacent ſorti: *Statutum eſt hominibus ſemel mori.* Non ergo, Pictores, naturæ indulgentiâ, immortalitatis munere donaminor, utut famæ prærogativis perennetis. Eadem ne cœcitate laboretis cum Senecæ Arpaſte; dum orbatus luminibus, reliquos viſu viduatos affirmabat. Cœleſtes duntaxat Genii mortalitate carent. Cœli, Stellæ, Luna, Solque ſolus corruptionem neſciunt. Homines affevero mortales, hos duntaxat ſuggillo nihilum, umbram, cœnum, cinerem. Attamen, immane dictu! vacant animo, ac ampullantur. Duxi proinde vivos mortalium vultus.

6. Quid ſibi vult veſtra vita? Protogenes penicilli præſidio ſubtiliſſimam duxit lineam; at Apelles ſubtiliorem, tenuioremque hanc ſuperexaravit. Sciatis igitur adhuc eſſe ſubtilius vitæ veſtræ filum. Clotho colum geſtat, atque net, & adeo ſubtiliter, ut etiamſi Atropos haut forcipem approximaret, ſponte frangeretur filum, ſuo preſſum pondere. Quàm longinquum creditis fatum, ac lethum; his tamen lenociniis vobis egregiè imponitis. Pretioſa Salvatoris Roſæ dextera, qui tam inter Pictores, quàm inter Poëtas haud ultimum occupavit ſubſellium; ſpectandam quandam exhibet Regionem, penicilli induſtriâ adumbratam. Spectabis præcipitem per exeſa rupium, lymphæ decurſum, ut temporis in puncto ſe ſubtrahat oculis. Hujus exiſtit tenoris mortalium vita. In momento, in ictu oculi ad tumulum properat: *Homo in mortem fertur præceps, ſicut aquæ pronus eſt in mare delapſus*: ſuffragatur Auguſtinus. Lethum inſtat à tergo, dum longiùs abeſſe creditur.

7. Quilibet Pictorum, ad exemplum Giotti Pictoris Florentini compoſitus, piam meditationem eliciat. Benedictus Nonus Pontifex Maximus, quandam à tanto Viro delineationem impetrandi, in votis habebat; ut ex opere daretur conjicere, imò luculenter agnoſcere, num illum fama meritis gaudium celebrâſſet. Pictor paululum hæſitans, tandem penicillo, rubeo colore tincto, rotundum adeò perfectum formavit, cujus ægrè circinus imitationi accingat. Hinc ortum adagium; rotundius eſt, quàm, ô Giotti! videlicet obtuſi, craſſique ingenii. In figura ô ſymbolum! eluceſcit vitæ, ac æternitatis. Quiſnam ſe non gyrat hunc circum fatalem circulum?

In hanc Mundi lucem editi eminuerunt Tizianus, Paulus Veronenſis, Andreas de Sarto, Domenichini, Petrus Paulus Rubens, Joannes Lanfrancus, Guidus Reni, Albertus Durus, Michaël Angelus de Caravaggio. Vixêre gloriâ præfulgidi; Verùm illis perennandi expectatio præcluſa fuit, jamque in fatum conceſſiſſe dolemus. Forſitan mors irata eos ſuſtulit, quoniam quot ſuâ falce deſtruebat, ſuis penicillis ſervabant ſuperſtites. Ubi nunc eſt Lucas Cangiaſi, Joſeph de Arpino, Hannibal Caraccii, Jacobus Palma, Marius Minniti, Caravaggi Diſcipulus haud degener? qui telas animabant, in tumulo jacent exanimes. Baſſanus hinc emigravit. In pingendis animantibus mirabilis agnoſcebatur, quatuorque anni partes, ejus redditæ penicillo, temporis elabuntur edacitati. Cujus attamen ad menſurandam vitam, haut ampliùs circumaguntur, quoniam evanuit, pariter atque Tintoretti. Raphaëlis Urbinatis corpus in cinerem redactum jacet, qui ſibi, in exprimendis animi affectibus, ac in ſuavitate parem non agnoſcebat. Michaël Angelus Buonaroti, cum Baccio Bandinelli quò abierunt? Evaſêre ampliùs minimè redituri. Sculptores inſignes, atque ſtatuarii Coloſſos ſtatuaſque erexerunt. Verùm enim verò, tempus edax vel de marmore triumphare conſuevit, gaudetque ære paſci. Omnia in hoc Mundo deſtruuntur. Ad æternitatem Pictores, cogitationem convertitote: *Ibi enim ſtant anni*, ratiocinatur Auguſtinus, *hòc autem tranſeunt, imò pereunt: antequam enim veniant, non ſunt; cùm autem venerint, non erunt, quia cum ſuo fine veniunt.*

l.17. de Civ. c. 4.

8. In ô Giotti, æternitatem adumbratam ſcitote. Rogatus Apelles, cur tamdiu uni immoraretur picturæ, curque tantum temporis impenderet eidem abſolvendæ, imponendæ coronidi, reſpondit: *Æternitati pingo.* Admodùm laborabat Apelles de dedicandâ æternitati picturâ, circa lethum nihil ſolicitus, quod æternitatis aditum illi ſepſit. In æternitatem ingreſſi ſunt Bernardus Caſtellus, Joannes Valeſius, Ambroſius Figini, Procaccinus, Fulminetus, evanueruntque ceu pontica ſpuma, quæ percutit littus, ipſamque flagellat. Cur igitur mortem recogitare negligitis, quæ nobis æternitatem empyrei parturit? Buonaroti pinxerat mortem dexterâ falcem ſtringentem; quam nactus Divus Carolus Boromæus, per peritum Pictorem lævæ falcem, dexteræ clavem imponi curavit, in documentum, lethum non ſolùm

ſolùm perimere, ſed inſuper mediâ meditatione aureos empyrei poſtes reſerare, adamantina recludere oſtia.

9. Athenienſibus, quod maximè quadrare rebantur, familiare, ſolem neque fuit, marmori, ærique (quæ frequentiùs animare in deliciis erat) noctuas adjicere, queîs illa Regio ſcatet. Hinc proficiſcitur adagium, *noctuas Athenas ferre*. Proinde equo Severi, qui in Capitolio videtur, circa crines una harum inſidet ſiniſtrarum avium. Pictores, atque ſculptores, veſtris operibus identidem jungite noctuas, animal, quod potiſſimùm cadaverum, ſepulchrorumque contubernio gaudet, atque lætatur. Sculpendo, lethum meditaminor, quoniam à vobis monumenta inciduntur. Eques Bernini immortalem ſibi famam vendicavit, auream ſepulchri Urbani Octavi mortem fabricando; Ibi pulchram occurrere mortem, fas eſt dicere. Nihil Buonaroti citra myſterium perfecit. Auroram, atque crepuſculum ſupra quoddam Sereniſſimorum Hetruſcorum ſepulchrum locare minimè dubitavit. Per auroram ſomnicoloſi ad mortis recordationem excitantur. Crepuſculum edocet, miſeram mortalium vitam, à matutino crepuſculo nec apicem abludere, mœſto ſuis in ſplendoribus, ac momentaneo. Alteri tumulo noctem impoſuit. Omnium enim oculos, eodem ſomno æternum ſepeliendorum, perpetuæ tenebræ involvent, occupabunt cimmeriæ. E Regione eminet ſtatua, diem figurans: ac ſi tentaret innuere, lætâ Cœli die fruuntur, qui, mortem expendendo, ad ritè defungendum ſeſe diſponunt, ac ſedulam navant operam. Idem Buonaroti ſtatuam Ducis Laurentii de Medicis, ejuſdem ſepulchro locaturus, melancholicam, tetricamque formavit, ut intuentibus mœſtitiam inſtillet, atque funeſtet. Marmorea ſtatua mortem ruminatur, ac contriſtatur; tuque homo non recogitas ingenitam miſeriam, ac ſenſatus ab inſenſatis erudiri nullatenus erubeſcis?

10. Porrò quoties Pictor ad noviſſimum ſuum finem reſpiceret, ad fatalem metam cogitationibus collimaret; cùm manus torpebit, mortis anguſtiis decolor vultus palleſcet, ora trementia languebunt: Dubio procul pingendis, adumbrandis, delineandis tot obſcœnis ſuperſederet, ac parceret, neque tot nudata corpora circumferrentur, quæ, cordi blandiendo, lethaliter animas venenare moliuntur. Tiziano, in colorum temperamento, imitandoque naturam, cujus

cujus extitit ſimia, celebratur par nemo; Hinc denudaturus ſuæ peritiam artis, nudam Venerem, cubantem inter florum amœnitatem odorum, Martis obtutibus patentem depinxit. Tunc haud defuit, qui Cynico ſale inſulſi inſipientiam momorderit: Ah! Tiziane, alienis in dedecoribus tua ſtudes propalare decora! aſt adeò probroſi honores occurrunt, queîs inhias, ut tibi eo velo facies obducenda veniat, quod opportunum agnoſcitur operiendæ Veneri. Deſine ignominiarum aucupii, amabo. Incredibile eſt, quàm perſuadeat muta, ſed laſciva pictura. Achab omnino alienum ſe probabat à Jezabel amore, frigidumque in Venerem, ut refert Novarinus in Adagiis. At callida mulier, ac pellax pellices duas, ſeu ſcorta, lupaſque pingi curavit in curru, ut ipſius amore inflammaretur, ac deperiret: *Curavit igitur Jezabel pingendas in curru ejus imagines duarum meretricum, ut ipſarum aſpectu incaleſceret.* Itaque laſciviſſimarum par imaginum, ad inſtar Archimedis ſpeculi, ardentem vibrabant radium, ejuſque cor accendendo, ſceleſtam Jezabelem Achabus ardebat. Ezechiel de geminâ, eaque proſtitutâ, impudentique fœminâ loquitur, Oolla, & Ooliba; hæc autem *pluſquam illa inſanavit libidine, & fornicationem ſuam ſuper fornicationem Sororis ſuæ.* Lymphata præ amore mente furebat, debacchabaturque; nec non cupiditatis præda, in accenſis luminibus cordis flammas patefaciebat. Quis autem extitit Author? *Et auxit fornicationes ſuas; cumque vidiſſet Viros depictos in pariete, imagines Chaldæorum expreſſas coloribus, &c. inſanivit ſuper eos concupiſcentiâ oculorum ſuorum, & miſit nuncios ad eos in Chaldæam.* Ecce, quantùm valet amabilis oris pictura. Igitur quid non mortalia coget pectora, nuda pictura?

11. Attamen inveniuntur Pictores, qui, obducto ſceleribus callo, ſaxeo corde præditi occurrunt. Ad ſubtrahendam manum libidinoſis adumbrationibus, ſcindendoque lapideo cordi, unicum remedium, mortis meditationem ſuggero. Chriſtus in Calvario exMatth. c. 27. piravit, atque, moriente immortali, *Terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt.* Sciſſæ ſunt petræ ad horridæ mortis ſpectaculum. Pictori, qui nullis hortamentis inducitur ad renuntiandum obſcœnis coloribus, quique amicis perſuaſionibus reluctatur, cor lapideum eſt. At quid inde? *Auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor* car-

carneum. Quo verò pacto, immortalis DEUS! Reſpondet Arnoldus Carnotenſis, mortis præſidio: *Petræ quoque ſciſſæ ſunt, quia hæc conſummatio, & lapideis cordibus aperit ſpiritualem intellectum, & ad eos, qui mortui erant in peccato, vitalem revocat ſpiritum.*

12. Zeuxis clariſſimus Pictor Heracleotes, ad certamen picturæ cum Parrhaſio deſcendens, uvas tam ſecundo ſucceſſu pictas in Scenam detulit, ut ad eos aves advolarent comeſturæ. Nil obſtat proinde, quin Pictori liceat aucupari famam, abdicatis laſciviis. Petrus Berettinus, vulgò da Cortona, numeratur inter celeberrimos totius Orbis Pictores, neque palmam Veteribus cedens, poſteritati admiratione digniſſima reliquit. Nihilo ſecius illius picturæ honeſtatem undique ſpirant. Hic facit Apellis oraculum; cùm enim quidam ſuorum Diſcipulorum Helenam pingendo, auro, argentoque ornâſſet, dixit illi: *O adoleſcens, cùm non poſſes pingere pulchram, feciſti divitem.* Ita Clemens Alexandrinus. *lib. 1. Stro.* Nonnulli Pictorum, partim neglecto conſcientiæ candore, partim artificio delectandi deſtituti, ad obſcœnitatis præſidium confugientes, picturis gratiam conciliandi ſatagunt: quoniam *caro procliva eſt ad malum.* Aut, ſicut Altiſſimus dixit Noë, arcâ egreſſo, poſt diluvium univerſale, ac horrendum: *Senſus hominis, & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua*: ſonat Geneſeos periocha. *Cap. 8. v. 21.*

13. Quidam Pictor artis imperitus, ac ineptus, Crucifixi imagini pingendæ accingebatur; at cùm illi curta, peneque nulla foret ſupellex, ex alieno fundo mutuabat, expilabatve. Componendo ſuo compoſito, partes depromebat ex omnium nobiliſſimis picturis, quas Roma jactat. Itaque tabellam explorandam Michaëli Angelo Buonaroti ſiſtens, qui protinus deprehendit, opus eſſe rapacis manûs, quàm ingenii; hoc excepit ab illo judicium: Domine Pictor, pictura meretur encomia; hinc illi caveto à die Judicii. Deſignare tentavit inſignis hic Vir, fore, ut in die Judicii unuſquiſque ſua repetat membra. Modò acutùm clamare auſpicor, ô laſcivi Pictores, à die Judicii vobis invigilare ne gravaminor! Prima verò veſtri peculiaris Judicii dies, illud continget momentum, quod veſtrum comitabitur obitum. Tunc ratio à vobis depoſcetur nudarum Venerum, Adonidumque. Tres Gratiæ vobis depictæ, omnem apud Numen vobis excludent gratiam; cui illæ Charites haut charæ con-

tingent. Niveus cygnus in Ledæ ſinu, ſupra corvum animam veſtram nigram repræſentabit. Aurum in gremio denudatæ Danaes, vobis in ignitum plumbum vertetur. Proſerpinæ raptus vos raptabit ad orcum. Andromede nuda, ſcopulo alligata, vobis in veſtra vertetur ſupplicia. Conſiderate, quàm facilè moriamur. Zeuxis exſpiravit ridendo, aniculam ſibi lepidè pictam aſpiciens. Quàm citò noſtræ vitæ filum rumpitur; ruptumque non ampliùs annectetur:
Pſ. 77. *Et recordatus eſt, quia caro ſunt; Spiritus vadens, & non rediens*: effabatur David, coronatus Propheta. Tunc rigidiſſimum ſubibitis Judicis ſcrutinium.

14. Buonaroti, nondum Juventutis terminos egreſſus, in marmor incidit Senis Fauni caput; qui laborioſè labia aperiens, miraque ſolertiâ, linguam, denteſque ad unum omnes oſtendebat. Tunc talibus illum allocutus dicitur Laurentius de Medicis; an te fugit, Senes perpaucos, aut nullum numerare dentem. Vetulis dentes excidunt, haut renaſcituri. Moritur homo, nec ampliùs revertitur ſpiritus, ſemel à corpore amarè diviſus. Uni proinde animæ ſaluti proſpiciendum. Factâ animæ jacturâ, perdidimus omnia. Apelles in paucis amico perdilecto copiam fecit, eligendæ unius picturæ, quæ magis arrideret. Hic ignarus, quænam ultimam perfectionis metam attingeret, omniumque abſolutiſſima mereretur haberi, ad aſtûs, calliditatiſque præſidium confugit. In fugam effuſus publicum forum verſus, altâ voce exclamavit: Apelles, Apelles, ædes tuæ conflagrant incendio; Tunc Apelles anhelus hæc eructâſſe perhibetur: Saltem Mercurii tabella voraces flammæ parcere diſcant. Sicque amicus pretioſiſſimæ picturarum notitiam hauſit. Nil refert, ſpoliari ſupellectile, reque domeſticâ, ut quis pannoſus cogatur incedere. Nullius erit momenti, opes atteri, vitâ denudari, anima ſi ſalvetur illæſa. Poſtquam Loth unà cum Regibus Pentapolibus in certamine profligatus, captuſque fuit ab Aſſyriorum Regibus; Abraham, collectis tumultuariè, quæ ſupererant, Copiis, præpetem nullâ præpediente difficultate, in hoſtes triumphantes generoſè, cordateque non dubitavit irrumpere; quod cùm ex voto ceſſiſſet, cœlo aſpirante calamitoſis, captivos in libertatem aſſeruit. Hilaris, liberatuſque Rex Sodomæ, converſus ad Abraham, in hæc linguam
Gen. c. 14. relaxavit: *Da mihi animas, cætera tolle tibi*. Tentoria cum contentis, opi-

opimiſque ſpoliis, tui ſint Juris; duntaxat *da mihi animas*. Ah animam noſtrum æſtimemus theſaurum! Tanti boni munimini noſtræ cogitationes invigilent. Saluti ſpiritûs immortalis ſolertiùs conſulamus. Animæ verò ſalus pendet à morte. Quis ergo tam occurret excors, uti cogitatione lethi ſuperſedeat, memoriam poſtterget? imò cùm adeò terribilem agnoſcamus mortem, cur non perhorreſcimus? probè vitâ cedemus, nobis victoria cedet, morte auſpice, & auſpice morte.

15. Cœcâ pendent expectatione, qui vivacitatem prorogare maturant. Mortem meditemur propinquam. Non ſolùm attagenibus Paphlagoniæ, velociſſimo volatu; Sed inſuper Elephantibus geminum cor ineſt. Attamen *terribilis cunctis Elephantus murem timet*, aſ- *Plinius hiſt.nat.* ſeverat Divus Ambroſius. O Pictor, in pravitate nullam agnoſcens menſuram, ac enormis; ô præceps in reatuum barathrum ſpecta mures, fœtidos ſpectato vermes tui tumuli, atque à plantâ pedis uſque ad verticem capitis contremiſce. Fortaſſis ſepulchri conſideratio, ubi *ſimul in unum dives & pauper* miſcentur, cordis intimis perfectionis appetitum creabit. Quod Nealco canem volucrem pingenti contigit, id & Protogeni, in colorando venaticum canem, in velociſſimum leporem anhelantem, ſpumantemque, tradente Plinio. Ex artis præſcripto, legeque naturæ inſectantis vivos vultus duxerat; ut jam prædæ inhiare, ſtringere, perimere mentiretur. Verùm æmulando deciduam præ curſu laſſarum belluarum ſpumam, impar Protogenes; in tabellam iratus ſpongiam projecit, qua penicillos amabat detergere: Hocq; fortuito jactu, artis exquiſitæ, pertinaciſque ſtudii deliquia compenſans, ſupremam perfectionis lineam admovit figuræ. Verùm longè ſordidiſſimam ſcimus urnam, tali ſpongiâ tumulum fatemur immundiorem. Ibi purpuræ rubedo, humiliſq; conditionis nigritudo miſcentur. Sereniſſimus pulvis, ciniſq; plebejus unam eandemque maſſam conſtituunt, ac conflant. Hæc ſeria conſideratio, Pictor Narciſſe, iter ad cœleſtem Patriam tibi ſternet. Plinii volvito eruditas paginas; occurret Lectori Nealces, qui acerrimo navali prælio, Perſas inter & Ægyptios inito, per penicillum intentus exprimendo, ingenioſo argumento juvit artem, in limoſo littore curvatum jumentum, avidiùs potans, Crocodilumque illi inſidiantem depingens. Crocodilus autem mortis ſymbolum eſt, morſque docet, quòd cùm *militia eſt vita hominis*, nos in Nilo

certemus [ut recenſiti ſuperiùs hoſtes] Paradiſi flumine, non autem in amaro mari, ac perditionis abyſſo. Lucas Evangeliſta Pictoribus adſcribebatur, Sanctorumq; Catalogo meruit inſeri. Hunc imitaberis, nî detrectes gnaviter funeſtas urnas contemplari, maturè tuum expendere egreſſum ex hoc Mundo; in quem nunquam redux obvies. Tunc haut mori faſtidies, haut ſtomachaberis, ingeminans oraculum Buonaroti; cùm vita nobis arrideat, mors, quæ fluit ex ejuſdem Magiſtri manu, neque diſpliceat. Siquidem ex letho, lætus emerget ad æternam empyrei fauſtitatem tranſitus. Igitur immortalibus immori, gaudete Pictores.

Geor. Vaſar.

MULIERES
AD
FONTEM.

CAPUT XII.

1. LÆtiſſima vernantium hortorum amœnitas, me fulciat; Patmi roſæ, Pruſſiæ ambarum, Erythræi margarita, ſcintillantia ſydera, Solis radii mihi ſuppeditent metaphoras. Ad Mulieres meus dirigitur ſermo; de ſequiori ſexu verba texere auſpicor, queîs familiare, dotatiſſimam formam jactare, venuſtatem inſitam celebrare: nec non propriæ ſpeciei effectæ Narciſſi, ceruſſatis tenentur technis, bracteata vaſramenta depereunt, callidis aſtibus cupiunt, omnique proſcripto prudentiæ duce, vanitatis ſe prædam conſtituunt. Loquar de purpureis labiis, de oculorum fulgore, de auratis flavæ, fluctuantiſque comæ naufragiis. Stellæ eclipſatæ, flaccidi flores, liquefactæ nives, miniſtrate metaphoras, periodis igneum conciliate vigorem. Inveniendorum Rhetoricorum luminum ſpe dejectus, funeſtas cimmeriæ ſpecûs umbras colligere ſtudebo, queîs ſubjectum ſermonem ſpargam. Vitâ cedunt fœmineus ſexus, venuſtate florentes occidunt; quæque, ſympaticæ fatuitatis ergò,

ergò, Dea colebatur, & audiebat, jam deploratur mortalis, mortua, corrupta, in nihilum redacta, nihilque fuiſſe, præter umbram, ac fumum, agnoſcitur. Exclamat proinde Divus Antonius Patavinus: *Vitrum eſt caro hominis, glorioſum in ſplendore pulchritudinis, & fragile in ſubſtantia.* *Dom. 2. Epiph.*

2. Deploratus homo maternâ in alvo, capillis, non dentibus inſtructus naſcitur; licèt magis neceſſarii videantur dentes, ad vitæ ſuſtentationem. Sed ecce enucleatum à Niſſeno Ænigma: *Capilli mortem oſtendunt.* Capilli, utpote inanimati, avaræ mortis auratum habentur ſymbolum. Ah Mulier! vix nata lethum geſtas ſuper caput. Si veluti pulchritudinis Sol oriris, jam erumpunt primi radii, unius diei anguſtâ periodo, ad occaſum vergentes. Criſpatur in undas capillorum aurum, quoniam in lethi mare tua vita naufragium patietur. Marinis ſpumis ortam fuiſſe Venerem, Muſa fabulabatur. At veritati conſonat, Mulierem, ad inſtar ponticæ ſpumæ evaneſcere, perire. Tuis in genis, ô adoleſcentula, flavi crines colludunt, aurataque voce te admonent, præ tuis oculis lethum adſtare: *Capilli mortem oſtendunt.* Noſtro in morali Fonte, tuove hoc aureo mari, tibi mortalis obviatura, ſpectato te. Probè fateor, eſſe fili, labyrinthis extricare, ſicuti oſtendit Ariadne; tu verò ad objectum ſpeculi, capillitii aureis filis labyrinthum contorques. Hinc, derelictâ cryſtallo, in noſtro Fonte te rimari delectet; deprehendeſque tuæ vitæ filum, capillo ſubtilius, nec non ocyùs te à morte eripiendum eſſe Mundo, calamitatum labyrintho, *capilli mortem oſtendunt.* Imò cùm capilli cogitationes deſignent, atque figurent, tuæ cogitationes ad mortem colliment, conſequens eſt. Audi magnum Syneſium: *Ne homo arrogantiùs inſoleſceret, ſi nulla ei eſſet cum perituris rebus ſocietas, aliquot ſui partibus capillos habet. Vita ſiquidem carent hi, & viventibus, vitæ expertes adnaſcuntur.* Cùm ergo Mortalibus periturorum ſit ſocietas, ac neceſſitudo, arrogantiùs inſoleſcendi anſam haut nanciſcuntur. *in vita Moy.*

3. Ad agnoſcendam vitæ brevitatem, lethique propinquitatem, ad paradiſum terreſtrem cogitationum alis avolemus. Dæmon apparuit Evæ, primæ omnium mulierum; cumque licuiſſet, ſe perſonatum ſub mentitâ Stellæ, Solis, hominiſve ſpecie exhibuiſſe, ſerpentis formam induere maluit, fraudem adornatam ſub ſquamis

 con-

conditurus. Abs re eſſe videtur talis oris habitus, impetrando præfixo fini. Lucifer, intortus arbori ſcientiæ, erroris fructus conaris oſtendere. Quam enim præſagies felicitatem, cùm Draconis ſignum perdenſè calamitatibus terricolas perpluat? haut ſtudes Evæ ſemitam divinitatis aperire. Quî proinde ſinuoſis gyris, coram illius oculis labyrinthum componis? Eva tuis fraudulentis perſuaſionibus acquieſcere, auſcultareque compelletur. Quomodo verò Mulier ſibi perſuadebit, ſe derivaturam directum conſilium à tortuoſo, flexoque ſerpente? Ergo ſi, porrecto pomo, integrum Mundum rapere tentas, revoca calculos, aptiorem indue formam, vultuque eadem, qua fructus ille, rubedine tincto, imperii, quod ambis, purpuram nudato; ut mentitus venuſtatem mali, malo vero corrumpas Orbem. Sed ecce Moyſis Barcephæ concinnam ſententiam: *Ut intelligatur ad quantam vilitatem, & miſeriam, propter peccatum Dæmon eſſet abjectus, ex ſimilitudine ſerpentis, qui non ſublimis, & rectus graditur, ſed humi proſtratus, humiliter ſerpit.* En mirabilia! Serpens loquitur, dicitque: *Nequaquam moriemini.* Moriemini Mulieres, cœlo inermi ad fulminandam venuſtatem. Suſpicione non caret *nequaquam* nequam ſerpentis. Hinc ne vobis imponat, attendite. Mortuam ſcimus Evam, cui fides oppignorata fuerat. Et vos conceditis fato. Hanc mortalem vitam lethalis ſerpens pollicetur, ſpondendo, quod præſtare non valet, cùm afferat mortem. Per os mendaciorum patris, vobis ſæculorum longævitas promittitur. Ut ſerpens ſe ſpectabilem præbuit, ex arcano Numinis conſilio, quippe myſterio minimè caruit: Cùm etenim venenoſum ſit os ſerpentinum, ab illo nemo præſtolabitur vitam procul à morte.

de Parad. c. 27.

4. Reatus Angelorum facilè formoſiſſimum, in vilitatis, ærumnarumque barathrum præcipitem egit. Multò magis culpa vos, quæ venuſtatis decoribus irradiare præſumitis, in fœtidam foveam deturbabit. Haut revocandum in dubium, pulcherrima quæque eſſe durabiliora; Hinc aves piſcibus longæviores habentur. Quid autem ſibi vult, vos formâ præſtantiſſimâ, dotatiſſimâque florentes, tam citò evaneſcere? Quis autem turbavit, ac Veri horridam hyemem inſeruit? Quis lethum ſollicitavit ad accelerandum giganteo greſſu, ad advolandum ut citiſſima Aquila? Divus Paulus hocce reſponſum apponet: *Stimulus mortis peccatum.* Dubio procul, inquit Apoſtolus, cru-

crudelem lentè feſtinaturam, remoto Libitinæ calcari, neque ſufflaminaturam quemquam, donec præfixum ætatis prolixæ ſtadium emenſus fuiſſet, metamque attigiſſet. At reatu ſubdente ſtimulos, currere cogitur, Aquilone velocior; quam nullæ blanditiæ cicurent, lenocinia demulceant, illecebræ ſibi devinciant, promiſſa ſibi demereantur: *Humanæ vitæ brevitas damnatio delictorum eſt, & in ipſo ſæpe lucis exordio, mors ſecuta naſcentem, labentia quotidie in vitium ſæcula profitetur.* Ita Divus Hieronymus. Ubi ſuperioribus ſæculis ad nongentos annos extendebatur mortalium ætas, in præſentiarum vix annus octogeſimus attingitur: *Et hoc quoque ſpatium, ſceleribus noſtris ſemper contra Divina pugnantibus, penè perdidimus.* En amariſſimum noxarum fructum, en noxia noxia! Ep. 22. ad Paul.

5. In delicta labendo mulieres, æquâ lance, atque robuſtior ſexus, fœdè ſe devenuſtant, ac dehoneſtant. Attamen duo vitia magis familiaria, ſolemniaque mulieribus occurrunt; queîs propemodum omnes ad unam irretiuntur, ac illaqueantur. Nimirum vanitatis, atque curioſitatis idola propenſiùs adorant, prolixiùs venerantur, amantiùs colunt, penitiſſimè cupiunt iiſdem. Muliebris vanitas in eo ſita cognoſcitur, unde pompis, oriſque decore, per aliarum contemptum, omnibus antevertere conatur, præcurrendi ſatagit; vanitatem fœmineam, appetitum, ſitimque ſugillo augendi, efficiendique pretioſiores naturæ dotes, & prærogativas, quibus votis omnes indulgent, qua culpa nulla caret: & quoniam mollioris, imbelliſque ſexûs arma noſcuntur venuſtatis ornamenta, mulier ei impetrandæ, phaleris concinnandis omnem movet lapidem, nullam non admovet machinam. Hinc vanitas jure merito meretur audire, mendoſa, depravataque cupiditas irretiendi incautos cœcorum amantium animos. Fœminea vanitas à fucatâ fallaciis larvâ, nec latum unguem abludit. Aureum phantaſma deteſtor, unde & caligini, ventoque color accedit. Mendaciorum apparatui ſuccenſeo, ut videatur eſſe, quod non eſt. En adoleſcentulam genas purpuriſſo, ceruſſaque decorantem, ut, ubi naturæ ex lege pullulant ſpinæ, artis machinamentis germinent roſæ! Sed dum in ore roſarum floret amœnitas, propriæ vanitatis hieroglyphicum oculis ſubjicit. Speculum conſulens, ſupra fragile vitrum ſpem ſuam fundare non dubitat; diſcitque ab illo, ſupra columbæ collum, colorum varietatem in vultûs

angu-

anguſtiis exhibere. Volat columba, volant anni. Naturæ deliquia coloribus emendari poſſunt, mortis pallores non poſſunt. Mulierem, quî corda inflammet, cryſtallus erudit; cui proprios vultus concredens, Sol ſpectanda, ſua ab umbrâ conſilia derivat. Ah! dum caput, ô fœmina, retorques, à ſpeculo tua evaneſcit imago; dum cilium inflectis, hinc emigrabis.

6. Quis naturalem venuſtatem præ aſcititiâ celebrabit? Nympha ſylveſtris pulchritudinis palmam civicæ præripit formæ! impexæ, nec intextæ comæ, capillitio tingi reluctanti, genis nunquam fucatis, in quibus aurum liliis, roſiſque commixtum, ſponte naturæ locavit indulgentia, plenis, inflatiſque buccis acclamant Poëtæ, ultro plaudunt. Semper commendari audivi mulierem, cujus ora eros matutinus, purique frontis lympha madida reddit, nec non elegans Nympha, pallorem paritura auroræ, mapaliis egreditur. Ubi regnat nuda forma, ibi exulant hoſtes innocentiæ. Quæ pannoſa non erubeſcit incedere, pretioſiſſimis animam involutam declarat. Cæterùm gazæ ærariis recondi ſolitæ, omnium oculis ſubjiciuntur, in muliebri mundo patentes. Cordatis mulieribus ornatus deſipuêre, reſpuerunt fucos. Philonis Philoſophi Uxor, in publicum erumpere non dubitavit incomptis capillis, aureâ coronâ viduata; cujus uſus apud illius ævi, tempeſtatiſque mulieres inoleverat: *Uxori ſatis ornatus eſſe Viri virtutem, & laudes* aſſeverans. Phocionis uxori (penes Plutarchi teſtimonium) arriſit eodem mariti amictu circumdari, nec unquam monilibus, aut torquibus ebur colli decorare tentavit: Inſuper dedignabatur appropinquanti Joniæ mulieri morem gerere, quæ ſuadebat, quid ſibi paratâ pecuniâ pretioſiſſimarum gemmarum compararet, quas arculæ impoſitas venales oſtendebat, circumferebatque, ſic effando: *Mihi Phocion mundus eſt, vigeſimum jam annum Dux Athenienſis.* Sabellicus monumentis conſignavit, Romanas Matronas ex ſtemmate, ſtirpeque Sarrani, nunquam lineos geſtâſſe pannos, omnem repudiando cultûs delicati ornatum, ac ſtudium. Memoratque Plinius, alias ex Quintia, obryzum aut argentoſum aurum aſſumpſiſſe nunquam.

7. Itaque ad quid tot veſtium apparatus, exquiſiti ornatus, fuci, odontorrimmata, chirothecæ odoræ, colorum varietas, odoramenta? retrahendæ mulieri à vanitatis idolo, præſentiſſimum remedium,

dium, lethi meditationem, magis magiſque ſuadeo. Angeli beati, aſpicientes Canticorum Sponſam, efflant: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & univerſi pulveris pigmentarii?* Exotica planè comparatio. Cur venuſtiſſima Sponſa, caliginoſo cum fumo confertur, cujus ſpeciei Solis radii invideant? Quid fumo deformius? ligni filius, quòd invalidus habeatur, ceu parens pinus, ad ſulcandum mare, in ſemetipſo quiddam mare formare videtur. Inter obſcuros fluctus medio in aëre tetrica ſpectatur tempeſtas, quam Proteo mutabilior ciet. Rurſus in nubem effingitur; quæ, cùm fulmina vibrare conſueſcat, haut ſecus & ipſe per aëra ſerpit. Volantem Baſiliſcum ſe probat, non tam obtutu noxium, quàm ſpectantis obtutui. Atro gravidus virus circumvolat, ad Solem cimmeriis involvendum aſpirans; agreſtibuſque fortunæ ſuffragiis elatis haut diſpar, qui nullis orti natalibus ſatagunt adumbrandi, quos noverunt cumulatioribus radiis emicare: Nititur peregrinos ſplendores obruere. Fumus igitur adeò vilis comparabitur cum Canticorum Sponſa, pulchritudinis, juventutiſque apicem occupante. Sed Divum Ambroſium audiamus: *Præcipuè myrrham redolet Sponſa, & thus*; incenſum deſignat orationem cum meditatione: Hinc *myrrham mortis eſſe ſymbolum, nemo dubitaverit*, concludit Niſſenus. Ergo mulier, quantumvis in juventutis flore conſtituta, ac Sponſa, confractis ſpeculis, illicò valedicet vanitatibus, attritis contenta veſtibus, auſteram vitæ normam auſpicabitur, & amplectens, quæ ſapiunt integritatem, per carnis macerationes apparebit *ſicut virgula fumi*. Hinc cùm olim in cryſtallo erudiverit oculos, quì ſibi Stellarum titulum conciliarent; nunc in tumulo iiſdem defixis reſipiſcet, pupillaſque lachrymarum rore madidas nanciſcetur, deplorando ſuperioris ætatis nugamenta: *Quicumque mortis ſuæ efficaciter recordantur, ſtudent eſſe continentes, patientes, nec ceſſant orationibus, ac aliis bonis operibus invigilare*: Suffragatur Albertus Magnus.

Homil. 13. in Cantic.

Ser. 47.

8. Quis Magdalenâ in ſæculo vanitatum amantior? at juvabit intelligere miram funeri aſtantis metamorphoſin. Hæc Mulier in Magdalo Caſtro, vix paraſangâ ab Urbe Naim diſſito, habebat, domicilium erexerat, ſedem fixerat: quò frequentiùs ſe conferebat, deambulatura plateas ad ſuſpiriorum auram, quæ imis pectoribus tantæ

venuſtatis adoratores trahebant. Inter hæc amicos præfatæ Civitatis inviſendi, mulieris animum cupido ſubivit; at intenta catenandis cordibus, in intimum domûs ſeceſſum arripuit ſe, penetralique recondita, ſpeculum conſuluit: ac Archimedis æmula, objecto limpidæ cryſtallo proprii vultus Sole, Spectatorum pectora debellare maturabat. Lacero Elephantis dente comam arabat, quò Cadmi dentibus anteſtaret; ex quibus humi projectis, horridam ferro ſegetem comperimus. Genas tingebat purpuriſſo, uti, quoad licuit, de omnibus triumpharet, ſe ſeque dederent deliranti juvenes inconſulti, veluti ſparſo cruore in amoris certamine conſternati. Leves capiti plumas impoſuit, ut velociùs obtutuum ſagittas deinde deferrent, intuentium animas, per totum diſſitas corpus lethaliter ſauciaturas. In hunc armata modum Magdalena Magdalo decedit. At ægrè Naim portis appropinquavit, cùm *ecce defunctus efferebatur, filius unicus matris ſuæ.* Nimirum obvium nanciſcebatur cadaver in feretro, cujus diu noctuque inauſpicato ardebat amore, quem deperiebat. Ah! acerbiſſimum ſpectaculum, ah! amariſſimus aſpectus! nitebatur clamare: at vox faucibus hæſit, inundante, obſtrepenteque recenti accelerantium turbâ. Officioſus hic erat Redemptor, qui, revocaturus ad vitæ munera extincti Juvenis animam, advenerat; cujus veſtigiis, populus ſpectandi miraculi avidus, inſiſtebant clamando. Chriſtus tumulum attigit, defixiſque in Magdalena pupillis, gelidove in cadavere, prorupit: *Adoleſcens, tibi dico, ſurge.* Hoc oraculum tam aures, quàm cor Magdalenæ feriendo, & frontem feriebat; extinctumque amatorem intuita dicebat: Numquid hunc Juvenem meas agnoſco delicias, meî cordis dimidium? Ergo meum cor allocutus, mihi reſurrectionem præcipit: *Adoleſcens, tibi dico, ſurge.* Ille è tumulo proſilit ad vitæ uſuram, ego verò (ô me miſeram, ô me afflictam!) quam vivendi rationem amplectar? ſe convertit anceps ad Redemptorem, vixque ora divina oculis libavit, cùm eveſtigio obtutuum ſagittæ in lachrymarum imbrem degenerant, ad unguem expleto dicto: *Fulgura in pluviam fecit.* Denuo contemplatur jacentem Juvenem; ac in illo feretro, *ut cognovit*, humana quæque evaneſcere, ſæculi deliciis metam præſcribi tumulum, libidinis flammas ſepulchri cineribus definiri: *Ut cognovit*, extinctum præ culpæ ſordibus, limpida Creatoris imagine viduatum, à tartareo Acheronte

vix

vix abludere: *Ut cognovit*, extemplo lachrymoſis immerſa ſuſpiriis exceſſit, erupit, evaſit. Vultu demiſſo, præ ſuorum reatuum recordatione, iter capeſſit Phariſæi lares verſus, præpes molitur veſtigium, tandem edocta, formam ſpatio carpi, vetuſtate, morbove defloreſcere. Ibi Redemptorem offendit; altera Atalanta in curſum effunditur, non collectura, ſed effuſura ſuorum capillorum aurum; quos coram Chriſti pedibus ceu rete ſpargere non cunctatur, ad piſcandum gratiam in miſericordiæ mari. Non ignara, ſubjectis leonem parcere, pedibus Judæ Leonis provolvitur: *Stans retro ſecus pedes ejus.* Lachrymarum fontes erumpunt ex pœnitentis oculis; & ubi Jaſones in aquis aureo vellere potiti dicuntur, illa aureo capillitii velo aquas colligit. Nobilem aperit alabaſtrum, projectiſque unguentis, allaborat admiſſorum mendorum fœtorem extinguere; inſuper pedes deliniendo, quos ſuæ ſpei baſim venerabatur; Hos exoſculatur, ſuaviſſima ſuavia imprimit. Inde amore liqueſcens, crura tenaciùs ſtringit; quippe ſe vacillantem agnoſcens, columnis adhæret: queîs haut hoc legit inſculptum: *Non plus ultra*, ſed ſuæ pœnitudinis exordium, quoniam à veritatis ore meruit audire: *Remittuntur tibi peccata.* Ex vacerroſa mitiſſima, aſperrimi ſpelæi inhoſpitis circumſcribitur, protractiùs in horridæ cavernæ barbarie fallere avens; quæ vix præfervidis mulieris ſuſpiriis affatim aëris haberet. Aculeato cilicio corpus cingere maturat, ſtimulatura ad decurrendum ocyùs perfectionis ſtadium. Manu catenis armatâ, ſui ipſius hoſtis acerrima, ſub dio ſemet fulminat, flagellat, immitius animadvertit; ut ſanguinis torrentes ſolum inundârint. Lympha falernum, quod nunquam deſpumet, radices cupedia miniſtrant, ac præbent. Barbarâ crudelitate in ſe deſæviens, vitæ aſperitatem emollire refragatur. Tantæ molis eſt mortis cogitatio, extincti ſpectaculum. Ergo ingeminare mihi liceat illud Alberti Magni: *Quicunque mortis ſuæ efficaciter recordantur, ſtudent eſſe continentes, patientes, nec ceſſant orationibus, ac aliis bonis operibus invigilare.*

9. Statuminabo commendabilem Magdalenæ converſionem, lethi partam memoriâ, Sancti Petri Chryſologi teſtimonio: *Veſpere autem Sabbathi venit Maria Magdalena, & altera Maria videre ſepulchrum.* Erumpentibus matutinis crepuſculis, ſacrum Chriſti monumentum adivit. Ludit hìc Sanctus effando: *Non venit ipſa, ſed altera; altera,* *Ser. 24.*

 ſed

ſed ipſa, ut mulier mutaretur vita, non nomine, virtute, non ſexu. Hinc
Lev. c. Oleaſter: *Ungebat Maria pedes JESU, ungebat JESUS cor Mariæ. Sed*
17. *plus efficax mortuorum unguentum, quod peccatricem dilectam fecit. Dilexit multùm, & dilectam in Sanctam mutavit, & in alteram, dum iret ad ſepulchrum.* Eva vitæ arbori appropinquans, mortem incurrit. Magdalena lethi cubiculo propinqua, vitam hauſit.

10. Itaque vanitas copulata venuſtati, fœminas præcipites agit. At lethi cogitatio, tumuli aſpectus eaſdem frænare conſuevit, & à lapſu prohibere. Zeno venuſtatem appellavit *vocis florem.* Ariſtoteles *Epiſtolam efficaciorem ad commendationem.* Ac inſuper *donum, quia gratis contigit à natura.* Socrates, *exigui temporis tyrannidem, quòd formæ gratia mox defloreſcat.* Plato *naturæ prærogativam, quòd paucis contingat.* Theophraſtus *ſilentem fraudem, quòd abſque verbis perſuadeat.* Theocritus *eburneum detrimentum, quòd grata quidem ſit aſpectui, ſed multorum incommodorum cauſa.* Carneades *Regnum abſque*
Laert. Apoph. l. 7. *ſatellitio, quòd formoſi impetrent quidquid volunt, nullâ adhibitâ vi.* Bias illam dicit *Bonum alienum,* at Manutius explicat, *ſentiens extra hominem eſſe, quod ipſe ſibi nec dare poteſt, nec tueri datum.* Præcipitium dicam ego mulierum, quòd & illarum, & totius Mundi ruina à pulchritudinis fraude proficiſcatur.

11. Adoleſcens propriam imaginem ære fundi curavit; cui Antiſthenes: *Si æs poſſet vocem edere, quâ de re potiſſimùm gloriaretur?* Reſpondit: *De pulchritudine.* Tunc Antiſthenes: *Non igitur erubeſcis, qui cum inanimo gloriaris?* Innuens, ob animi, quàm corporis venuſtatem, gloriæ ipſum debuiſſe inhiâſſe. Vel dotatiſſimæ formæ dignitas, ac vultûs elegantia, temporis, ætatiſque progreſſu defloreſcit, transvolantium momentorum ludibrium: Ut ubi ridebat vernans amœnitas, jam horror regnet; *Quære, quære finem earum. Ecce, tibi tenebræ occurrunt, imò nihil invenies;* exclamat Auguſtinus.

12. Ubi nunc Helenæ formoſiſſimæ ſpecies adoranda, cujus oculis quàm Græcis tædis, Troja ſuum adſcribit incendium? Ubi nunc Semiramis, quæ aureis capillorum undis, inconditæ multitudinis procellas, tumultibus excitas ſedavit? Phrynes venuſtatem venaminor, quæ Judicum denudata pupillis, corruptam Juſtitiam operuit rubore? Quære Lucretiæ Romanæ pulchritudinem, cujus oculi

Jani

Jani Templum præ ſe ferebant, nec unquam movebantur, quin Spectatoribus amoris bellum nunciarent? Laidis formam quære, quam ſpectatum populus currebat ut fulmen, qua ſpectata fulminabatur? Celiæ quære venuſtatem, cujus aurei crines per mammas diffuſi, ceu geminum flumen, theſauros novis mundis afferre videbantur? Liviæ quære amabilem vultum? Cleopatræ venuſtatem adſpicere maturato, cujus gratiâ M. Antonius vaſti Imperii poſſeſſionem exuere non dubitavit, depoſiturus in illius oris ærario ſuos uniones, atque pyropos? Penelopum ſcrutaminor formam, in quarum pupillis Stellæ ſcintillare videbantur, in frontibus aurora triumphabat, in genis ridebat amœnitas? Deſine peregrinam venari formam, ſed quære propinquam; quam abhinc paucis annis florere obſtupeſcebas, mirabaris, quì inter vultûs nivem inauſpicatò flagrarent amantes? *Ecce tibi tenebræ occurrunt.* Nil niſi umbroſas lethi larvas offendes, funeſtoſque tetrici ſepulchri horrores. Ah! exclamabat Philo, *nonne pulchritudo momentanea penè prius marceſcit, quàm floreat?* Evanuit, quam ad miraculum venuſtate florentem, nemo non commendabat, ac ſuſpiciebat; cujus obſcuræ umbræ, quas gelido ſpectatis in tumulo, clara, luculentaque teſtimonia perhibent de Sole jam extincto. Occidit, nec ampliùs orietur, *nihil invenies*, inquit Auguſtinus. Neque cineres occurrunt: Ergo *fallax gratia, & vana eſt pulchritudo. Mulier timens Dominum, ipſa laudabitur*, concludit Mortalium Sapientiſſimus. Corruunt columnæ, turres præcipitant, Urbes evaneſcunt, queîs eſt anima lapidea, & undique marmorea reperiuntur; neque labetur venuſtas naturâ fragilis, oculorum fulgura, quibus accumbit vanitas, haut peribunt? O Mulieres, igitur ne in fragili, fluxo, caducoque ſpem veſtram fundetis. Omnia ſubjacent morti, interitus manet; *Omne, quod in hoc Mundo habere videtur, umbra, & ſomnium eſt*: exclamat Hieronymus. Oculorum lenocinio Mundus in flore eſt, cui plus Aloës, quàm mellis ineſt.

13. Secundùm Mulierum ſtatuo curioſitatem. Inveſtigandis rebus, quid non dicitur, quid non molimur? ſexcentis incommodis Nili originem ſcrutatus eſt Alexander; ſatagens in aqua fontem illum invenire, cui circum terreſtrem Paradiſum igneus eſt agger. Fabuloſam Solis menſam Apollonius Tyaneus oculis luſtraturus, haut modicum Orbis tractum peragravit. Heracliti curioſitate ſuperſe-

perſedebo, Solis naturam explorantis; illaque Plinii ſuprà Veſuvium: Nullam Tychonis mentionem ingeram; non memorabo Turiannem curioſum, Perſarum Regem; qui, curioſitate ſpectandi Romani Capitolii percitus, narivo Regno excedens cum ducentorum electorum comitatu Romam petiit: ac humaniſſimè exceptus, habituſque à Martino Quinto Pontifice, in patriam magnis itineribus contendens, prope Liparim propè naufragio abſumptus fuit. Tantis igitur agitatus novercantis fortunæ procellis, cum morte demum colluctans, has cygneas voces eructavit. *Credebam, me Capitolium tantum videre, ſed Mundum alium ad videndum curioſitas me ducit.* Cùm olim dixerit Alexander Magnus: *Perſicæ puellæ ſunt dolores oculorum*: modò Perſæ pronunciare licebit, Romana ædificia mortem cordis occurrere, oculorumque tenebras.

14. Ad Mangonizatas Mulieres quadam maniâ mortales manicant; quos inſuper nacti curioſas perditè diligunt. Curioſitatis verò vitium fœmineo ſexui peculiare, ſemper extitit ruinarum occaſio, malorum ſentina, calamitatum ſeminarium. Loth Uxor in obtemperando inſulſa, ſalſa ſub mortem, curioſa convertit oculos ad incendium, ne ampliùs lumen aſpiceret. Dum pedes fugiebant, pupillas firmare didicerat. At cœcam migravit in ſtatuam, obtutûs curioſi pœnas luitura. Suimet viſa eſt tam tumulus, quàm cadaver; imò ſalis evaſit in ſtatuam, condiendis mortalium deliramentis, in poſteritatis documentum. Nonne eradendæ Mulierum cordibus curioſitati, hocce ſufficiet exemplum?

15. Dina Urbem Salem ingreditur, obſervatura mores illarum puellarum; *Egreſſa eſt Dina filia Liæ, ut videret Mulieres Regionis illius.* Præpeti pede decurrebat illas plateas, ac ſpatiabatur, ætate Juvenis, adulta quoad venuſtatem. Greſſus equidem nullâ componebat arte, ſed ambitioſa Stellas provocare videbatur. Tam erat faſtuoſa, uti ſemper fuerit dedignata propriam demittere ſublimitatem, à manu phalerarum eleemoſynam mendicando. Nihilo ſecius leniter ſupercilium inflectens, affabilem efficiebat Majeſtatem. Hinc Sichimitæ, illius fulmina ſibi ſecura ſcientes, appropinquabant eidem, aut quodam innocenti rapiebantur faſcino, quod in oculis triumphabat. Virginitatis flore vernabat; at Veſtalem ſe meritò jactaſſet Virginem, ſi ſempiternum ſpectes incendium, quod ſemel à ſe ex-

cita-

citatum, nunquam extingui patiebatur. Itaque Sichimitæ, hoc amoris igne ſuccenſi, ad ejus Sphæram advolabant, rapiebanturve pretioſis catenis, quas aurei crines nectebant. Verùm enim verò utraque curioſitas, vindici cœlo rigidiſſimas pœnas luit, dum, immitiùs utraſque animadvertendo, noluit impunes. Dinam deploravimus raptam, inſoleſcentium militum probroſum trophæum, atque ludibrium; qui laſcivum Principi Sichem ſiſtentes donum, illius raptum perfecêre, eo imperante; *Et dormivit cum illa, vi opprimens Virginem.* Hinc libato pudicitiæ flore, facta libidinis præda, omnium infeliciſſimam, abjectiſſimamque ſeſe lamentabatur; ac in tantâ lachrymabilis calamitatis copiâ, lachrymarum egeſtate laborabat, ſuum proſecutura planctum. Hinc avolante præ mœrore formâ, paſſim ſibimet oneroſa, obteſtabatur omnibus precibus, ne diutius eſca maneret afflictionis, ſed daretur maturè tot acerbitates abſorbere. Tuâ culpâ hæc accidêre, ô Dina; tuam damnato curioſitatem; *Quid neceſſe eſt*, exclamat Div. Bernardus, *ut videas Mulieres alienigenas? quâ neceſſitate? quâ utilitate? an ſolâ curioſitate? & ſi tu otiosè vides, non otiosè videris. Tu curiosè ſpectas, ſed curioſiùs ſpectaris.* Sichimitarum verò curioſitas ſic multata dicitur, ut in ſordidiſſimorum reatuum abyſſum fuerint deturbati. Nam intempeſtâ nocte Urbem ingreſſi filii Jacob, minarum, & vindictæ ſpirantes, omnes illos Cives internecione delêrunt, in cruento mari curioſitate ſubmerſâ. Neque mitior exitus cæteras curioſitates manebit. *de grad. hum.*

16. Itáque, Mulieres curioſæ, feſtinate ad Theatra, ad choreas, ad forum, ad feneſtras, tranſeuntes ſpectatum, & ipſæ ſpectandæ. *Curioſitas* (vobis intonat Divus Fulgentius) *ſemper periculorum germana, detrimenta ſuis amatoribus novit magis parturire, quàm gaudia.* Dum ſub pietatis colore templum aditur, non preces, at nugamenta funduntur, futilia miſcentur colloquia, non jaculatoria ſuſpiria vibrantur in cœlum. Hinc recens conſpiratio in Crucifixum conflatur. Satius utique duco, in ſacrarum ædium angulo latitantem, curioſorum obtutibus ſubduci, ſuperniſque vacare. Tuas, ô Mulier, cogitationes, tumulo duntaxat mancipare maturato. Ibi, inſtar lachrymatæ cortice myrrhæ, tua lumina amaros egerant lachrymarum rivos, dum fœtidas cernis, quas olim ſexus uterque lætis ſynchasmatibus venuſtas celebrabant. Avicennæ conſtans fuit ſenten- *Myth. l. 3.*

tentia, ex Mulierum jacentium in tumulis capillitio, venenoſos oriri ſerpentes. Ad quid tunc hujuſce fit metamorphoſis, cùm jam impræſentiarum tales occurrant? auratos abominor ſerpentes, toxico animas inficientes. Illos oculos meditaminor, modò funeſtatos eclipſi; os, vermium urnam effectum; pectus, omnino lacerum, exſuccumque: Hìc tuam quoque mortem expendito, atque protinus vanitas cum curioſitate in fumum redigetur, ac nihilum.

18. Athenis, penes Plutarchum, Virgines vanitatis aſſeclas, audientes, quidam ad ſepulchra ducebant; conſpectiſque nudis formoſarum puellarum oſſibus, reſipiſcebant; *Athenis ad ſepulchra Virgines fatuæ evadebant prudentes.* Omnes igitur fœminæ ſapientes eminere deberent; quoniam nemo ſupra Mulierem, mortem præ oculis habet, tamque frequenter in lethi margine ſe conſtitutum offendit. Idem affirmat Plutarchus de Lege Ægyptiaca: *Quæ jubet gravidam, ſi morti fuerit damnata, eſſervari, donec pariat.* Mortis verò lex haud illi reſpondet; hæc rigida lex omnes propemodum gravidas letho decernit victimas, ut quælibet cum David repetere queat: *Circumdederunt me dolores mortis.* Aut cum Chaldæo: *Circumdederunt me dolores parturientis.* Tellus, auro gravida, neque floribus, nec herbis ornatur; at undique ſterili cinere ſpargitur: quoniam ex virulentis metallorum halitibus, à Sulphure, Mercurioque proficiſcentibus, ſeminalis virtus detrimentum patitur, comburitur, ut circumfuſus campus infœcunditate ſqualeat. Ah! aſcendentibus fumis, atque vaporibus, qui ob fœtûs formamentum commoventur, identidem gravidæ parentes languent; quorum ora pallore ſuffuſa, ceu Libitina ſuos diſſeminaſſet cineres, apparent. Exſiccantur roſæ, quòd Ver degeneret in hyemem. Irrevocabilis occurrit formæ jactura, utpote inexorabilis lethi præſcripto obnoxia.

19. Mulieribus ſemper lethum accumbit, propiorem, quàm lacertoſus ſexus, mortem nanciſcuntur. Mortem igitur ruminando, non poſſent non evadere in pientiſſimas, fieri nequiret, quin ſanctitudinem ſpirarent. Admirari ne pigeat, quod in Beata Margarita (vulgò di Cortona) gratia fuit operata in quodam funere. Veneris mancipium impuro flagrabat amore, ſuoque cum proco ruri degebat, ut ſuorum reatuum vaſtitati campus pateret ampliſſimus. Aucupaturus procacis, ac impudentis amator procedens, evitatur ab

hoſte,

hoſte, projectus in foveam, frondibus obducitur. Margarita ſui dilecti ſuſpirat præſentiam, impexâ comâ, pallentibus oribus horrida, crebrâ palmarum verberatione, ægrum gemitibus pectus, queîs cœlum impleverat, obtundit; neve quid hauriret ſolatii, mens præſaga mali lancinat afflictam, mitioris ſortis ſpem eliminans. Triduo à perpetratâ cæde fidus amici canis accedit latrando, veſtimentorum limbum dentibus conſtringit, quibus illa involvebatur, renitentemque perducit, ubi jacebat exanime dilecti cadaver. Ad funeſtum amaſii ſpectaculum obſtupuit, horruit, obmutuit; at cœleſtis gratia ad deploratæ cor loquebatur. Illi demonſtravit in illo accidenti, ſuæ ſalutis ſubſtantiam. Tunc cognovit, canem ſe probâſſe fidelem, dum errantem, exorbitantemque in empyrei ſemitam inflexit. Itaque areſcentibus amoris lachrymis, illas pœnitentiæ effundere ordiebatur. In amatoris morte reviviſcere novit, didicit ſanctitatem induere, nec non Margarita probam ſe probavit margaritam, quoniam animam candidiſſimum oſtendit unionem.

20. Stimulus, unde ſollicitamur ad ſanctitatem, ad pietatis amplexus, ſtudium ac cultum, mortis meditatio reperitur. Maſculâ generoſitate corda inflammat, ad renuntiandum perituris, ad adhærendum uni Numini, germani ſyncerique amoris fonti. Dum Sponſus cœleſtis, ac divinus Amator in Canticis, ad Sponſæ fores pulſavit, pronunciavit: *Aperi mihi, Soror mea, amica mea. Amica mea, columba mea.* Cùm columba felle careat, animam meam amaritudine ne repleas. *Columba mea, immaculata mea*, Citra ingratitudinis notam haut mihi reluctaberis aperire; labem aſpergeres tuæ urbanitati, fores non reſerando mihi, qui cor ſuum tibi pervium voluit: *Quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium.* O præfervidas, iterataſque inſtantias, unde cunctabundæ ſupplicat! attamen nil Sponſa movetur; imò, ne cogatur annuere, quò minùs emolliatur, frivolas excuſationes prætexere nullatenus dubitat: *Expoliavi me tunicâ meâ, quomodo induar illâ? lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* expellitur Sponſus, oſtia minimè patent. Paulo poſt, neſcio quo percita fervore, rupto verecundiæ frœno, illum per plateas venatur, diſcurrentis inſtat veſtigiis; interrogat, exclamat, deliranti quàm ſapienti ſimilis, ſparſiſ- *Cap. 5.*

que flavis crinibus, videtur aureo in mari quærere, quem in terrâ invenire non valet. Hac illac, dextrorſum, ſiniſtrorſum debacchando diſcurrit, ac fluctuat, non formidat præſidiariorum inſultus, à quibus ſpoliatur, & immitiùs quàm pro humanâ pietate habetur: *Invenerunt me cuſtodes, qui circumeunt Civitatem, percuſſerunt me, & vulneraverunt me, tulerunt pallium meum.* Illico in fervorem migravit tepor; quæ timebat minas, haud abhorret probroſè depalmari, ſubire fulmina, aſperrima quæque, mortem ipſam. At ſciendum, unguento probatiſſimæ, lectiſſimæque myrrhæ, à Sponſo poſtes oſtii dilecti delibutos fuiſſe. Hæc autem myrrha, plurimum Sponſæ manibus affricuit: *Manus meæ diſtillaverunt myrrham primam, & digiti mei pleni ſunt myrrhâ probatiſſimâ.* Myrrham autem mortis ſymbolum agnoſcimus, teſte Niſſeno: *Myrrha mortis Symbolum.* Ergò *anima per mortem à morte reſurgit. Nam ſi non moriatur, ſemper manet mortua; at moriendo vitam conſequitur, omni mortalitate depoſitâ.*

Can. c. 5.

21. Mulieres, alieno eruditæ exemplo, in foveam cadaveribus ſcatentem, mentem incurvate, reſurrecturæ ad virtutem, poſt reatuum abominationem. Voſque Virgunculæ, ſacris circumſcriptæ Clauſtris, ſi vobis cordi eſt, Divini Sponſi conſpectu beari, lethum recogitatote, ut & vos animam, corpus, libertatem in dotem eidem fuiſſe largitas. Veſtræ occurrat memoriæ oraculum Chriſti, *non eſt mortua puella, ſed dormit.* Repetit Chryſoſtomus in Catena: *Etenim, eo accedente, jam mors ſomnus erat.* Reſpondete vivendi tenori, quem inſtituiſtis, ac profitemini, ut mereatis appropinquanti Sponſo obviare. Quo proximo veſtrum lethum, verè lætum, velut dulciſſimus ſomnus continget. Hæc omnia parturiet mortis cogitatio, vitæ tempore. Sepulturam meditando ſuperſedentibus id objiciam, quod Noëmi ſuis nuribus: *Priùs eritis vetulæ, quàm nubatis.* Priùs inveniemini vetulæ, quàm Chriſto deſponſatæ.

SUPERBI

SUPERBI
AD
FONTEM.

CAPUT XIII.

1. EXecrata ſuperbia ! tu primi reatûs perfida parens ; tu Angelorum præcipitium ; tu mortalium excidium ; tu cœli revolutio ; tu terræ pernicies, cordiumque irrequietum turbamentum. Per te conditorum nobiliſſimum, longeque præſtantiſſimum, in Tartara prolapſum eſt; infernum itaque pete, cum eodem tumulanda. Suſque deque Mundum vertere deſine, ut & vela contrahe humani cordis, ne naufragium ſubeat. Illa, ſuffragatore Divo Auguſtino, præter immodicum perverſæ ſublimitatis appetitum, nil ſapit. Effrœnem propriæ nobilitatis amorem Sanctus Iſidorus *l.* 14. *de* ſuggillat. Penes Angelicum Doctorem, quanta quanta ſtudet mor- *Civ.* talium obſequia Numini ſubtrahendo ; dumque animus extollitur *l. Ety.* ſupra præfixam ſibi Sphæram, ſuperbia manum extendit, pedemque alienis Regionibus inferre maturat.

2. Inficias neutiquam ibo, ad Adam, Evamque Creatorem eructâſſe : *Dominamini piſcibus maris.* Fateor, concreditum imperium in furibundi elementi undas, ventorumque tyrannidem, queîs funditus turbari conſuevit : ut Tullius appoſitè pronunciârit : *Quaſque* 2. *de res violentiſſimas natura genuit, earum moderationem nos ſoli habemus,* *natur. Deor.* *maris, atque ventorum, propter nauticarum rerum ſcientiam.* Hinc ingens ſui exiſtimatio, ampullandi mortalibus campum aperit, ſuperbiæ regnum admodum faſtûs affricat, quòd violentiſſimis indulgentiâ amicæ fortunæ moderentur. At cùm poſt primum lapſum, omnia creata in libertatem ſeſe aſſeruerint, quid eructabitis aſpiciendo Arabum Muzam, Africæ Hiſpaniarumque Domitorem ; qui, extremum alittus attingens, ubi turritus Atlas frontem Syderi-

 bus

bus ingerere nititur, cùm tellus ſubjuganda deeſſet, equo in æquor irrumpens, Oceanum, terrenorum fluminum fœcundum genitorem, ſuperbus calcaturus? Quid, inquam, effari licebit, contemplando Xerxem, quando Helleſponti fluctus, quorum tumultibus pons ſibi conſtructus diſſolutus fuerat, arroganter flagellari præcepit, in audaciæ multam? *Quid ſuperbis terra, & cinis?* Unde tanta ſuperbia? unde tantum imperium ſupra cæteras Creaturas Altiſſimi? tu vermis, tu lutum ſuperbam cervicem excutis, pugnaſque faſtuoſus in cœlum?

3. Homo, qui fuit creatus *paulò minùs ab Angelis*, dum proprias prærogativas expendit, atque decora, haut ſe contemplatur ex integro in noſtro Morali Fonte; ſed carnis illecebris ineſcatus, ceu ſuperbus pavo, ſuarum cogitationum plumas expandit, mediaque in rotâ talis cogitationis fatuè ampullatur. At ego ſemel pavum faſtuoſum per campos ſpatiantem offendi; tot venuſtatis apparatibus onerabatur, ut caudam humi raptare compelleretur. Imò ſpectavi formantem illum collectâ caudâ, velut Stellarum faſce in ſolo lucidas ſcopas, indeque in gyrum inflectens, fortunæ rotam æmulari mentiebatur: niſi quòd, ubi fortuna viduatur luminibus, pavonis in oculatâ caudâ Argum vigilare crediſſes. Tunc pronunciare neutiquam dubitavi; pennatam redolet Iridem, aëris florem, animatum hortum, vivens pratum; auditque meritò Ver volitans, quandoquidem uno volatu hujus ſæculi momenta prætereant, ac effluant. Tunc eructavi: ô ſuperbiſſima volucrum, in qua ſuos natura theſauros evacuavit, mihi cœlum tuas in plumas devolâſſe videtur, cæterùm in cœlum volantibus plumis. At vix oculos ad ſuorum pedum vilitatem demiſit, cùm immemor ſe cœlum eſſe, inferni ſtridores emiſerit; & cùm harmoniam edere debuiſſet, utpote in pennis ſtellantibus ſyderum Sphæras imitans, diſſonos clamores eructavit, & obſtrepuit. Quid igitur Mortales ingenitæ nobilitatis præda, ſemet ex integro metiri detrectant! Suarum plumarum venuſtatem expendunt, non pedem. Animam, purum ſpiritum contemplantur, non corpus uſquequaque terreum. Alas expandunt ſuperbiæ ſublimè ferendi, neque recogitant, præſentem vitam à volatu vix abludere. Hinc Iſaias: *Faciam contra* Cap. 24. *te aggerem, & humiliaberis.* Legit Hebræus: *Faciam contra te pulverem.*

verem. Rurſus Job: *Ago pœnitentiam in favilla, & cinere.* Divus l. 35.
Gregorius repetit: *Ac ſi apertè dicat, de nullo Authoris mei dono ſu-* c. 5.
perbio, quia ſumptus ex pulvere, per illatæ mortis ſententiam, ad pulverem me redigere cognoſco. Nemo ſuperbit, quem lethi cogitatio poſſidet.

4. Nabuchodonoſorem ad demiſſiſſimæ humilitatis fundum lethi cogitatio devolvit; qui eſſe ſe æqualem Numini ratus, execrabiles mortalium adorationes ſibi arrogare non verebatur. Divina intonuit ſententia; *Fœnum, quaſi bos, comedes.* Viror enim fœni, ſymbolum brevitatis vitæ, tantam creavit metamorphoſin: *Omnis caro fœnum.* Siccum autem mortis eſt typus. Regis Tyrii faſtum fregit lethi memoria; qui, dum nondum ſupercilium exuerat, quàm Babylonica fornax, fumum caput evomens geſtabat. Superbiæ fumo illius vaporabat caput, ubiubi reperiebatur, donec impleretur Ezechielis Oraculum: *Producam ignem de medio tui, & dabo te in cinerem.* Everſis ſuperbiæ poculis, ſemet cicuravit.

5. Aquila, geſtandis Jovis aſſueta fulminibus, pectori generoſum cor geſtat inſertum, nec Martia bella formidans, generosè, cordateque obvias quaſque volucres aggreditur, atque ſubjugat. At cum cervo contendens, enormia cornua abhorret. Ergo almæ naturæ docta, pulverem collectum in oculos cervi excutit, teſte Plinio: *Multum pulverem volatu collectum, inſidens cornibus, excutit in oculos, pennis ora verberans, donec præcipitet in rupes.* Ergo recordatio inſiti pulveris atterit ſuperbiæ cornua. Rex Ninive Imperiorum contemptor, qui & Leges conculcabat, præter ſemetipſum, alium Deum haut agnoſcebat; at cùm *ſedit in cinere*, faſtum exuere didicit, perpendens ſe obruendum tumuli pulvere.

6. Nullus ambigo, omnes calamitates ex uno fonte, ex unâ fluere fraude. Superbi Narciſſi, in propriæ conditionis Fonte ſeſe explorantes, homines ſe deprehendunt; cumque cæteri ejuſdem occurrant ſpeciei, cedere reluctantur. Hinc inflantur ſuperbiâ, ſupra cæteros eminere ſe jactant. Hìc ego perperam haud faciam, exemplum adducens in medium. Dic, ſodes, ſuperbe; numquid quædam aves ejuſdem inter ſe ſpeciei ſunt? attamen obſerves oportet, grues, cornices, Aquilas noſtrates præ ſe ferre colorem atrum, aut cineraceum, leucophæumque, ſive quid albicantis. Attamen Cu-

bæ grues accenſo minio flammeſcunt; Miſmiæ cornicibus cœruleus eſt color; Braſilis picæ, quò longiùs à nobis recedunt, eò venuſtioribus plumis veſtiuntur; Aquilæ Americæ variis decorantur coloribus. Omnes ergo ſumus homines, ut Aquilæ ſunt omnes Aquilæ. Ejuſdem ſpeciei ſunt omnes. At quidam occurret nativâ ſplendidus purpurâ; alius charitatis fulgebit rubedine; tertium commendabit contemplationis color cœruleus; hunc natalis ſplendores illuſtrabunt; illi ob ſcientiarum varietatem acclamabimus, ac denique quidam ornatus probitate noſcetur, & ſuſpicietur, neque, quemadmodum tu, faſtu turgebit. Conſequens eſt, ex humanitate duntaxat te æqualem haud effici; ob inæqualitatem animi verò, cedere, humilitatem colere doceris. Quod niſi tibi perſuadeat, recordare, quondam in ſepulchro ejuſdem nos futuros ſpeciei, unius ſortis; cùm nobiles ignobilibus, Primates plebeis miſcebuntur. Hinc intellige, plurimas in mortalium ætate tranſennas inveniri, à veteratore dæmone adornatas, nullo quas eludas negotio, lethi neceſſitatem ruminando.

7. Suppoſito itaque, unum alteri anteſtare fortunæ ſuffragiis, ac amplitudine, vel naturæ beneficæ donis, ulteriùs veſtigium moliri maturo. Proinde Alexander Macedo partarum victoriarum, nec non ſubactorum Regnorum vaſtitate tumidus, Magni titulum ſibi arrogavit. Tantam ſtomachatus ſuperbiam quidam Philoſophus, hoc illi objecit: *In puſillo nemo magnus.* Etiamſi toti domineris Orbi, ſubdideris quicquid terræ continetur ambitu, ſuperbiendum tibi non eſt, nec Magni titulus affectandus, quoniam *in puſillo nemo magnus.* Utut polleas quæſtu, opibus affluas, coroneris deliciis, mari proſperitatum innates, tantillum tribuerit amicæ fortunæ benevolentia, naturæ liberalis largitas; quod propemodum oculorum aciem effugiat. Hinc recenſendis odoriferi decoribus ambari, meum calamum ultro imparem ſe fatetur. Quocunque ſuam diſſeminat fragrantiam; A linguâ encomiorum vectigal lætatur colligere, odoratus applauſus ſuppeditat. Cubilia ſuavitate replere ſolitum, Principes cum Imperatoribus amat, Coronatis deſtinatur temporibus. Deliciarum abſolutiſſimam quis non commendet? hujus ſuaviſſimi odoraminis originem, quidam à ponto derivant, immanis ceti reliquias autumantes; aliimarinæ belluæ excre-

excrementum affirmant; alii Oceani dicunt ſpumam, cœleſtibus condenſatam illapſibus; alii ſtatuunt, bituminis inſtar quibuſdam concavis ſubter mare emanare; quæ opinio ſolidioribus nititur fundamentis. At Avicenna Serapioni aſſociatus veriùs judicat, nimirum ambarum variis in oris, quàm ubi piſcari conſueſcimus, generari, gignique in ſcopulo, ceu fungus in arbore; quod deinde maris æſtu, unà cum ſaxo, areniſque, quibus adhæret, aliò delatum, tandem ſalo ejiciatur. Hinc, ſtante Euro animoſo, ad Moſambicæ, Comarique jactatur Inſulas; ſpirante verò Favonio, in quinque Maldivæ Inſulis colligitur. Ecce Moralitatem! O ambari decora! ô pergrati odores! ô cœleſtes halitus! cur autem ſuperbis? conſidera, piſcis excrementum, aſperi ſcopuli fœtidum eſſe fœtum. Sit licet, faſtuoſe Narciſſe, tua ſors ſupra cunctos Adæ filios. Locuples, potens, formoſus, ſapiens, lacertoſus colaris: attamen ſciendum, te pulverem occurrere, ornamenta tua in cœnum reſolven- *Pſal.* 93. da venire. *Quid ſuperbis terra & cinis?* audi Prophetam admonentem: *Non apponat ultra magnificare ſe homo ſuper terram.* Legit Hebræus: *Non apponat ultra magnificare ſe homo de terrâ.*

8. Homo per hunc Mundum ſpatiatur, ut ritè navis inſtructa fluctus ſulcare videtur. Tumentibus gravida corbaſis volat. At in ipſo itineris fervore, conſpirantibus iratis Neptuno, Æoloque, undarum montes conſurgunt, haut ſecus atque Phledræ gigantibus extitit familiare, in concavi ligni detrimentum. Inde ceu Proteus, vel Achelous, pontus varias mutatur in formas. Nunc voragines aperit, profundamque in vallem ſeu dehiſcit, ſeu demittitur; nunc in colles erigitur; nunc ingentes ad littora fluctus revolvit; nunc navim ad abyſſos deprimit; nunc ad ſydera tollit; Horridiſque ſtridoribus æquor infremit, ac lugere videtur, cùm Crocodili ſint gemitus, quoniam plangendi deſævit. Tandem tot navis afflicta aſſultibus, appetit portum, appellere nititur, ut ſexcentis jactatæ procellis reſpirare detur. At quòd alibi terræ inveniendæ ſit impar, illam naufragio in æquoris imo deprehendit.

9. Hoc naufragium ſuperbus meditari ne gravetur. Superbiæ ventus jam illi vela propenſiùs inflat: at elementa, mutuò in compoſito pugnantia, tempeſtatem cient, unde inauſpicatò in lethi Ponto ſubmergatur, & pereat. Non neſcio, Navarchum navigio invigi-

vigilantem, præcavendo naufragio omnes admoviſſe machinas. At malùm! malum dirigens, malum haut avertit; modò puppi, modò proræ moderans, fortunæ novercantis aſſultibus haut imperavit, ſed naufragium ſubire coactus eſt. At toto cœlo tempeſtas, naufragiumque ſuperbi, à memorato diſtat. Obſtrepentibus affectuum turbinibus, in ſuperciliosi pectore, ſuperbus nauclerus ſui ſalvandi ſatagit? hic concavum optet portum: & ecce ſepulturam. Scopulo avet declinare? in tumuli pyxide funeſtum aſpiciat lapidem. Fluctuum impetum frangendo accingitur? lethum meditetur, mortis cogitatione malaciam afferente, ſuperbiæ procellas tranquillante: *Cor impii mare fervens.* Inde ad humilitatis alcedonia deducto, pergratum, acceptumque continget naufragium, quòd humilibus, ac probis lethum ſit ſemper lætum, morſque dulcis.

10. Sed ad hujus doctrinæ moralis præſcriptum, non omnes ſe conformant. Homo bovem æmulatus, acuto indiget ſtimulo ad gradiendum. Oblectamenta nil proſunt, illecebræ caſſæ reperiuntur, objurgationes valent, ac perſuadent. Ergo dulcedini ſubroganda amaritudo. Cùm bovis mentionem ingeſſerim, meæ occurrit memoriæ Anglici Cardinalis oraculum, in Pſal. 37. *Dicit Philoſophus ſeptimo de animalibus, quòd boves, qui ſunt in armentis, quandoque habent podagram. Si verò ungantur eorum cornua, ſanabuntur.* Infelix beſtia, dum podagrâ laborat; quæ ſe declaratura malorum extremum, extremam corporis partem occupare conſuevit. Nunc ad ſuperbum tranſitus inſtituatur, cum quo nunquam inducias paciſcar; at in eum non ambagioſus, meum identidem ſtomachum declarabo. Podagricus, nec non pedibus læſus offenditur, ut in ſalutis ſemitâ nequeat incedere: his tamen non obſtantibus, opportunam medelam Altiſſimus eidem indulſit, quoties ſuperbiæ cornua, mortis recordatione, ungere non detrectabit: *Cornua noſtra ſunt aſpectus, & affectus ſituata in capite, id eſt, in mente. Iſta ergò ungenda ſunt ad curandam podagram.* Cap. 32.

11. Job, genuinus Vir, *Vir in terra Hus*, eruditus pleniſſimè in Sancti Spiritûs ſchola, dicit: *Non accipiam perſonam viri, & DEUM homini non æquabo. Neſcio enim, quamdiu ſubſiſtam, & ſi poſt modicum tollat me factor meus.* Subnectit Divus Gregorius: *Recta conſide-*

conſideratio, quòd DEUM homini idcirco non æquat, quia quamdiu hic ſubſiſtat, quando ad DEI Judicium tollatur, ignorat. Deſine ſuperbire, ad polyonymiam aſpirare, brevi futurus cinis, ac umbra!

13. Superbiſſimum Aman evexit ad patibuli ſublimitatem, faſtus ampullans; quem ex humili conditione ad ſupremum dignitatis apicem Aſſuerus elevavit. Purpurâ, auroque ornatum, ut Iridem Regiâ magnificentiâ circumdatum, ut primi Numinis idolum nemo non veneratur, omnes ſuſpiciunt. Fortunæ primogenitus, fortunæ rotam ſe fixiſſe præſumebat. At mortis immemor, infeliciſſimè fato conceſſit, duce ſuperbiâ ad probra properans. Iu hujuſce farinæ viros David ſic eructavit, & indignationis evomit virus; *Non eſt reſpectus morti eorum.* Divus Hieronymus: *Non cogitant de morte ſuâ, ideò tenuit eos ſuperbia.*

14. Superbia Luciferum de cœlorum ſublimibus deturbavit, ac *Pſ. 72.* tertiam Angelicorum ſyderum partem exulare compulit. Semet aſpexit, at perperam. In obſcuto ſuum intuebatur eſſe, cùm lucem undique præ ſe ferebat. Nil profuit igneum fuiſſe Seraphim, quoniam amando, nullatenus propriam ſuſtollens Sphæram, ad Sphæram Altiſſimi, deorſum invertit. Suis ingentibus alis haut evehebatur ut Aquila, ad intuendum Juſtitiæ Solem; imò ceu plumbo, non pluma contexta, in ſui nihili præcipitavit abyſſum; ubi ſacrilegus Narciſſus ſuimet amore captus, arma ſuperbiæ in ſuum Creatorem convertit, convertendoque diliquit. Hìc expectorat Magnus Gregorius: *Jus perverſæ libertatis appetiit, ut præeſſet cæteris, & ſub nullo eſſet.* *l. 10. Mor. c. 1.* Cumque, ut cætera creata, à DEO conditus eſſet, *voluit videri ſuper omnia elatus.* Proprio elatus faſtu, impius prorupit: *Ponam ſedem meam in Aquilone, & ero ſimilis Altiſſimo.* Ut Seraphim incendium ſpirans, & ignem, in Aquilone ſedem lòcare meditatur, quò flamma vento agitaretur, agitata tam ſublimè exſurgat, ut dicere valeat: *Ero ſimilis Altiſſimo.* O fatuitas cubitalis! veritati tamen reſpondet, quòd *omnis peccans ignorat.* Lux ignis extincta eſt; inoffenſa apud Altiſſimum, rebellis, perduellis, læſi Numinis reus cecidiſti, effatur Sanctus Auguſtinus: *in Pſal. 101.* *Qui voluit à ſe habere id ipſum, & quaſi ipſe eſſet id ipſum, lapſus eſt.* Et in imo, in lachrymabili fundo, ubi confractus jaces, reaſſumit Divus Bernardus, qui cimmeriis obſitum radiantiſſimæ tuæ venuſtatis jubar excœcabatur?

Non jam Lucifer es, ſed tenebrifer, & veſperus.

15. Modò hic Lucifer, qui ſe Numini non verebatur æquare, qui parilitatem affectare cum Deo non erubeſcebat; hic Lucifer, qui ſublimatus atra nubes, gravida faſtu, ad aquilonem, à latere juſtitiæ Solis parelium præfulgidum formare maturabat, cur deinde demiſſiſſimâ humilitate ad Chriſti pedes proſtratus, venerabundus adorat, cui ſimilem ſe futurum jactabat? *Vidit JEſum à longè cucurrit, & adoravit eum.* Qui dæmon in montis cacumine, à Chriſto adorari ſatagebat, modò velut flos Narciſſus ad divinitatis auram inclinatur, humilisque excelſis illius pedibus provolvitur: *Quid eſt diabole* (ratiocinatur Chryſologus) *quem promiſſione regni, ut te adoraret, ſubdolè ambiebas, nunc tremens prolaberis, & adoras?* Fortè flammas inter, quas nitebaris evehere, tuarum alarum plumæ conflagrârunt, ac infelix Icarus altitudinem graviore lapſu emenſus es? Ah! Audite Lucam Evangeliſtam, de hoc infernali dicentem Spiritu: *Semper die, ac nocte in monumentis erat.* Hoc idem affirmat Chryſologus: *Ecce, qui honores omnes regni promittebat, reperitur habitare in tumulis, fœtidis corruptione cadaverum.* Illa ſatanica ſuperbia, inflexibilis ille faſtus, in ſepulchro incurvatus, humiliare ſe novit, *ſemper die, ac nocte in monumentis erat.* Non valet homo, ut ut Nabuchodonoſorem æmulatus, terræ Deos impugnando, deſtruendoque, ſibi duntaxat Dei titulum fabricare nitatur; eſto alter Rabſaces, Holofernes, Og Rex, aut perfidus Antiochus, qui *intravit in ſanctificationem cum ſuperbia, & accepit altare aureum & univerſa vaſa, & comminuit omnia:* Non valet homo, tametſi ipſiſſimi Luciferi ſuperbiam ſpiret, non deprimere ſuperbas cogitationes, ſi ſpectet tumulum cadaverum corruptione fœtidum.

16. Julianus Apoſtata, qui Chriſtum impugnare, expugnareque eſt auſus, aſt irrito conatu, velut abaſileutus, cùm animadvertit deploratam ſuæ vitæ mortem, cùm offendit commilitonum ſuorum vexilla, vertenda in linteamina, queîs ſuum fœtidum cadaver involveretur: Humiliavit ſe, honore mortis indignum ſe judicavit, imperans Sacerdotibus, exanime corpus profluenti injicerent.
Cap. 9. De Antiocho ſuperius prætacto, in ſecundo Machabæorum legitur: *Sibi videbatur etiam fluctibus maris imperare ſupra humanum modum ſuperbiâ repletus.* Nunc thalamo defixus elanguet; nunc funeſta mortis ex-

explicantur inſignia ; nunc graviſſimus morbus tumulum prænunciat: *Hinc igitur cœpit ex gravi ſuperbia deductus, ad ſui agnitionem venire divina admonitus plaga, & ita ait: Juſtum eſt, ſubjectum eſſe DEO, & mortalem non paria DEO ſentire.* Alexander Magnus armis, armatiſque coronatus, ad inveniendum Paradiſum terreſtrem properat, ceu hortis, uni DEO ſervatis, dominari præſumeret quà fatuus, quà temerarius. Dein ſuperatâ montium inacceſſorum iniquitate ultra Nilum, venerandum Senem obvium habuit. Hic Juvenem gravi ſupercilio intuitus, imperioſâ manu mandavit, ne progrederetur. Alexandrum loqui incipientem canus interpellavit, lapidem porrigens hiſce verbis: *A lapide iſto diſces, quid de te ipſo ſentire debeas.* Erat pretioſus lapis, ac ingentis ponderis: at cineribus obſitus, paleâ levior reperiebatur. Hujus ſignificatum expertus eſt Macedo. Erat ille lapis, qui terræ Reges ſuæ potentiæ pondere opprimebat, ut inſoleſcens ipſiſſimo Numini bellum inferre moliretur, quatenus armis paradiſum, tametſi terreſtrem, debellare tentabat, attamen extinctus, ac tumulo cinere conſperſus, ut gregarius vaſtiſſimi ſui exercitûs miles, ut pannoſus quiſque de mortalium fœce, levis occurrebat. Ergo Alexander, depoſito ſupercilio, præpeti greſſu reverti maturat. Hinc decernendum, lethi memoriam, extorrem habere ſuperbiam à Mortalium cordibus ; Abaptiſtos erudiri (videlicet potentes deliciarum mari innatantes) mergi poſſe, nimirum occumbere. Eregione mors ſecura eſt. Et quamvis belluarum quædam ad tempus, virulentas crudelis ſagittas eludendo, par habeatur; homo tamen certo certius evaneſcet celerter ex hoc Mundo. Prope Ægyptum in monte Fatigar, feræ aliquamdiu vivunt, mortalibus poſt triduum exſpirantibus. *Palud.*

17. Sed nullus Mortalium ſuperbo morti proximior occurrit, nemo celeriùs, faciliuſque in cinerem redigitur. Quadam ſimilitudine, hujus veritatis certitudinem denudabo. Unquamne inter flammarum incendia, ſublimem aſpexiſtis domum conflagrare. In humillimo cubilium excitatur incendium, quod præ opportuna eſca, latiùs erumpit, ac ſerpit. Prius ſtridoribus cœlum implentibus, auri, quàm oculo per favillas innoteſcit. Habitatores conſternati, timoreque perculſi, ad contermini ſpectaculum ignis, aut effunduntur in fugam, aut lugent, aut ululant, certè ſinguli ſalvari laborant.

Interim fumanti ſtrato nubes erumpit impura, atræ copulata caligini, cujus ex fuſco ſinu tetricus fulgurat ſplendor. Strident trabes, tabulata ſemiuſta decidunt unà cum lateribus. Flamma in cœlum aſcendit adeò ſublimis, ut, quod palatium, ac nepotina moles, turrita, ſuperbaque tollebatur ſuper aëris eminentiam, modò deſerviat loco humilis baſis, flammæ pyramidatæ. Hinc corruentibus muris, ſupellectilia, ſpes, vitaque inquilinorum avolant, omniaque involvit excidium.

18. In apophthegmatibus inquit Trinerus: *Quemadmodum ignis omnia extenuat, & annihilat; ita ſuperbus nullius alterius ſocietatem tolerat.* Mihi verò nunc ſufficit, ſuperbiam ignem eſſe animæ palatio adhærentem. Dum ſublimis illa domus comburitur, ac ſublimè tollitur, pabulum in cinerem reſolvitur, ſplendor extinguitur. Superbit faſtuoſus Narciſſus ad ſuæ conditionis ſplendores, ad proſapiæ decora, ad prærogativas, aurum, gemmas, argentum: attamen unà cum corpore omnia ſuperbiæ conſumit ignis, animâ obſcurâ manente. Execrabilis ſuperbia, cùm animæ infenſa, corpori pariter obſis! cùm David de Hebræorum Republica ſermocinaretur, efflavit: *Vineam de Ægypto tranſtuliſti*: Indeque ſubnectit: *Singularis ferus depaſtus eſt eam.* Alii vertunt ex Hebræo: *Fumus campi demolitus eſt eam.* Fumus, ſuperbia, tam amabilem, tam admirabilem deſtruxit nationem, populum longè glorioſiſſimum demolitus dicitur. Quippe ſuâ ſorte nullatenus contentus, ad ſummum Sacerdotium aſpirabat, ſufflante ſuperbiâ; ſacra templi vaſa deprædatus eſt Rex Aſſyriæ, *Fumus campi demolitus eſt eam* nationem inclytiſſimam. Cur ergo, lutum animatum, tuæ inhias perniciei, propriam anhelas ruinam? audi Auguſtinum dicentem: *Cætera vitia in malefactis valent, ſola ſuperbia in rectè factis eſt cavenda.* Quis ergo his documentis non erudietur ad ſuperbiæ fugam? Superbos pudeat Narciſſos, dum, tradente Tullio, Socratis Diſcipuli ſic ex Magiſtri pendebant oraculis, ut, rogati reddere rationem cujuſdam propoſitionis, nil reſponderint, quàm ipſe dixit: *Tantum opinio præjudicare poterat, ut etiam ſine ratione valeret auctoritas.* Hìc autem, numquid Doctorum Aquilam Magiſtrum habetis? Nonne Auguſtinus eſt, qui inter Literatos ſupremum penè ſubſellium occupat, qui unam ex præcipuis empyrei ſedibus implet. Eja igitur! ſuperbiæ vela con-

Pſ. 70. *de nat. grat.* *lib. de natur. Deor.*

la contrahantur, faſtum dediſcite. Sin alium expectatis Magiſtrum, en mortem vobis ſufflantem: *Quid ſuperbis terra, & cinis.*

19. Superbi ſtruthionem æmulantur. Struthio ſuperbiæ calore ipſas comburit plumas, totóque corpore nudatus, ſuperbiſſimis pennis caudam duntaxat veſtit; velut Civitatum ſupercilioſi Magnates, quos rhedæ non paucæ, parque famulorum apparatus comitantur. Ille ferrum devorans, concoquit, utut ſuperbus vel leviuſculam offenſam nequeat abſorbere. Ejus caput eſt parvum, eſto corpus magnum occurrat; hocque quoniam exiguo cerebro præditum ſcimus: Hinc Job: *DEUS privavit eum ſapientiâ, nec dedit illi intelligentiam.* cap. 39. Hicque locus eſt communi Proverbio, ignorantiæ ſuperbiam inniti, ceu fundamento. Rurſus de illo Job pronuntiat: *Obliviſcitur, quòd pes conculcet ea, aut beſtia agri conterat. Duratur ad filios ſuos, quaſi non ſint ſui*; de ſtruthionis ediſſerens ovis. Ut autem recordetur, quo loco ea depoſuerit, converſus ad cœlum, ubi pleiades ſcintillare cognoſcit. Quoniam autem hæc aſtra, rotantis Sphæræ motum ſequuntur, gyrando ſe removent, locum invenire non valet, ac pro ovis nudas offendit arenas. Ah! ſuperbe Narciſſe, qui animam tuam dæmonis inſultibus exponis, ac in temet deſævire non dubitas, nec æternæ ſaluti invigilas; Plejades intueris, tua dona expendis, tuorum decorum radios putidiuſculus explorator contemplaris; teque hujus ſæculi vanitati, omnem excludenti firmitudinem, ultro credis. Quære te ipſum, te ipſum quære. Præter modicum terræ, deprehendes nihil. Sydera cucurrêre, tui revoluti ſunt anni, vita evolavit. Nunc puſillus es pulvis anguſta in fovea. Igitur, *quid ſuperbis terra, & cinis?*

20. Superbi erunt, ſunt, fuerunt turgidæ bullæ, vanitati maximè obnoxiæ. Dicit Iſaias: *Ægyptus fruſtra, & vanè auxiliabitur, ſuperbia tantùm eſt, quieſce.* Legit Hebræus: *Bulla tantùm eſt, quieſce.* O Munde, munde, quàm egregiè mortalibus imponis! O fallax, pellaxque vanitas, quì tuos decipis aſſeclas, amatoribus illudis! ubi nunc ſuperborum agmina, velut proceræ Cupreſſus, exaltatorum, ac eveſtigio mortis eradicatorum tempeſtate? Egredimini Tartarorum ergaſtulo, omnium infeliciſſimi. Venite ad confirmandam veſtram æternam calamitatem. Hùc Cyrus, qui, Aſtyage Medorum Rege è medio ſublato, Perſiæ ſuperbum imperium invexiſti. Huc Cæſar,

cujus nomen Imperatores induunt, Majeſtati dignitatis ſplendorem, decuſque conciliaturi. Huc Attila, Selimus, Solimannus, qui ad univerſi Monarchiam aſpirabatis, quòd neminem vobis parem agnoſcebatis ſub Luna, ſub Titaneis Stellis. Dicite mihi, quò vos perduxit effrænis ſuperbia? Quid vobis profuit, exponite? *Quid profuit nobis ſuperbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis*? nil vobis conduxit. Væ vobis deploratis, tormentis ſæviſſimè cruciatis! Cur autem? numquid in Mundo eminebatis omnium præcipui? vobis nec purpuræ, nec Sceptra, nec diademata deerant. Vos ſuſpiciebat, venerabatur, colebat mortalium quilibet, vos certatim colebant, ſuſpiciebant, cervicem inflectebant omnis ætas, ac uterque ſexus. Cur nunc conqueri non ceſſatis! ah! *tranſierunt omnia; illa tanquam umbra, & tanquam nuncius percurrens, & tanquam navis, quæ pertranſit fluctuantem aquam.* Cùm Scena mutata eſt, *quid profuit nobis ſuperbia; divitiarum jactantia quid contulit nobis*? cùm modò nobis infernus ſuperſit. Ergo probè docuit Gentilis ille, quem Periandrum vocant: *Nolite extolli ob famam.* Cleobulus ritè demonſtravit: *Superbiæ nullus evitat pœnam. Quando fortunatus es maximè, ne ſuperbias.* Euripides in Glauco: *Splendidis gloriantem opibus, ac genere, illius celerem divinitus exſpecta brevi vindictam.* Demoſthenes: *Mortales cùm ſitis, nec ſupra Deos vos erexeritis.* Rurſus: *Quid ſuperbis terra & cinis?* tuo cordi oraculum Divi Auguſtini inſculpas: *Magna eſt miſeria ſuperbus homo, ſed major miſericordia humilis DEUS.* *de Catech. rudib.*

A V A R I
A D
F O N T E M.

CAPUT XIV.

1. PRetioſiora haut frequenter obtutibus patent, unioque laudis avarus, ac decoris tenax, duriſſimâ latitat conchâ, à ſcopulo nec

nec apicem abludente. Pyropus provenit in ſorti Balaſſo; aurum in imis terræ viſceribus ſepelitur: Forſitanque gemmarum naturam æmulaturum Alcibiadem, in conſtructis Silenis ſuos inæſtimabiles theſauros condidiſſe cognoſcimus. Satius pronuntiaverim, gemmas naturâ recondi, quòd & ipſæ moriantur, ac pereant, temporiſque ſpolia factæ, ac vanitatis, in pulverem redigendæ, ſepulturâ indigeant. Aurum omnium probatiſſimum, Salomonis ætate, extrahebatur pretioſiſſimis Ophir mineris, & aurifodinis. *Ophir* autem, penes Divi Paſchaſii interpretationem, idem ſonat atque *riſus*: ut intelligere daretur, obryzum temporis eſſe ludibrium, jocum, riſum, umbram, inſomnium. Ad hanc verò lucidam technam Mortalium currit aviditas, hoc appetit, anhelat, uni huic inhiat: Hinc capitis pericula ſubire non dubitat, horrido inſidarum procellarum rictui ſe credere geſtit, cœcâ expectatione pendens, num votis potitura ſit, num moliminibus arridebit fortuna, niſibus dexter ſucceſſus aſpirabit. Nondum fremebundi Euxini incognitæ viæ patebant mortalibus, quando Jaſon, argonautis aſſociatus, aureum vellus reportaturus, in Colchidem ſolvit. Fortaſſe lethum, cui ſeſe objiciebat, haud expendebat, neque ventos recogitabat, queîs vita extingueretur: Siquidem mortis cogitatio properantem ſufflaminâſſet, & appellere maturanti frœnum injeciſſet. Forſitan meditari neglexerat, per mortis ſuffragia longè ampliſſimas opes à nobis impetrari: quippe cùm Phrygius aries ſcintillantibus cœli pyropis inſertus dicatur, lethum ſuper Sphærarum ſublimitatem nos locando, vult ſub pedibus prætactam habeamus pellem, Stellaſque honoremus, dum calcamus.

l. 5. lamen. in Bethl.

2. Ad obtinendum Paradiſum Chriſtianus cogitationes dirigat, allaboret, deſudet. Os ipſiſſimæ veritatis audiatur: *Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, ubi ærugo, & tinea demolitur, & ubi fures effodiunt, & furantur. Theſaurizate autem vobis theſauros in cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt, nec furantur.* Quoniam autem cœcitatis cimmeriis involvimur, bracteata ſæculi bona, germana credimus, illa cœli aut mentita, aut falſa, porrò larvata, perſonata, fucataque paſſim opinantes; priùs evincendæ Mortalium cœcitati, vanitatique divitiarum accingar; ut deinde cogitatæ mortis beneficium clariùs eluceſcat,

unde

unde nobis aperiuntur oculi, nobis id perſpectum eſt in vita, quod talpa ſub mortem agnoſcit. Cœca talpa ſub terra degit vitam; hinc terram magni facit, cumque terrâ paſcatur, ne terra ſibi deſit, jejunare minimè gravatur: at tandem apertis palpebris, pupilliſque illuminatis animadvertit id, cujus ſibi erat pretium, vilem eſſe terram, immundum occurrere cœnum.

3. Nemo non agnoſcet humanam cœcitatem, niſi cogitatione reluctetur percurrere Geneſeos, deinde Canticorum paginas. Iſaac
cap. 27. ergo his verbis, *Odor filii mei ſicut odor agri pleni*, declarat ſæculi felicitatem, aut incolatum, campum floribus ſcatentem, ac veſtitum:
cap. 23. Ubi Sponſus affirmat aridum, ac inhoſpitum deſertum: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum*? Quid autem hæ ſibi volunt ſimilitudines? Quid horrori ſolitudinis cum floridi campi amœnâ jucunditate? Quod commercium gaudii, atque mœroris? campum odori Veris reveremur regiam; cujus in ſinu, duntaxat Aprilis veſtigia ridentis offenduntur. Deſertum horroris habitaculum, odio habetur, ubi habeant monſtra, præſtigiatorum ſpectentur molimina. Campus cœli æmulus, Stellis floridi, ſtellatum floribus ſinum oſtentat. Deſertum gremium aridis conſperſum pumicibus, arenoſorum littorum infœcunditatem imitaturum, denudat. Campus ſpirantibus Zephyris fluctuans, ſuaviter navigantia ſolatia, per pupillas inſinuat cordi. Deſertum ſuis in ſabulis fluctuando, queîs iraſcitur turbo, Spectatorum animos in pavoris mari ſubmergit. Campus argenteis dives in aquis, ſuarum veſtium purpuram in roſis oſtendit. Deſertum rivulorum inops, fontium indigum. In nudis lapidibus mendicum ſe teſtatur, umbroſâque pompâ ſpoliatum, ac viduatum. Campus theatrum ſapit muſicarum avium, ſuſurrantium aurarum. Deſertum eſt mutum, cujus vaſtas ſolitudines taciturnitas, atque ſilentium occupant, ac obſident. Campus Paradiſum ſpirat, deſertum terræ infernum. Quî proinde Mundus eſt campus, pariterque deſertum? Ah! obmuteſcite, inquit Gilibertus Abbas, quoniam magis appoſita ſimilitudo eſt illa Sponſi: Quandoquidem Mundi, deſertique indiſcretus tenor occurrat: *Deſertum verè & aridum, & ſterile reputat ſæculum omne hoc, per quod aſcendit.* Ergò Iſaac hallucinatus eſt, Mundum cum agro, floribus reſtagnante, conferens? Quis hoc in dubium ſuſpicionis revocet? at admiratione

tione caret; quia Sponſo fuerant oculi aperti: *Oculi ejus ſicut columbæ ſuper rivulos aquarum.* Iſaac è regione cœcitate laborabat: *Caligaverunt oculi ejus, & videre non poterat.* Ergo in cœcitate deceptus, deſertum rebatur floridum campum, horrorem amabilem. At DEUS immortalis! *Et quânam ratione* (exclamat Guilibertus) *nobis factus eſt deſerti hujus odor, ſicut odor agri pleni?* Suffertim, qui fœtor ingratus in odorem migravit, quomodo pro roſis ſpinas eligimus? campuſne, deſertumque nil differunt? Hic Mundus melancholicum ſapit deſertum, omni viduatum bono, vanitatis ſolitudine refertum. Avari verò in hac vanitate germana bona cognoſcunt? Supplantati lenociniis, cur nihilo ineſcantur? Samſones inauſpicati, ad ærumnarum molendinum circumaguntur. Cœci Beliſarii, emendicant, coguntque propriæ calamitatis ſtipem. Polyphemi in ſpecu, album ab atro diſcriminare non valent. Cur tandem oculi non aperiuntur, ut illi Tobiæ, uti detur fatuitatem dediſcere, avaritiam caſtrare?

4. Auguſtino teſte, ad relevandas pupillas, agnoſcendamque veritatem, ac ſæculi miſeriam, haut mergi debemus in tædioſarum ſpeculationum pelago, ſed ſufficit earundem ſcrutari finem. Quippe ſi quilibet finium à vanitate, miſeriaque proficiſcetur, nullum non coget ingenium, tametſi contumax, ad confitendum, cuncta mundana, vana, miſerabiliaque reperiri. Hinc Divus Auguſtinus progreditur: Ritè mentis oculos reſera, infelix cœce; aſpice gnaviter opes, nec non in fraudulentis ſæculi pollicitationibus obtutum defigens: *Quære, quære finem earum.* Ubi nunc Semiramidis gemmæ, Cleopatræ pretioſiſſima margarita? Pygmalion ardentiſſimâ auri cupiditate flagrans, aggerandis gazis & aurifodinas, & humana pectora aperuit. At ubi nunc auri, argentique illi ſunt cumuli, queîs ſuperbiæ montes erigebantur? ubi Crœſi opulentia, ubi Tomyris Maſſagetarum Reginæ decantati pyropi? Venare ſodes, inquit Auguſtinus, *quære, quære finem earum. Ecce, tibi tenebræ occurrunt.* Evanuêre pretioſa coruſcamina, fulgores. Aurum utpote terræ filius, in terram reverſum ſordeſcit. Cui ſi hâc inſtes in terrâ, *nihil invenies.* Ergo non parvi refert, opum cupiditatem repreſſiſſe. *Pſ. 123.*

5. Attamen avarus, hoc nihil ſtringendo, magnâ ſe palmâ concludere præſumit, caſſâ cogitatione tumidus, cùm maturum judi-

cium ſibi foret formandum: Inſuper propriam calamitatem fovens, præcipitium averruncando amat ſuperſedere, nec ſiniſtris avertendis invigilat. Horribile incendium conclamatæ Pentapoli imminet. Lot unà cum Uxore, filiabuſque, Angelorum miniſterio, proximi admonetur excidii; Cùm tumultuoſam in fugam effundere ſe, anſam ſe ſubtrahendi arripere, conſultum fuiſſet, excedere reluctantur. Numquid oculis illuſtre luſtrabant incendium? Nequaquam. Luminibus orbabantur: *Cùm percelleretur* (de Lot ratiocinatur Rupertus) *nuncio inſtantis periculi dormientes oculos, & amore divitiarum preſſos avertebat à lumine præſenti.* Excœcati amore terrenorum, quæ illa in diœceſi poſſidebant, fulminantis cœli longè, lateque ſerpentes flammas haut animadvertebant, animadverti in propria capi-
apud ta diſſimulantes. Igitur cœcis miniſtrârunt Angeli, præ prædiorum
Lipp. affectu ſtolidos ducunt: *Diſſimulante illo, apprehenderunt manum ejus,*
cap. 19. *manum Uxoris, ac duarum filiarum ejus, eò quòd parceret Dominus illi.* Sonat Geneſeos periocha. Num cœcitas hâc denſior, atque tenebricoſior? Mors igitur, lethi cogitatio nobis oculos aperiet, admiſſa delebit, eradet, expunget, tutiſſima conciliatrix, quæ cunctis expedit.

6. Hebræi ab Ægyptiis tam gemmas, quàm theſauros mutuârunt; dein, nocturnæ fugæ prædâ, præcipites evaſêre. Tenaciſſimis Ægyptiis pretioſa quæque expugnârunt Hebræi, ac propemodum emunxerunt divitiis, quibus nauci factis fugiendo renunciant. Ægyptii, olim Hebræis mercedem negantes, illis jure merito debitam, utpote conductis operis, diurniſque laboribus, haut erumpentibus obæratis obicem ſtruunt, dant peſſulum. Ubi nunc flebiles avarorum ululatus, ubi lachrymoſa ſuſpiria, quæ imis eructant viſceribus, ſi contingat vel minutiſſimis orbari? attamen verum eſt, teſte Scri-
Num. pturâ: *Profecti filii Iſraël in manu excelſâ, videntibus cunctis Ægyptiis.*
c. 33. Et illicò ſubnectit: *Et ſepelientibus primogenitos.* En Abulenſem:
Qu. 2. *Tanto illorum dolore, & ſui timore Ægyptii tenebantur, ut viderent Judæos cum vaſis auri, & argenti, & veſtibus recedentes, & tenere non curarent, ſed potiùs ipſi eos ad velociter fugiendum incitarent, dicentes, omnes morimur.* Potiſſima ratio, cur recedentes haud ſufflaminare curarent, fuerit, quòd defunctorum pignorum corpora humando, ſpectabant eclipſatos oculos, ora clauſa, artus confractos, flaccidam car-

carnem, fœtidos cineres, exeſa oſſa, patulos tumulos. Hinc perculſi formidine, funeſto tantæ ſtragis ſpectaculo attoniti, exclamabant: *Omnes morimur.* Virides Smaragdi nativâ viriditate, ſpem vitæ nobis haut ingerunt: adamantes mallei ictus eludunt; at nos duris preſſuris ſuccumbere compellimur. Pyropi, Sapphiri, Topazii procul hinc; apagite uniones, hyacinthi. In pulverem redigemini, Mortales in cinerem, *omnes morimur.*

7. Quadrat effatum Philoſophi, reſpondentis ad quæſitum, quanti eſſet ponderis quiddam lignum: *Expende cinerem.* Quanti ſunt ponderis illi aurei torques, gemmatæ catenæ, monilia, uniones, gemmæ accenſis animatæ Carbunculis, ut igne Promethei ſtatuæ? Quanti ſunt ponderis arcæ argento repletæ, nummis aureis reſtagnantes? *Expende cinerem.* Omnia hujus ſæculi bona paris tenoris habentur: *Præterit enim figura hujus Mundi*, exclamat Apoſtolus. Divus Athanaſius exponit, *hoc eſt, labitur. Quid ergo labenti rei, & fluxæ hærendum*? futurum nihilum avari commentaminor, viroſam divitum carnem, devoraturos vermes expenditote, antequam cœlitus gravi plagâ percutiamini! Ariſtoteles concinnè dixit: *Divitiæ nihil ferme aliud ſunt, quàm felix amentia.* Tam poſſeſſores, quàm poſſeſſa cinis ſunt. *Expende cineres. Præterit enim figura hujus Mundi.* Audite Theophylactum: *Figuram appellavit commonefaciens, nos eſſe quaſdam fumoſas in aëre exhalationes, è cœlo deſcendentes, ſpirationes, vaporeſque inanes, eſſeque ſuperficiem quandam fluxam, nihil ſtabile, aut ſubſiſtens habentem.* *in 1. Cor. 4.* Avaritiam caſtrate tenaces, quoniam fato concedetis, nec poſſeſſoribus proderunt opes. Hinc Mathuſalem nongentis ſexaginta novem annis vixit, ſpretis ſæculi bonis, domum ſibi fabricare detrectans.

8. Rurſus mortis cogitatio, quam quis elicit, ad liberalitatem, quàm ad tenacitatem calcar ſubdere, ac inflammare, apud ſenſatos videtur. Quam lethi contemplationem inſtituimus, hoc præſtare nullus dubito. Moyſes cur in hominis creatione, unius terræ mentionem ingerit: formavit hominem de limo terræ: Non enim aquam, aërem, ignemque commemorat, eſto ex quatuor elementis hominem conſtare in comperto ſit; quorum unumquodque æquè neceſſarium habetur. Nam extincto calore naturali, vita extinguitur. Humidum radicale removeatur, & vitæ curſus ſufflaminabitur.

Abſente aëre, reſpiratio eliminabitur. Attamen terra duntaxat nominatur, *formavit hominem de limo terræ.* Reſpondet Divus Am-
l. off. 3. c. 5. broſius: *Conſidera, ô homo, unde nomen ſumpſeris, ab humo, quæ nihil cuiquam eripit, ſed omnia largitur omnibus. Inde appellatur humanitas.* Ergo, avare, conſidera, ab humo originem te derivare, te terram eſſe, & in terram redigendum. Ita continget, ut dedigneris theſauros cumulare, opes cogere. At terram te eſſe negando, ad terræ menſuram haud te componis: Illa *Omnia largitur omnibus*; tu ab omnibus colligis.

9. Cùm Mundus inſanus afferat divitias hominis ſanguinem, avarus velut hirudo omnibus exſugit, vacuas relinquens venas. Quid
Tom. 5. claſ. 6. autem Galenus de hirudinibus ſentiat, exponam: *Ab attrahendo quidem non deſiſtunt, donec cinere os earum aſpergatur.* Avarus extrahit aurum terræ viſceribus, gemmas montium viſceribus, margaritas Erytræi ſinu. His ut valedicat, cinerem accerſat, mortis memor. Ninivitæ, quemadmodum affirmat S. Ephrem Syrus, cum de morte loqui quemquam audiverunt, illico *theſauros ſuos pauperibus aperuerunt.* Nónne ſic terram imitamini tenaces, *quæ omnia lar-*
Tim. c. 6. *gitur omnibus*? En Apoſtoli verba: *Nihil intulimus in hunc Mundum, haud dubium, quod nec auferre quid poſſumus.* Job exclamat: *Ego ille quondam opulentus, repente contritus ſum.* Job *teſta ſaniem radebat, ſedens in ſterquilinio.* Abdicatis igitur opibus avare, noli ampliùs inhiare divitiis, quas tumulo tecum inferre nequeas, ubi jacebis viroſa caro, pulvis ac cœnum.

10. Alexander, Judæorum Rex, ultimam avaritiæ metam attigit, crudeliſſimum ſe probavit; cujus crudelitas avaritiæ miniſtravit. Subditos interimere non dubitabat, occiſorum ſubſtantiis proprias cumulaturus, quorum ſanguine effrænem cupiditatem ſatiabat. Tandem cum morte colluctans, amittendarum opum formidine turbatus æſtuat, quoniam exoſus multitudini, ſuos natos hæreditate viduandos mente præſumebat. Poſt obitum, perſuaſit impiæ Alexandræ Conjugi, ſuum cadaver in publico foro mandaret exponi, reconciliandis ſubditorum exacerbatorum animis: ceu juſtæ illorum adhæreret ultioni, dum la erandum, atque raptandum exponit. Alexandra, expleto conſilio, plebem ad tragicam vindictam ſolicitans, pariter pietatem in Hircanum, ac Ariſtobulum filios,

cæterùm

cæterùm innoxios impetrabat. O mortis vis ingens! ad cadaveris ſpectaculum plebs attonita, haud cogitat de deprædando theſauros, ſed qui repetundarum inſimulabatur, ac tenebatur, jam abſolvitur, filii ſalutantur Regni Succeſſores, funuſque extincti publicis ſumptibus perſolveretur. Ita Joſeph Hebræus.

11. En quis exitus maneat avaros! Quorum cor extinctorum *l. 13. c.* avidum quoque reperitur aggerendarum opum. Alexander haut *23. ant.* intentus fuit ſepulturæ, theſauris duntaxat inhians, unde ſumptuoſiùs ſe jactaret, ac proprio cadaveri foret dedecori: Idque quòd avarus nunquam ſatietur. Avaritia flammæ inſtar, utut ingens ſit lignorum apparatus, attamen nunquam dicit ſatis eſt, *nunquam dicit ſufficit.* Mare æmulata, ſibi aptare poteſt illud tritum: *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat eis.* Utque convincamini, avari Narciſſi, ſupputemus rationem aquarum, quas in mare flumina effundunt. Danubius, ubi latiùs extenditur, ad milliare ambitioſum habetur, profundum decem brachiis, adeoque rapidum elabitur, ut, unius horæ intercapedine, tria milliaria excurrat. Ergo à Mundi infantiâ ad hanc uſque ætatem, quæ tributa vel unus Danubius intulit ponto? quid dicendum inſuper de Nilo, Atheſi, Araxe, Rheno, Tyberi, Eridano, Tanai, Tago, Indo; ne prolixam contexam cæterorum fluminum catenam? Itaque tantâ aquarum copiâ in ùnum coacta, mille Oceanos formaret. Attamen mare minimè ſatiatur, nec impletur: *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat eis.* Haut ſecus cor avari. Omnes theſauri influunt in ejus ſinum, *& cor avari non redundat eis.* Non neſcio, Plautum dixiſſe: *Suapte natura vix frænari poteſt cupiditas: quòd ſi divitiæ ei acceſſerint, planè ſit infrœnis.* Quod in avaris haut accidit, juxta *apud* Democritum: *Niſi multa deſideres, pauca tibi multa videntur.* Atta- *Stob.* men noſtræ roborandæ ſententiæ, præſto eſt Sanctus Ambroſius in *ſer. 95.* Tobiam: *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat eis; Mare ipſe fœnerator eſt, omnia patrimonia tanquam fluctus abſorbet, & ipſe nequit expleri.* Quis igitur ſuperſedebit exclamando cum Petro Bleſenſi: *O pecuniæ amor, ô tinea cordium, rubigo mentium, languor peſſimus animarum, virtutum ſubverſio, germen vitiorum, vertens dilectionem in odium, & DEI gratiam in contemptum! quomodo divitum*

corda excœcas ? ut, quantò ampliùs habeant, tantò minùs ſe habere credant.

12. Mortalis ſuapte naturâ terræ bona ſitit, ac appetit, cœlitus illorum Patronus, & Dominus deſtinatus. Hinc, utut magnanimo calcentur attritu, attamen cordi innatus appetitus adhæret, nihilo ſecius eorundem votis tenemur. Philippus Secundus, Hiſpaniarum Rex, cum Cardinali de Granuela colloquebatur. Sacer Purpuratus talibus Regem interpellat: Rex, hodie anniverſarium recurrit generoſæ abdicationis, quam, in Veſtram Majeſtatem Regna devoluturus, Imperator tuus Parens, ultro ſubire non dubitavit. Rex ſubridens, reſpondit: Sanè, ſanè, hodie annus expletur, cùm meum Parentem pœnituit, mihi eorundem relictorum. Quaſi tentaret inferre; cor Mortalium tam tenaciter adhæret terrenorum viſco, ut affectu vix avelli ſe patiatur. Quid continget avaro, in quo à natura inditum in effræne vitium degeneravit; Malum exiſtit immedicabile. En Sapientis oraculum: *Eſt alia infirmitas peſſima, quam vidi*
Eccl. c. 5 *ſub Sole, divitiæ conſervatæ in malum Domini ſui.* Legit Chaldæus: *Eſt*
Ser. it. *periculoſum malum, cui medicina non eſt.* Hinc Bleſenſis: *Non facilè de avaritia triumphat ille, de quo ipſa ſemel triumphavit.* Si tamen eſt vobis cordi medela, avariſſimi Narciſſi, accipite præſentiſſimam lethi cogitationem, ne deinceps pœnitenda admiſſa admittatis.

13. Jacob opibus affluebat, ac velut aquila volitans ſupra nubes, per calcatos pretioſiſſimorum cumulos, arridentis fortunæ ſuffragiis conflatorum pergebat. Illius gente Urbes implebebantur, armentis vaſtiſſimi campi. Attamen ſupremæ neceſſitati propinquus, ſuis
Gen. 49 liberis ultimum Vale impertiturus, cygneas haſce voces efflavit: *Congregamini, ut annuntiem, quæ ventura ſunt vobis in diebus noviſſimis.* Nec mentionem ingerit divitiarum, neque ampliſſimi patrimonii recordatur aſtantibus hæredibus. Cujus cauſam adducit Os aureum:
Hom. 66. in Gen. *Quia moriturus erat, benedictione ſuâ firmat pueros, maximas has facultates relinquens, & divitias, quæ nunquam abſumi poterant.* Suffragatur pariter Divus Ambroſius: *Præſentibus ſe rebus ſubduxerat, &*
l. 2. de Jac. c. 9. *noviſſimis diebus futuræ miſcebatur ætati.* Quiſquis mortem habet præ oculis, quiſquis cogitatione lethi futuræ miſcetur ætati, profectò de avaritiâ triumphabit, atque paratus noviſſimam diem præſtolando, opibus renunciabit, quæ generoſo cordi deſipiunt, atque

ſordeſ-

ſordeſcunt, quarum jure merito ſapienti ſit ſtomachus.

14. Avari, avari, veſtri hæredes paterna bona dilapidabunt, abligurient ſubſtantias, à vobis ſudantibus partas, conflatas: Cachinnos veſtris commovebitis filios, quibus ſubſannandos vos propinatis, dum animabus veſtris haut invigilâſtis, iiſdem locupletandis duntaxat mancipati: *Vide ergo, quales Amicos habes* (effatur Sanctus Auguſtinus) *pro quibus animam perdis. Omnes dimittent te, & in foveam brachiorum collocabunt te.* Nepotina palatia excitatis poſteritati, quæ nunquam ipſi incolatis; inſtar hirudinis peregrinæ, quæ ex Ægypto reverſa, noſtris in plagis laborioſum conſtituit nidum, æſtivo tempore, inſtante autumno deſertura conſummatum opus. Mox in cinerem redigemini: *Dormierunt* (inquit David) *ſomnum ſuum, & nihil invenerunt viri divitiarum in manibus ſuis.* Explicat Lyranus: *Dormierunt dormitione mortis, ſecundùm quod dicitur, Lazarus amicus noſter dormit, id eſt, mortuus eſt.* Jer. 48. ad Herod. P

15. Acceleret huc avarus, ac putidiuſculus explorator extincti Lazari conditum referet tumulum: ibi reperiet avarus longè pretioſiores auri mineras, quàm ſerventur in Indiis. Ingens extitit jactura, aurum inveniſſe, ingens lucrum, cineres. Ut natura pateface-ret, quàm crudum ſit aurum, duriſſimorum lapidum viſceribus illud induſſit. Lethum denudaturum, quàm ſe probet amicum, benignumque erga Mortales ſepulchrum, in illo oſſa duriſſima reſolvit in cinerem, quaſi diceret: Qui tam gloriaris in auro, argento, gemmis, expende, amabò, quid poſſideas. *Nihil invenerunt viri divitiarum in manibus ſuis.* Nihilum duntaxat tuum eſt, dum in tumulo vel humanitate ſpoliaris. In hunc tandem modum opulenta Semiramis humo mandata dicitur. Ante noviſſimam horam juſſit attamen, hæc Inſcriptio inſculperetur faſtuoſo Mauſoleo: *Quicunque Rex pecuniis indiguerit, patefacto monumento, quod voluerit, accipito.* Hac ſpe pellectus Darius, ac dulcedine tactus, monumentum aperit, hocque duntaxat ſcriptum legit: *Ni malus Vir eſſes, ac nummis inſatiabilis, cadaverum loculos non moveres.* Quid occurrit avido Dario? Oſſa, cinis, fœtor cum horrore. Ad hanc miſeram nuditatem opes reducuntur; in tumulo jacebunt, pellicatoribus nummis, nudi, quos byſſus, purpura, polymita, mollia veſtiebant, ac pretioſa. Nec mitior ſors manebit avaros poſt funera, quàm inauſpicatos Danai liberos. Plut. Apoph.

Ad

Ad quod quoties avarus reſpiceret, cumulando ſitim extingueret, ſacram auri famem ſaturaret, appetitum reprimeret. *Et hæc omnia, quæ paráſti, cujus erunt?* Tibi conſulit Divus Chryſoſtomus: *Reputa tecum naturam tuam, & fabricam, & ſatis id tibi eſt, ut perpetuò te reprimas.* Autumat avarus, æternam auri poſſeſſionem firmâſſe: at inopinanter mors advolat. O fulmen improviſum! ô dolor longè acerbiſſimus, nunquam dulcandus! *O mors, quàm amara eſt memoria tua, homini pacem habenti in ſubſtantiis ſuis?* mihi conſtat, Præcurſorem linteamen deferentem, quo involvendum erat Saladini cadaver, exclamaſſe: *Ex omnibus opibus, & theſauris ſuis, magnus Saladinus ſecum defert linteum iſtud.* Liquet ergo, poſt funera purpuratum inter atque pannoſum, nummoſum ac egenum, nullum intercedere diſcrimen. Hinc Auſonius:

Orat. de humi. animi.

Eccl. 41.

Effigiem, Rex Crœſe, tuam, ditiſſime Regum,
Vidit apud Manes Diogenes Cynicus.
Conſtitit utque procul, ſolito majore cachinno
Concuſſus, dixit: quid tibi divitiæ
Nunc proſunt, Regum Rex ô ditiſſime, cùm ſis
Sicut ego ſolus, me quoque pauperior?
Nam quæcunque habui, mecum fero: cùm nihil ipſe
Ex tantis tecum, Crœſe, feras opibus.

Qui proinde non explet avarus conſilium, quod ex Græco Idiomate in Latinum tranſtulit Thomas Morus?

Tanquam jam moriturus partis utere rebus:
Tanquam victurus denuo parce tuis.
Ille ſapit, qui perpenſis his ritè duobus,
Parcus erit certò, munificuſque modò.

16. Itaque homo, vanitatis ſtudioſiſſimus, dominam admittit avaritiæ tyrannidem. Quod ad enucleandum, lynceos oculos aſſumamus oportet, ac impenetrabile naturæ noſcamus arcanum. Nonnunquam deprehendere eſt, æſtate maximè tranquillâ, cùm ſerenus regnat

regnat aër, benigna cœli facies ridet, pacifica elementa demulcent, invitat amœnitas; quam cuncta ſpirant; cùm ſudum eſt, Æolus ventos catenat, Neptunus indormit, fluctivoma ſilet Amphitrite, Nereus innititur algis, Tethym ſomnus occupat, Glaucus reſtringitur, taciturno ſilentio nihil non tenetur: attamen æquor turbari, & agitari. Mirum! non ſibilat aura, nihilo ſecius ad oram hinc inde fluctuat, totoque terrarum Orbe in pace compoſito, malaciam eliminat, halcedonia neſcit infremens Pontus. In indagandâ hujus inſtabilitatis ſcaturigine, ſubtiliſſima Scholaſticorum ingenia deſudârunt. Tandem unanimibus Sapientiorum calculis decretum eſt, proficiſci prætectam reciprocationem à fluxu, atque refluxu, in tranquillitate tempeſtatem exſurgere; quoniam mare lucidos Lunæ gyros, motuſque ſequi comperimus. Nunc ad moralitatem veſtigium moliamur. Fateor, Ariſtotelem affirmare: *Ut in otio vivatur, fieri non poteſt, niſi facultates ſuppetant.* Hinc divitiarum affluentia hoc otium turbat; *Quantò divitiæ magis augeſcunt, tantò plus afferunt curarum.* *l. 4. de Rep. c. 6.* Quæ moleſtæ curæ tranquillam animæ malaciam ſuſque deque vertunt, atque funeſtant. Avaritia Lunam redolet, quæ avari moderatur animo, & ad nutum commovet. Quoniam autem avarus haut reputat, Lunam occidere, eclipſim ſubire, ac veluti mori, quòd omnino Mortalium ſubtrahatur obtutibus; hinc opes haut fluxas, periturasque diſcernit. Theſauri Mortales occurrunt; hinc Hugo Carenſis aſſimilat terrena bona ephemeris: *Quæ ſub unâ nocte nata, ſub unâ nocte pereunt.* Nil igitur in Mundo perenne, ſæculi bona mortis habentur ſpolia; quæ, ciendæ duntaxat in animo ex probitate tranquillo tempeſtati, plurimum valent.

17. Iſaias ediſſerens de Babylone, ait; *Nec ponet ibi tentoria Arabs.* *cap. 13.* Sub Babylonis nomine Mundus adumbratus venit. Hinc Divus Hieronymus: *Arabs Occidentalis occaſum conſiderans, hic certè tentoria non figit in Babylonia terrenorum affectuum.* Quiſquis lethum expendit, in terrenis radices agere nequit. Haut eriget tentoria, non comparabit prædia, non onerabit naves, non cumulabit theſauros: cùm hæc omnia momento pereant, mors rapiet, tumulus non capiat, ipſeque Dominus poſſeſſione dejiciendus veniat, & cinis effectus nil horum fruiturus ſit. Deplorati avari! evolvite Solini eruditas paginas, offenſuri, harpyjas, ſuapte naturâ cru-

dele animal,quod & tot homines enecat,ſanguinem exſugendo, ſeſe quoque in limpido fonte ſpectando, amarè deflere. Tu, avare, harpyiarum ritu, proximi ſanguinem attrahis. Ah! noſtro in morali Fonte explorato te, alter Narciſſus: *Viſitans ſpeciem tuam, non peccabis.* Deplorabilem conditionem tuam ad calculos reducas, ex luto plaſmatam, ſexcentis calamitatibus obnoxiam, ac momentaneam; quam ærumnarum obſident agmina, dolorum ſatellitium ſtipat, coronat, circumdat. Tumulum reſerato (hic eſt Fons noſter, ſpeculum à nobis exhibitum) nec non mœſtas inter illas umbras, cimmeriaſque medius, tuum agnoſcas occaſum, quò auri radii inauſpicatò perituri collimant. Hìc omnis offuſcatur gemma. Hìc aurei nummi ad redimendam putredinis vexationem, nec apicem proderunt. Hìc epicœna margaritarum, ac obryzi ſordeſcent. Hìc denique probitatis capies exorſa, diſceſque tuis Ephemeridibus conſignare, non tam quotidie, quàm ſingulis momentis, eſſe te mortis eſcam, lethi mancipium, Libitinæ pabulum.

18. Niſi hujuſmodi conſiderationis frœno, tua reſtringitur auri cupiditas, oppidò conclamatum te proclamare compellor; meiſque aſſertis, per Divi Chryſoſtomi ſuffragia, gravius auctoritatis pondus conciliare licebit. Apoſtoli murmurabant adverſus Magdalenam, effatur Redemptor: *Quid moleſti eſtis huic mulieri? mittens hæc unguentum hoc in Corpus meum, ad ſepeliendum me fecit. Tunc abiit unus de duodecim, qui dicebatur Judas.* Quò properas? num ad venundandum CHRISTUM, ad inæſtimabilem prodigendum? Si Lunæ argentum, Solis aurum coirent; ſi cumularentur Stellarum Pyropi, Cœlique Sapphiri; ſi cuncta ſoli pretioſa cogerentur: Attamen invalida occurrerent ad conſtituendum ſufficiens pretium pro CHRISTO emendo. Ah! *conſtituerunt ei triginta argenteos.* Profligatiſſime, ſceleſtiſſimeque Mortalium! Judam diris ſuggillo. Præſente adamante magnes enervatur, vimque deponit, ferrique copulæ valedicit. Quì proinde, coram aſpectu amantis DEI, Judæ attrahens cupiditas ab auro minimè recedit? O ineffabilis perfidia, exclamat Chryſoſtomus: *Tunc iſtud, ad quod tempus relatum eſt? quando iſta locutus eſſet, quandò ad ſepulturam duxit, atque neque hinc compunctus eſt.* Quid de avaro dicam? ſingulis ſpectas diebus bajulari cadavera, ſepulchris inferri; audis continuò de letho ſermocinantes; ſepulchrorum fœ-

tor tuas invadit nares; cineres defunctorum undique occurrunt, nec doſinis venundare, mercari, uſuras perpetrare opibus aggerandis? niſi ante obitum ad bonam frugem te recipias, calculos revoces, palinodiam canas, de te conclamatum eſt, Judæque veſtigiis inſiſtis: *Porrò Iſcariotes, memoriam mortis ſonat, ut ſit inexcuſabilis; quòd non caſu, ſed ex meditatione mortis Dominum prodiderit*; Ita Divus Paſchaſius. *in Mat. 26.*

19. Ergo ſalvandæ animæ, unico tuo theſauro, feliciterque vivendo in hac lachrymarum valle, fortunâ, quam cœlitus derivâſti, contentum te probes. Rogatus Socrates, quis ditiſſimus audiret, reſpondit: *Qui pauciſſimis contentus eſt.* Genuinus, ac pretioſus tibi theſaurus fuerit lethi recordatio: *Quaſi effodientes theſaurum, gaudentque vehementer, cùm invenerint ſepulchrum.* Qui mortem reputant, non locupletes, Numini coluntur accepti. Cur Ægypto egreſſi Hebræi Altiſſimo exoſi dicuntur, Moyſes dilectus? Reſpondet Lippomanus: *Præterea quòd Judæi, utpote infantibus ſimiles, aurum, atque argentum detulerunt; Moyſes verò intemerati animi Vir, Joſeph oſſa deportavit.* Omne bonum nobis à lethi cogitatione fluit, omne detrimentum ab opibus derivat. Attamen vel in mortis agone per cogitationes opibus inhiamus. Fatui filii Adæ! Referente Suetonio, quidam familiaris Domitiano Imperatori objecit: *Domitiane, quid captas muſcas*? armorum incendio longè lateque tua flagrant Regna, belli flamma undique ſerpit: tuque non exercitum conflas, non hoſtiles retundis aſſultus, ſed ſordibus muſcas aucupari maturas? Avare, avare! cùm in tuo compoſito elementa contendunt, dum lethum imminet, cùm tibi cœlo rigidiſſima ratio tuarum eſt reddenda actionum: tunc anhelas opes, quæ nil niſi muſcæ, vanitas! *Avare, quid captas muſcas?* *Stob. ſerm. 5. Job. c. 3*

LASCIVI
AD
FONTEM.

CAPUT XV.

1. FOrtaſſis Veneris Stellam, tertio inſertam gyro ſpectaturo, ut de illa ediſſeram, Mercurius eloquentiam mihi miniſtrabit, cujus Sphæra priùs obtutibus attingenda venit. Fortaſſis ipſa Venus Rhetorica mihi lumina ſuppeditabit, obſcura reconditi animi ſenſa dilucidaturo. Ah! Stella Venus ægrè in Phoſphoro Orizonte apparet, cùm appetentibus tenebris in Heſperum migrat, umbras cum horroribus nunciatura Mortalibus. Igitur umbræ funeſtæ meum coronent ſermonem, quoniam nimis ſordidam agnoſco materiam, dignamque celatu. Tales deprehendimini, ô venerei Narciſſi! de quibus verba contexturæ linguæ contremiſcunt, paginæ, ſi literis conſignentur, erubeſcunt. Tandem juvabit expendere, veſtram Venerem ideo ſalo genitam, Ponti ſpumâ, quoniam veſtræ voluptates momento evaneſcunt. Admiſſis coronidem imponitote, emendate menda, cùm vitæ terminus præfigatur, ac meta. Jam propinquum pulſat lethum, veſtraque incontinentia, ad perniciùs advolandum ſolicitat, ultro currenti calcar addit. In vos quadrat, quod Martialis Juveni objecit, quem in ipſo ætatis flore mors immatura demeſſuit, atque rapuit, quoniam generoſè illum cognovit palmarum collegiſſe faſcem :

Dum numerat palmas, credidit eſſe Senem.

Tot numerantur actus iterati veſtræ effrænis laſciviæ, uti mors, in iniquitate Senes vos agnoſcendo, tametſi ætate Juvenes, attamen in ſupplicium veſtræ perfidiæ vos præproperè tollat è medio. Ergo de funere, deque tumulo cogitandum maturè.

2. Prodeſt ergo laſcivis lethi contemplatio, ſicut expertus eſt

D.vus

Divus Auguſtinus; cui nullum remedium tam efficax contigit adverſus libidinis incentiva, quàm mortis memoria: *Nec me revocabat à profundiore voluptatum carnalium gurgite, niſi metus mortis, & futuri judicii.* Quod & contigit Adæ, & Evæ, juxta veterum Ex- *lib. 6.*
poſitorum obſervationem. Illi divino auſcultantes Præcepto: *Creſ- Conf.*
cite, & multiplicamini, & replete terram; jam maſculinâ prole abun- *c. 16.*
dabant. Cain primogenitus terram excolebat; nec ab arborum liberalitate (quæ fructus uberes producunt) liberalitatem in Numen didicerat. Abel ex diametro ab agricolâ fratre degenerando, gregis paſtor, offerebat Domino agnorum pinguiſſimos. Hinc Cain viſcera mordax invidia corrodit; nève fratris germani victimæ cœlo magis arrideant, ipſum furori ſuo victimam decernere non veretur, inviſus ſanguini ſuo. Humo corruit exanimis Abel. Mors horruit ſpectando jacentem innoxium, quæ multatura ſontes in Mundum advenerat. Solum fumanti ſanguine ſpargebatur, ad quem non rubeſcit, at pallet Cain. Adamus ac Eva pariter pallore ſuffunduntur. Nemo non attonatur, ita ut Adam generandorum Mortalium oblivisceretur, reducens ad calculos, mortis tyrannico imperio perire tam citò. Tandem ex amarâ Numinis diſpoſitione, *cognovit adhuc Adam uxorem ſuam, & peperit filium, & vocavit nomen ejus Seth.* Strabo, necnon Liranus, Scholaſticæ Hiſtoriæ Magiſtri, ſuſtinent, abhinc multos annos ab exceſſu Abelis hunc partum fuiſſe inſtitutum; nam *Adam, interfecto Abel, propoſuit continere de cætero*: nec unquam calculos revocaſſet, niſi Divina Providentia ad inducendum renitentem, cœleſtem delegâſſet Paranymphum. Hoc autem, quoniam Adam extinctum ſpectârat Abelem. Frigeſcentibus in denati nati cadavere membris, genitor fomitem experiebatur extinctum. Perpendentis Abelem in cinerem redactum, ignis concupiſcentiæ extinguebatur. Neuter ampliùs divini recordabatur juſſi, *creſcite, & multiplicamini, & replete terram.* Hinc haut titubanter Divus affirmat Zeno: *Non habet concupiſ- Ser. de*
centia locum, ubi mors timetur. Spartam, quam nactus reperior, ornatu- *Pud.*
rus, demandatamque Provinciam, nec non delegatum officium, prolixiùs ungabor.

3. Ipſiſſimus Altiſſimus, Mortalium libidini frœnum injecturus, quod minimè mordeant; hoc docuit nos remedium, ſtatuens, ut ad talem ſcopum mortem præ oculis identidem habeamus. Moyſes

Deu-ter. 34. mortuus eſt, & Dominus *Sepelivit eum in valle terræ Moab contra Phagor, & non cognovit homo ſepulchrum ejus uſque in præſentem diem.* Hujus myſterii obſcuritatem illuſtrat Abulenſis: *Dicitur contra Phagor; quia Phagor nomen idoli eſt, quod colebatur in altiſſimâ parte montis* *lib.*1. *in Jovi.* *Moabitarum.* Quale verò hoc erat idolum? *ſepulchrum ejus,* proſequitur Divus Hieronymus, *poſitum in valle deſcribitur, contra domum idoli, quod propriæ libidini conſecratur.* Nimirum ut Iſraëlitæ ad vitalem ejus ſepulchri cognitionem, laſciviam compeſcerent, illum extinguerent ignem, de quo, *ignis eſt uſque ad perditionem devorans.* Nam juxta Divum Petrum Damianum, *Non eſt libidini diverſorium, in qua verſatur mente ſepulchrum.* Utque, ô laſcive Narciſſe, palpes ſanctam metamorphoſin, quæ fluere aſſolet lethi contemplatione, adducam ſimilitudinem canis in India.

4. Sylva quædam in prædiviti Goto Regno, in amplum gyrum effuſa, frondoſam explicat pompam; cujus forſitan deliciis invigilaturi, nemus cuſtodes incolunt canes. His aurea pellis eſt, in notam, haut aurum deſiderari inter illarum plantarum theſauros, vegetabili veſtitarum Smaragdo. Illorum unuſquiſque, tranſactis inter viridantes ſylvas viridibus annis, canos annos abſoluturus, canas frementis æquoris ſpumas petere maturat: aut liquidis Sapphiris auream pellem miſturus, quòd non valeat Cœli Sapphiris inſerere, ut aureum vellum. Jam littus attigit, jam undis immergitur. Vix autem auſpicatur natare, cùm protinus argenteas in ſpumas aurea, degenerant vellera, piſcis ſpeciem induit; quique canis vivebat in ſylvis, latratibus in ſilentium migrantibus, modò in undis errat, captuſque maripeta *l.* 5. *de animal.* vocatus ab accolis. Ita monumentis conſignavit Pererius cum eruditiſſimo Aldrovando. Mutus hic piſcis alloquatur te, perſuadeatque laſcive Narciſſe. Erudire, quòd, quamvis tot annorum curriculo vitam vixeris inter juvenilis amoris virorem; quamvis ſub umbra laſcivarum fagorum in gremio myrthorum Veneris procubueris; quamvis Hyblæ roſis coronatus triumphaveris, obſcœnus Cypri habitator, Cyprinæque aſſecla: nihilo ſecius, niſi reluctaberis cogitatione, lethi pontum ingredi, quò præceps eſt vitæ tuæ decurſus, fluminis inſtar, e veſtigio mutaberis.

5. Inficias neutiquam ibo, hujuſmodi metamorphoſibus accumbere difficultates, præ corrupta conſuetudine; ut nodoſum accidat

dat executioni mandari. Quotieſcunque meis cogitationibus collectus reſtituor, geminas Sacrarum Paginarum periochas ruminando, quantus quantus in admirationem rapior. Primus textus hic eſt: Supra Calvariam in duro crucis trunco mellitiſſimus pendebat Chriſtus; dumque, clavis manibus transfixis, in Mortalium emolumentum, à movendis Sphæris minimè deſiſtebat; dum propriis vulneribus filiorum Adæ plagas curabat; dum ſui ſanguinis effuſione, amantiſſimus Pelicanus extinctos homines revocabat ad vitam: Ecce, ſceleſti Hebræi, en perfidos Judæos monſtrosâ ingratitudine, illius famam lacerantes, ac vitam; honore, veſtibuſque ſpoliantes Redemptorem; felle potum volentes, quem amaritudo repleverat; & ubi non erat novo vulneri locus, lanienam barbarâ crudelitate exercentes. Attamen illud divinum Os, utut felle madidum, nec verbum protulit amaritudine conſperſum. Imò ut expleretur illud Oraculum, *favus diſtillans labia tua*, dulciter prorumpit, *Pater, dimitte illis, non enim ſciunt, quid faciunt.* Ignorabiliter operantur; ergo non committunt, ignorantiâ delicti malitiam protegente. Igitur cùm reatuum vinculis haut conſtringantur, cùm culpæ reperiantur immunes, atque mendis; quid illis remittendum ſupererit. *Pater dimitte illis.* Aures accommodate divinè reſpondenti Arnoldo Carnotenſi: *Uſque adeò in hoc malo ita voluntarii, ut voluntas conſuetudinem, & conſuetudo faceret neceſſitatem. Neceſſitas verò uſque ad illam vecordiam erumperet, ut neſciret, quid faceret.* Hebræi vel ab initio ſponte libera Chriſto impugnando ſeſe accinxêre; eoque cœcitatis devenerunt urgente neceſſitate, malo obducti calli ergò, uti rectè de illis pronuntiaretur, *neſciunt quid faciant.* Deplorati Judæi! cùm modò Solis, Lunæque oculi tenebris obruantur, quantum eſt pote, veritati veſtros aperiatis oportet. At ingentibus terræ motibus quaſſatum ſolum, conſultum foret, in fide vos ſolidari; cumque in mille fruſta duri lapides ſcinduntur, fruſta ne ſpectetis inſolentia, ſed duriſſimorum cordium pertinaciæ frangendæ, opera navanda venit. Quale reſponſum apponitis? nequimus. Cur autem? quia *voluntas conſuetudinem, & conſuetudo fecit neceſſitatem.* Id ipſum per multiplicatos actus laſcivis contingere, in confeſſo eſt apud Sapientes. Hoc vitium in juventæ flore radicatum, iteratumque occupat ſenectutem, ſemper repulſat, evelli neſcium.

Can. 4.

6. Ne-

6. Neque vobis fallacium argumentorum ſuffragiis imponatis, in canâ ætate extincto propemodum concupiſcentiæ fomite, nullum vos ſubituros concupiſcentiæ incentivum, criniſque nivibus extinctum iri libidinis flammas: quatenus effœtis artubus nullis inſit igniculus, dum occidui frigeſcunt, ac inſita propenſio habetur invalida, ſenſuumque vigor hebetatur, elanguet, ac enervatur. Siquidem adhuc vigere conſuetudinem depravatam, adhuc prurire carnis petulantiam, delumbari non poſſe denudabo, niſi pigeat vos, mihi, in funeſtam Joſaphat vallem properanti, ſocios jungere, atque copulare. En cunctos defunctos, haud defunctos magno in theatro coactos! Audite æternum Judicem, conſummato rigido ſcrutinio, irrevocabilis ſententiæ fulmen vibrantem in reprobos: *Diſcedite à me, qui operamini iniquitatem.* Hicque ſecundus eſt Scripturæ textus, unde admirationis, ſtuporiſque magnitudine obruor. Noviſſima verba in memoriam revocate, *qui operamini iniquitatem.* Mihi videntur repugnantiam involvere. Num omnes formidine tenentur reprobi? utique. Hinc peccare non poterunt? qui inter vivos generoſiſſimi, cordatiſſimiq; colebantur, hìc ſupra cuniculos timore torpebunt. Imò Cyri, Coclites, Annibales, Cæſares, Scipiones, Pompeji præ metu ſaxei, à montibus diſcent hìc immobilitatem, dum ob formidinem corruendo, montes ab hominibus motum diſcunt. Quì proinde hi commerere poſſunt, cùm inſuper haud campus patebit ad malè operandum tunc temporis? quomodo ergo *qui operamini iniquitatem.* Egregiè pro more hoc ænigma Divus Hieron. enucleat: *Non dixit, qui operati eſtis iniquitatem, ne videatur tollere pœnitentiam, ſed qui operamini, id eſt, qui uſque ad præſentem horam, cùm judicii tempus advenerit, licèt non habeatis facultatem peccandi, tamen adhuc habetis affectum.* Non arguit illos de culpa actuali, ſed peccati in potentia; quoniam, dummodo facultas ſuppeteret, vel in noviſſimi judicii die, peccatis obducto callo; cùm horror undique regnat, ab obſcœnis abſtinerent, venereis haut parcerent, ſemper indulgentes genio, cui refragandi reperiuntur ignari. Hi prohiberi, avellìque nequirent ab habitu contracto.

7. Quod cùm veritati reſpondeat, qui in laſcivis proba continget metamorphoſis? quoniam habitus habeatur immedicabilis, ſanari non poterit. Sanè veſtrum vitium, ſordidi Narciſſi, omnem reſpuit medelam. Ergo ad cœleſtes recurrendum aphoriſmos, mors vobis

vobis objicienda eſt. Sit licèt ore tenus immerſus venereis, libidinis mancipium, ac præda; ſi tamen Magdalenam recogitabit, haut ſpe reſipiſcendi deturbabitur. Magna peccatrix, *Mulier in Civitate peccatrix, de qua ſeptem dæmonia exierant.* Quì verò ſanctitatem amplexa dicitur? mortuum ſpectando. Poſt reſurrectionem extincti Juvenis in civitate Naim, in domo Phariſæi pedibus Chriſti provolutam, affirmat conſtans Simonis de Caſſia traditio: *Magis in illa Civitate, in qua erat domus, ad quam invitaverat eam Phariſæus, quam veriùs credo eſſe Naim, ubi poſt reſurrectionem adoleſcentis, iſtud convivium factum eſt, ubi Magdalena cogitavit ſe ſubdere CHRISTO.* Quouſque neglexerat mortis recordari. Prætextatis moribus fluit: Quamdiu lethi timore laſcivus haud percellitur, haut reſipiſcit. *Zelavi ſuper iniquos* (exclamat David) *pacem peccatorum videns, quia* *Pſal.72.* *non eſt reſpectus morti eorum.* Legit Sanctus Hieronymus, *quia non recogitant de morte.* Nonnulli legunt, *quòd non turbentur propter diem mortis.*

8. Obſtupeſcite, laſcivi Narciſſi, naturæ admiranda. Mons Ætna eò magis famoſus, quò magis fumoſus, prope pontum in Siciliâ conſurgit. Cùmque Muſa fabulata fuerit, hunc montem loco ſepulturæ Encelado deſervire, vaſtæ pyramidis ſpeciem induit, ac præ ſe fert. Ad quadraginta milliaria immanes radices exporrigit; cujus cacumen tam aſſurgit, ut in Trinacrio Regno omnium primus Solem aſpiciat, ultimus in non ſpectando. Si peregrinus illuc deducatur, circa ima turritas urbes cum pagis denudat; Sin obtutum ſublimiùs attollat, niſi homines, plantarum denſitatem offendit. Rimanti occurrit Ver autumno copulatum, naturæ ludibrio; queis accedunt frondes, flores, fructus in quacunque temporis circumſtantiâ: Inſuper maturi fructus à latere floris, ridentes ſub nive flores, æternæ nives propè flammas, olim rivalibus, modò contubernalibus igne, & aqua; Inter exeſas rupes, fiſtuloſaſque cavernas, ſpatioſum os dilatatur, jugiter ſtridens, flammivomum, fremens; quod fulgura, tonitrua evomit. Rurſus alia naturæ opera admiraminor. In illud os accenſum influat fulmen, illabatur illi voragini fulmen. En quid Ariſtoteles animadverterit, *ſuperior ignis inferiorem extinguit.* Ardet veſtro in pectore ignis laſciviæ, qui *ignis eſt uſque ad perditionem devorans.* Niſi de veſtris flammis ſermonem inſtituitis, collo-

quia miſcetis; Salamandras inter flammas vos probatis, amoris Ætnas. Quidam inſanus, qui pectore reconditum geſtabat hujuſmodi incendium, de vobis eructavit, ut de ſemetipſo, *Si digito attingerem, incendam ſylvam ſimul omnem.* Avetis tam perniciofum corpori, animæque incendium extinguere, quod officioſum officit utrique? Accerſitote Numinis amorem, ignem cœleſtis amoris; Fulmen divinæ juſtitiæ, improvisùmque lethi fulmen, ignis cœlitus deſcendens, plurimum valebit. Ergo Divus Baſilius Seleuciæ jure merito pronunciavit: *Ideo mortis terrorem cum lege tibi obtuli, contra nefariam appetentiam auxilio futurum, & ſi mens ad eam inclinet, terrore objecto firmetur.* Extemplo coram letho, libidinis ignis extinguitur.

Orat. 3.

9. Alium ignem neſcivit Evangelicus pater, extinguendo laſciviæ igni in prodigo filio, præter mortis contemplationem; Hoc frœno exorbitantem cohibere non dubitabat. Juvenis quà laſcivus, quà pervicax, relicto patrio tecto, ubertim deciduis afflicti parentis lachrymis illudebat. At en alto ſuorum delictorum immerſus! Navem dixerim omnium mercium generibus gravidam, quoniam amans pater *diviſit illi ſubſtantiam*; Attamen tempeſtate compulſus, projecit illas in undas: *Diſſipavit ſubſtantiam ſuam, vivendo luxuriosè.* Cùm novercantis fortunæ pila, fluctibus jactabatur, cùm precariò vitæ ſubſidiis alebatur, nec ulla affulgebat obſtetricantis pietatis ſpes: Tunc ad portûs tranquillitatem reſpexit, ad paternam miſericordiam: *Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus*? Virilique generoſitate propriæ voluntatis malum arripiens, laceram proram ad portum dirigere maturat: *Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei, pater peccavi.* Solvit, auſpicatò ſulcavit, appulit. Primâ fronte canus genitor degenerem, reducémque natum haut aſperiùs increpat, non torvo invadit obtutu, non aurâ inclementi aſpicit, non diſſipati patrimonii, pulchritudinis defloreſcentis rationem expoſcit, ac exigit; nihil ſolicitus de attritis amictibus, quîs pannoſus filius involvebatur, neque de inculto, impexòque crine, manibuſque cœno ſordidatis: Sed protinus *accurrens, cecidit ſuper collum ejus.* Super hoc miratur Rupertus. Quale pietatis eſt genus? O inſolens humanitas, ô dulcedo inaudita! Pater ori, collòque effœti nati annis ponderoſus incumbit.

bit. O cœli, ô ſtellæ, unquamne ſpectâſtis afflictum erigi, dum opprimitur? *Profectò*, reſpondet Rupertus, *cecidit ſuper collum ejus, ut fixis oculis terram aſpiciat, commemorans ſibi, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Terram aſpice, in quam reſolveris. Fortunæ ſubſtantias dilapidâſti *vivendo luxuriosè*: At mox ſepeliendi, humandique in foveâ, ad nihilum redigetur corporis ſubſtantia. Remanebit equidem materia prima, ſed ſub vermium, ac putredinis formâ. Recogita, admiſſas obſcœnitates evanuiſſe, nec ſecius vitæ tuæ curſui finem imponendum eſſe, nunquam ceſſante æternitate, proëmiive; niſi reluctêris pœnitudini recti perſeverantiam copulare, & adjicere: *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* l. 8.

10. Adjice, præ luxuria hominem manere corporis mortem, & interitum, animæve jacturam. Pudeat vos, ô laſcivi Narciſſi, veſtrarum libidinum, exclamat Apoſtolus: *Quem fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis? Nam finis illarum mors eſt.* Mortem fructum hauriunt, ac decerpunt ab obſcœnitatibus laſcivi, quique, prætextatis moribus, occurrunt. En tragicum Samſonis ſpectaculum, qui, robur in capillitio geſtando, Philiſtæorum crinitum ſe cometam jactabat. Haut ſecus atque M. Antonius, poſt Pharſaliæ certamen, Romanis objecit leones in triumphali quadriga; Samſon in Thamnatha diſceptos oſtendit leones: Quo facinore perpetrato, ſibi extincti leonis Regium arrogavit Imperium, ſibique ſubdens vulpes, ſuas conſtituit miniſtras. Rurſus præ ineffabili fortitudine, deridens Philiſtæorum ſcommata, dixit: *Egrediar ſicut ante feci, & me excutiam.* In ſinu Dalilæ Hebræus indormit Alcides, ceu Thebanus in gremio Deianiræ: Venus enim Martem reddit inermem. Samſon haut reluctatur irretiri vaferrimarum Sirenum lenociniis, uſque ad exitium dulcibus. Oculos velat; crederes, quò minùs ſpectare daretur funeſtæ ſcenæ cataſtrophem. Jam profundo ſomno ſepelitur immerſus, præ amoris metamorphoſi, in Salamandram transformatus, flammas inter ſoporatur. Forcipe crines Samſonis Dalila reſecat, qui, velut laqueus, ne robur avolaret, reſtringebant. Fit naufragus, cùm caput crinitis denudatur undis. Expergiſcere, veluti Jonas, in tempeſtatibus; Surge, laqueos reſolvito. Ampliùs haut eſt eructando, *egrediar, ſicut antea feci, & me excutiam.* Truncato crine vis evanuit. Antea la- adRom. c. 11.

certoſo Leones præda deſtinabantur; Nunc enervatum Philiſtæi deridênt, quàm cuniculi, formidoloſi. Orbatus luminibus æmulatur Cupidinem, cui militaverat. Molendinum circumagere cogitur, ut intelligat, fortunam volubili rota, laſcivis identidem ſe probare inviſam, & inimicam. Tandem ſub templi ruinis occumbit inauſpicata victima; hoc uno felix, quòd excœcatus propriam infelicitatem ſpectare nequiverit. Hocque, quòd *finis illorum mors eſt.* Qui verò ad hoc lethi nomen, accenſi non algent amantes? Abimelech audito, *& morieris ob mulierem, quam tuliſti*; protinus formoſam reſtituit Saram, quoniam, progreditur meus eruditiſſimus Novarinus, *vix poterat efficaciori medio à muliere Abimelechi animum avellere, quàm mortis non ſolùm memoriâ, ſed & comminatione.*

in Gen. c. 20.

11. Sin tibi corporis haut eſt inſidens cura, animam ſaltem habeto in pretio, inæſtimabilem æſtimam: Cujus jacturam ſi declinare aves, mulierum conſortium reſpue, repudia. Henricus Octavus profligatiſſimus, & nefaſtus Angliæ Rex, ſui regiminis auroram lucidam denudavit, occaſum obſcuriſſimum. Avitam pietatem ſibi inſtillatam, turpiſſimo corrupit exitu; æmulus fluminum quorundam, quæ in Hiſpania, penes Herodoti teſtimonium, in ſcaturigine dulcia ſunt, amariſſima in progreſſu. Affatim illi fuit pabuli in ætate annorum octodecim: Quippe venuſtiſſima Princeps Catharina de Arragonia, quæ nupſerat Principi Artu, ante matrimonii conſummationem marito orbata, indulgente Romanâ Sede, deinde Henrico defuncti fratri deſponſata fuit. Henricus laſciviæ faſcinationibus excœcatus, tam ardebat amore Annæ Bolenæ, ut ad hujus formam illi ſordeſceret Catharinæ dotatiſſima ſpecies. Univerſum Londinum lachrymarum innatabat mari, Catharinæ numeris omnibus abſolutum corpus, exſuccæ, proceræque (perticam dixiſſes) Annæ poſthaberi. Henricus ſuavia ſceleſtæ manui imprimebat, Reginâ dexteram nævo carentem, juſsâ obducere chirotecâ: Primæ ſiquidem agnato inconcinniter digito, manus dehoneſtabatur, cujus quoque mentum protuberans tumor devenuſtabat; ubi Catharinæ collum, ceu columna alabaſtrina, fulgebat, ne locandæ ſpei locus deeſſet Henrico. Oris decus poſſidebant in Catharina Gratiæ ridentes. Quiſquis ſpectabat in perditâ, & perfricatæ frontis fœminâ, pallorem, quo facies ſpargebatur, os edentulum, oculos nullâ ſerenitate

ridentes,

ridentes, Lutheranâ præditam animâ, profectò ſui metam odii conſtituere compellebatur. Inſuper ſpuriis ſata natalibus, quæſtuoſo ſcorto, incompertòque parente, putativi genitoris famulo virginitatis florem, delibandum ultro propinavit, ſuique corporis copiam facere non erubuit. Adde ſexcentas alias labes, unde Sapientibus exoſam ſe ſe probabat. Attamen Henricus non dubitat Catharinæ repudii libellum porrigere, cum Eccleſia divortium inire, Annam uxorem ducere; cujus inceſtuoſæ Nuptiæ, reciſis Joannis Ficher Epiſcopi, Thomæque Mori, ſupremi Regni Cancellarii capitibus, celebratæ fuêre, nec non Carthuſianorum internecione, dum ad unum omnes deſiderantur; Eliſabetha verò ſanguinolento matrimonio procreata, innoxio Mariæ Stuardæ, Scotiæ Reginæ, ſanguine manus maculavit, at cœlo pœnas dedêre rigidiſſimas tot ſcelera. Anna utpote adultera in medio foro capite diminuitur. Henricus ſuarum factus eſt uxorum carnifex, quoniam veneno ſuſtulit è medio nobilem fœminam Seimeram, Parram combuſſit, Annam de Cleves repudiavit, decollari mandans longè formoſiſſimam Auvardam. Hinc perbellè elegantiſſima, amœniſſimaque Silos Muſa modulatur;

Conjugis egregii ſunt hæc data munera ſponſis
Exilium, carcer, flamma, venena, chalybs.
Cumque ſuas vario nuptas confecerit ictu,
Tandem ſacra Agni ſponſa perempta cadit. *Muſ. Can. l. 2. Ico. 10.*

Itaque invectam tam animo, quàm Regno hæreſim, longè lateque graſſari, radices profundiùs agere, amariſſimis lachrymis Roma deplorabat. Cùm ecce graviſſimâ infirmitate Henricus corripitur, ac propemodum opprimitur; tandemque letho propinquus, antequam animam efflaret, hocce protulit effatum; *Perdidimus omnia.* Regnum, corpus, anima peſſundata ſunt, periêre.

12. Hinc ex inauſpicato hujus Angliæ Regis exceſſu, ac exemplo, depromere eſt, laſciviæ reatum id perpetrare, quod in bello Jeroſolymitano pius Bulio. Uſque in hodiernam diem Lotharingici ſtemmatis inſignia gentilitia, tres aves uno ſagittæ confectas ictu veneratur Orbis, ad id ætatis triumphantia florent. Originem haurito exactâ attentione. Gothefridus Bulio, Lotharingiæ Dux, ſanctam *Claud. Paradin. in ſym. hov.*

 Civita-

Civitatem obſidione cingens, jaculatus ſupra Davidis turrim ſpiculum, tres aves trajecit; unde captare licuit victoriæ præſagium, regiæque magnitudinis fauſtum omen. Ergo laſcivia ſuis ſectatoribus, uno ictu triplex vulnus infligit; Exiſtimationem occidit, corpus interimit, animam condemnat. Henricus, hujus nominis Octavus, apud Poſteritatem infamiâ famoſus, & extinctus eſt, & æternis flammis mancipatus. Unâ in ſede morari nequeunt animæ ſalus, corporiſque licentia. Si Spiritum carni copules, videlicet mortuo vivum, utrumque marceſcunt; Haut ſecus atque cùm dirus Mezenzius cadaveribus corpora viventium comittebat, tam Tyrrhenorum, quàm tyrannorum Rex. Itaque vivus moriebatur; cùmque fuiſſet impar ſuâ vitâ mortuo vitam largiendo, defunctus ſuâ morte mortem vivo communicabat. Hoc igitur efficit, ac præſtat, vivo mortuum inſerere, videlicet Spiritum carni. Caro mortui munere fungitur, Spiritus vivum eſt, inquit Apoſtolus. *Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto.* Spiritus clamat pœnitentiam, aſperitates, caro deliciarum dulcedinem corrumpendo Spiritui. Caro claudit oculos, ne ſuum agnoſcat bonum, Spiritus in tumulo pupillas perpetuò defigit. Quicunque carnis migrârunt in prædam, mortui ſunt. Atque ad crudele Mezenzii inventum reſpiciens Clemens Alexandrinus, nobis conſulit, ut, ne moriamur in anima, non ſolùm laſciviæ renunciemus, ſed inſuper libidinoſûm declinemus commercium nobis corrumpendis idoneorum; *Cave, cave, ne te barbarus dæmon mortuis alliget amicis, & cum illis computreſcas.* Quod oraculum perpetim ruminemur, etiam, etiamque, quæſo, nec non hortor. *Exor. ad Gent.*

13. Quis autem, immortalis Deus! nobis in hac morte Laſcivâ lethi vitam pollicetur, ac tribuet? Tetrica cogitatio. Job exclamat contra carnis aſſultus, *convulneravit lumbos meos.* *c. 16.* Carnem in foveâ in cinerem reſolutam perpendendo, Spiritus reviviſcit. Salomonem audire ne pigeat, laſciviæ ſordibus & immerſum, & inquinatum: *Memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis.* *Eccl. c. 7.* Divus Bernardus ita exponit: *Non dicitur memorare primordia, aut media, ſed noviſſima, & non peccabis. Validior enim, & vehementior eſt Spiritus timoris, ad reſiſtendum peccato, quàm pudor, & dolor: Quia pudor de ſimilitudine, & dolor de qualicunque hujus mundi conſolatione,* *Ser. de pr. med. & noviſſ.*

capit

capit ſolatium; timor verò non invenit, ubi conſoletur. Dolori lenimenta parantur, metus autem omne ſolatium eliminat; hicque illo validior, ac vehementior habetur.

14. Semet animat Regius Vates, *non timebo, quid faciat mihi caro.* Unde tam cordatus evadis? Quia *ab altitudine diei timebo.* Os ſublimè fero, Solem aſpicio elatum, perpetim perpendo diem jam adultam, maturamque, & ad occaſum vergentem. Hìc agnoſco vitæ meæ unam deeſſe diem; ac in Solis occaſu meum contemplor, lethumque appropinquans. Hinc ſtrenuè eructo, *non timebo quid faciat mihi caro.* Non oſcitanter, nec perfunctoriè, ſed putidiuſculè recogitemus, quotidie nos propius ab ultimo ſtare. Non Planetarum Principem, ſed menſuram ejuſdem itineris, in ſolari horologio conſiderans meus ingenioſiſſimus Cudner, in hocce morale dictum reſolvit linguam: *Pſal. 55*

Itque, reditque viam conſtans, quam ſuſpicis umbra.
Umbra fugax homines non reditura ſumus.

Quì proinde, examinando anguſtam vitæ periodum, neceſſitatem mortis, æternitatis ſtatum immutabilem in calculos revocare aut reluctamur, aut cunctamur? Cur adhærentes luxuriæ cœno, ſalute animæ noſtræ ſuperſedemus, non erigimur? tumuli contemplatio vigorem miniſtrabit conantibus, nutantes fulciet, imbecillos roborabit, exorbitantes ad virtutis rectam inflectet, præſto ſingulis erit, nulli non aderit, dum omnibus enixiſſimè cupit.

15. Elabitur Propheta Elias, impiâ Jezabel inſidias ſtruente; amque, præ rapidâ languidus fugâ, *projecit ſe, & dormivit in umbra uniperi.* Sed ecce, ſexcentos inter ridentes fulgores cœleſtis Paranymphus, melodâ voce peregrinum innoxium alloquens: *Surge,* *3. Reg. 19.* *& comede, grandis tibi reſtat via.* Oppreſſum itineris incommodo, quod recreabit ſolatium, quale refocillabit levamen? *Reſpexit, & ad caput ſuum ſubcinericius panis.* Ubi nunc ſuaviſſima cœli Ambroſia? Ubi nectar? Ubi Moyſis coturnices, quarum volantibus ſuppeliis compenſabatur arida arenarum Sur vicinia? Elias fugitivus ſtat pro laſcivi ſymbolo, cui volupe, voluptatum terrenarum ſub umbrâ omnum carpere: *Nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſ-*

tra.

tra. Defeſſus elanguet, *laxati ſumus in via iniquitatis.* Confeſſarius, Concionator, Angelus, Gratia, ad eum excitandum conſpirant, *ſurge*, in ſpem æternæ ſalutis erigere maturant proſtratum: Excute te tuis ex laſciviis, lethargum exuto, *ſurge*, *ſurge*. Quo autem fovebuntur vires defatigati? *Ecce ad caput ſuum ſubcinericius panis.* Perpendas, cunctas libidinis flammas, ſepulchri cineribus extinguendas venire. Lethum conſidera, mortis refricato memoriam. *Per juniperum* (effatur Albertus Magnus) *qui pro foliis ſpinas habet, & projicit umbram, intelligitur pungitivi ſæculi delectatio. Ille igitur dormit ſub umbra juniperi, qui putat quietem, & delectationem invenire in ſpinoſis gaudiis hujus ſæculi. Hic ergo excitatur gratiâ Dei, invenit ſubcinericium panem, in quo eſt memoria, ut cogitet ſe in cinerem reverſurum.* Laſcive, æmulare argeam, Græcis erodium; quæ, teſte Galeno, cinere paſcitur. Cinere ſiquidem cibatus, haut in tam obſcœna te prolapſum deplorabis. Jeremias gravi ſupercilio quendam libidinoſum intuitus, medius inter ſuſpiria efflavit: *ſordes ejus in pedibus ejus.* Unde fluunt, quo manant fonte hæ labes? *Non eſt recordata finis ſui;* Legunt ſeptuaginta, *noviſſimorum ſuorum.* Mortem neglexit expendere. E regione omnia animantia, arcæ clauſtris circumſcripta, ſobria, & continentia fuiſſe, teſtatur Abulenſis. Cur? univerſa arca cadaveribus circumdabatur, & morte. Hinc intrinſecus nulla regnare poterat Laſcivia.

ſer. Dom. 4 Quad.

Quæſ. 4.

16. Igitur cuſtodiendæ puritati, vel aſperrima quæque alacriter ſubire expediret. Attamen hoc haut præcipit, niſi præfervidi ſpiritûs ardor, non rationis dictamen. Uni ergo letho tuas mancipato cogitationes. Non ergo repetam acta tot pientiſſimorum; qui, pro tutando illibato candido candidiſſimæ virginitatis flore, in ſemet animadvertere, deſævire, rabidorum vice tyrannûm, barbarâ lanienâ minimè dubitârunt. Unum duntaxat Johan. Baptiſtam contemplari juvabit; ad quem converſus, ſic effari auſpicor: Innocens parvule, quò tendis, quò properas? Radiantiſſima lucerna, tua lumina deſerti cimmeriis, & umbris invehere maturas, ac amas? Deprehendo promoventem greſſus, molientem veſtigia ad ſteriles pumices. Tenellas frænat plantas ſub plantis frontibus viduatis, non ut virore cujuſdam herbulæ naſcentem futuri Meſſiæ ſpem alat, aſt pœnitentiæ rigorem ſubiturus. Generoſum ſanè pectus, dum per populoſarum

rum urbium attritum, ad mœſta ſpelæi ſilentia prægeſtit, exultat. Nudo pede faſtum calcat, atterit pompas; Abhorret, humo cubans nudâ, mollitiem thalami, acutaque premendo ſaxa, magnanimo corde ſæculi pariter chariſmata conculcat. Locuſtæ fercula præbent ambroſiâ ſaturando. Quid audes tantillus, quid ætatem ſupra moliris? Tuimet carnifex, corpus lancinare non dubitas, diſcerpis catenarum verberatione, ex laceris artubus ſanguinis effluit unda, quem molles erubeſcant regnantium purpuræ. Quo percitus ſtimulo immitiùs, quàm pro humanâ pietate te habes? Ut petulantis carnis titillationem compeſcam, ne immaculato virginitatis lilio labes aſpergatur: Mihi ſiquidem perduellis ſensûs technæ, vaframentaque ſufferitim ſubolent. Deplorati laſcivi! Cùm infans ſubjaceat aſperrimis, ſervetur ut illæſus à libidinis cœno; Cur vos jam ſordidati, ſaltem lethum non expenditis, mundandi ab impactis Cyprinæ quiſquiliis? Amabò; numquid Jo. Baptiſta eſt Chriſti Præcurſor, ac prodromus, Numini conjunctus agnationis ſuffragiis, Vox verbi, pluſquam Propheta, Angelus Teſtamenti; quo majorem nec attinæ, nec cæmentitia mœnia, nec aliqua cœli concamerata teſtudo, aut fornix circumſcripſit? Ceu Chriſti præcurſor, maternâ in alvo ſanctificatur; Chriſtum, cùm linguam relaxando non erat, confeſſus eſt; exultando applaudit univerſi jubilis, cum pedes maternus implicat uterus: *Exultavit infans in utero ejus.* Cujus oculi nondum patebant Solis radiis, & tamen inter ventris umbras Solem aſpiciebat: Antequam Phœnix, aquila generoſa. Obtutus defixit, Solemque rimatus carnis exuviis circumdatum, lucem ſibi conciliavit, atque jubar: *Ut teſtimonium perhiberet de lumine.* Nondum natus, Perſarum perfidam ſuperſtitionem profligat: Qui Solem adorantes, alienæ luci tenebræ opponebantur, qui in Oriente æternæ mortis occaſum offendebant, inque Sole Planeta viduabantur illo Sole, qui *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Mortalium nullus, hujus infantis decorem perpendens, atque magnitudinem, admiratione non tenetur. Diogenes in meridie germanum quærebat hominem, prælucente lucernâ, *hominem quæro.* Baptiſtam ergo ſpectemus, qui, ſecundùm Evangelicam veritatem, *fuit homo.* Illi verò lucerna non fuit opus, quia *ipſe eſt lucerna ardens, & lucens.* O magnus homo, ô magnus Sanctus, ô magnus Jo. Baptiſta! *Inter natos mulierum*

non ſurrexit major Joanne Baptiſta. Attamen deſertum petit, in Solitudinem ſecedit, inter barbaræ eremi fallit inhoſpita; corpus macerationibus affligit, ne virginitatis ſuæ theſauros deprædetur libido. Tantæ molis eſt honeſtas, pudicitia, virginitas, quin imò nondum finis. Herodes Antipa ſuo Fratri Philippo formoſam uxorem Herodiadem ſurripit. Præcurſor reum inſimulat inceſtuoſæ laſciviæ, vel mortis ſententiam aſpernatus, dummodo auſpice cœlo daretur errantem reſipiſcere, nec non expiare crimen. Hinc hilari aurâ, ſereno oris habitu ſecurim præſtolatur, ſecurus à metu; capiteque damnatus, caput deſinit, laxatis habenis in ſceleſtum, ut revocetur à mendis, invehere. Reciſum caput cervice depellitur. Flavum capillitium proprio ſanguine rubeſcit. Halitus tepido, purpureòque ſuffocatur in flumine; quique ſaltu pedum præcurrit vivere, capitis ſaltu propriæ vitæ finem impoſuit.

17. Nunc, ô laſcivi, in obſcœnis caſtitatis gazas diſſipate. O improvidos, ô fatuos! Qui fuêre libidinis mancipia, modòque defunctis adſcribuntur, dolorem ſuum undique diſſeminant; *Pertranſivimus de ſæculo, ut locuſtæ, & vita noſtra, ſtupor, & pavor.* Æſtivâ tempeſtate locuſtæ omnia prata occupant, obſident, delicias inſident, devaſtant arva, depopulantur agros: *Nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra.* Eccleſias profanant, plurimas dehoneſtant ædes, civitates corrumpunt. At quàm citò earum vita abſolvitur! Quàm celeriter pertranſeunt! *Pertranſivimus de ſæculo ut locuſtæ.* Cur tam perniciter mortem appetitis, cur lethum ultro properantes accerſere cupitis? Amaturi modicum cineris. Tu, ſordide Narciſſe, venuſtatis idolum adoras. Aſt audi illud Sapientiæ; *Cor inſipiens adoravit illud. Pars ejus cinis eſt.* Repetit proinde Divus Gregorius:
l. 16. Mor. c. 31. *Nihil ſic ad emendandum deſideriorum carnalium appetitum valet, quàm ut unuſquiſque hoc, quod vivum diligit, quale ſit mortuum, penſet.* Penſiculato, ſordide amaſie, amaſiæ qualis futura ſit ſpecies in tumulo; cùm vermium eſca, ſerpentum pabulum, graveolentiam marcida caro halabit, fœtoreque omnia corrumpet.

18 Referam hìc locorum (nec abs re) quod in actis Patrum Occidentalium Benedictus Gononi in ſexto Libro recenſet. Raymundo Lullo Majoricæ Regis Architriclino, ſed effrænium ſuarum cupiditatum ter laſcivo mancipio, mulier natalium ſplendo-

re

re præfulgida ſpectabilis fuit. Videbatur, amorem atque naturam in illa gemmatam, floridamve venuſtatem formâſſe: Quippe in oculis, queis erant lumina extingui neſcia, amoris ſapphiri ſcintillabant; frontem liguſtra poſſidebant; genas inter lilia miſta roſis vernabant, nunquam caduca; labiorum corallia cum dentium certabant ebure; lacteo candore delicatæ manus velabantur: Graphicéque exornata, comptaque dulciſſimam ſuavitatem intuentibus ſpirabat. In hoc animato tempe, Raimundi ſpes efflorеſcebat. In hoc ſpiranti theſauro, illius cor amore diteſcebat, ut perditè amaſiam, deperiret, cui penitiſſimè cupiebat. Quadam die templum ingredientem offendens, dum equo in foro inſidebat, eò fatuitatis devenit ſufflante amoris folle, ut unà cum equo inopinanter in Eccleſiam ſe intruſerit. Cachinnis, clamoreque circumſtantes proſequuntur enthuſiaſmo obſeſſum; quique ſuſpiciebatur Oraculum, civitatis fabula deſpicitur. Mulier ergo periclitanti conſultura tanti viri famæ, & ſaluti, annuente marito, in ædium penetrale ſuum amatorem inducit. Raymunde (inquit) quid hoc conſilii eſt, uti me depereas? Eſt, quod doleam, cùm enim mei flagras amore, quid fœtidum diligis, putredini cupiens. En ſæculi technas, cujus venuſtiſſima, larvam ſi detrahas, fucumque removeas, præ deformitate tibi formidinem, & horrorem incutiant. Meus ſi tibi vultus à paradiſo non videtur abludere, meum pectus inferni ſimile ſcias. Ne tædeat hunc ſpectare ſinum, dum tuarum deliciarum theatrum conſtituis. En nauſeoſum cancrum, qui, ſerpendo carnem devorans, vermium generat copiam. Oris roſæ odores polliceri mentiuntur; at inde tam ingratus fœtor erumpit, ut mihimet me gravem deplorem. Ergo quantum temporis tam ſordido amori impendiſti? Quot ſuſpiria traxiſti? Quid hæres? Excitaminor ardentiùs in Numinis amorem, & amplexus, ex terrenorum bracteatis calliditatibus, quorum amorem felle, quàm melle fœcundum ſugillo. Scias, non fortunæ, ſed Numinis, arbitrio ſuo cuncta naturantis, beneficium eſſe, te ſolvendi libidinis laqueos anſam arripuiſſe. Antequam in vacuâ colo tuum deficiat ſtamen, te cœlo mancipato, grateſque repende tanti chariſmatis largitori. Raymundus, quantus lachrymis obrutus, ſuperioris ætatis admiſſa redimere meditatur, cœleſtium calet cupidine, Cupidini infenſus. Jam Aulæ valedicit, jam ſubſtantias ſuas pauperibus erogat, jam librum

exarare tentat ad convertendos Mahumetanos, Saracenoſque. Annorum quadraginta Pariſiis Grammaticæ ſtudet; cujus mens ſuperno illuſtrata lumine, ſcientias momento imbibit, ac haurit. Jam callet trinum idioma, Latinum, Arabicum, Hiſpanum. Centum ac unum de viginti Opuſcula totidem linguis conſcribit; quæ communi emolumento paſſim Orbe toto circumferuntur. Ac tandem ſanguinis ac vitæ prodigus, lapidum imbre Tuneti obruitur; cujus exanimato cadaveri cœlitus radians ſurgendo incumbebat pyramis, in miraculi teſtem. Itaque ad Chriſti voces, *Raymunde ſequere me*; Ad horridum ulceroſæ mulieris ſpectaculum, ex libidinis mancipio evaſit cœli pugil, ac ſtrenuus athleta. O Laſcivi, alieno eruditi exemplo, veſtrarum amaſiarum expenſis ſordibus, immundum deteſtaminor amorem, ſuccenſete impudicitiæ. Si enim candida pellis mulieribus, quarum amore flagratis, detrahatur, qua velantur, nil niſi horror, ac fœtor occurret. Vobis conantibus, atque cœcis affulget lux cœleſtis auxilii, ut ingeminare mereatis *poſt nubila Phœbus.*

19. Attamen repeto; quid ames ſcire deſideras? Denudabo. Quem tui ſcopum amoris tibi præfixiſti, tuam ſcito mortem, ſub venuſtatis larvâ perſonatam. O fallax pulchritudo! O Sirenem uſque ad exitium dulcem! Tu particeps, tu complex homicidiorum, proditionum; tu ceruſſatum toxicum, ſpecioſa ſagitta, ſcintillans fulmen. Huc, huc Veneris mancipium. Scytalem Africæ ſerpentem contemplator; licet enim animatam redoleat peſtem, vivens venenum, vivam mortem, ſinuoſum exacerbati Numinis flagellum; licet exigua, haut exiguam dentibus moliatur offenſam: Attamen ſerpentium hac nulla formoſior occurrit; cui inſerta venuſtas, quà eſcæ, quà laqueo eſt. Ex antiquis cœli diris, lento veſtigio ſerpens obviat ſerpens. Incautus peregrinus attonatur ſpectaculo delicatæ picturæ, cui imparem ſe fatetur penicilli peritia. Obſtupeſcit aurum, quod theſaurizat in dorſo. In ſolo animatos quoque cœlos reperiri, non animi pendet, haud obnoxiè affirmat: Quippe in illâ pelle ſphærarum cæruleum colorem diſcriminat, auroræ candorem, ſtellarum ſplendores. At Scytale, dum ille ſolertiùs aſpicit, pedetentim appropinquat, mordet, veneno inficit Spectatorem ſuum; *Et quos aſſequi non poteſt, miraculo ſui ſtupentes capit*, aſſeverat Solinus. Scytale in terreſtri paradiſo,

diſo, vaferrimus ſerpens impoſuit primæ parenti. Quot autem ætate noſtrâ pluſquam ferreâ, per urbes Orbis ſpatiantur Scytalæ, captum improvidos? Mulieres ore formoſo, animo deformi; blandæ verbis, venenoſæ factis. Ad inſtar Laertii virginum, oſculando perimunt. Animam inſuper occidunt, *& fit in corporis ſepulchro vivo*, effatur Divus Petrus Chryſologus: *Funus animæ jam ſepultæ.* Ser. 18.
Hinc in obitu Claudii Imperatoris Seneca efflavit: *deſiit videri vivere.* Animam hujus deplorati Monarchæ libido interfecerat, à vitiis tranſverberatam comperimus. Vivere mentiebatur, ac ab exceſſu *deſiit videri vivere.*

20. En amariſſimos laſciviæ fructus, en Sæculi voluptates fallaces, en voluptuoſum nunquam voluptuarium! Chriſtus apud Divum Lucam dixit, *videte ficulneam, & omnes arbores. Cùm producunt jam ex ſe fructum, ſcitis quoniam prope eſt æſtas. Ita & vos cùm videritis hæc fieri &c.* Progreditur Divus Gregorius: *Sicut ex fructu arborum vicina æſtas agnoſcitur, ita ex ruina mundi prope eſſe cognoſcitur regnum Dei. Quibus profectò verbis oſtenditur, quia fructus mundi, ruina eſt.* Attamen ſtolidus homo, jejunâ aviditate mundanis inhiat deliciis. Mihi liceat laſcivis propriam objicere fatuitatem, argumento ex inſenſatis eruto. Multi pretioſi lapides mirâ vi pollent, ac virtute. Cinædiæ æquoris habitum colore præſagiunt; magiſque Æthiopicus mutatur hyacinthus, juxta cœli ſerenam, nubilamque faciem. Sapphirus ſpectantium imaginem reddit. Smaragdus bubonibus exhibitus, extemplo illorum pupillas diſrumpit. Pyrites accendit arctiùs ſe manu comprimentem, ſtringentemque. Ceraunia ſtellis expoſita, illarum radios, ſimilitudinem, figuramque in ſe derivat; ut, fulgores vibrando, in terrâ cœli ſtellam opineris. Selenites ex candido tranſlucens, melleo fulgore, imaginem Lunæ continens, eam reddit in dies ſingulos, creſcentis, minuentiſque numero. Quæ gemma annexa corpori, Lunæ auctis, entheatum geſtantis pectus efficere dicitur. Sapphirus Principum gratiam conciliat. Adamas adulteri tori turbat, removetque ſomni otium. Nunc ad Laſcivos, quos ego. Smaragdus frangi dicitur, ſi contingat laſcivis voluptatibus intereſſe. Inſenſatus lapis tam ſordida ſtomachatur, nec voluptuoſus erubeſcit? Smaragdus in fruſta reſolvitur, hiſque videtur alloqui libidinoſum; ô Veneris mancipium! Pœnitu-

Cap. 12. in Luc.

dinis malleo tui cordis rumpatur durities, dum ego meâ viriditate ſpem tibi veniæ, vitæque polliceor, ac ſpondeo. Itaque emollitus laſcivus, proprii cadaveris cinerem perpendat, lethique meditatione effrænes appetitus eradat, concupiſcentiæ flammas penitus extinguat; quoniam teſtatur Cellenſis: *Meditatio mortis, veluti novaculâ acutâ radit renaſcentia quotidie ſuperflua deſideria carnis.*

l. de pœn.

21. Non ego vitæ ſpe depelli me patiar, quam ingenito virore Smaragdus nobis ingerit. En corporis vitam! Thalamus Saræ Raguel filiæ, ſeptem ſponſis migrârat in tumulum, quod & juveni Tobiæ poſſe contingere videbatur: *Cùm paraſſent foſſam, reverſus Raguel ad uxorem ſuam, dixit ei: mitte unam ex ancillis tuis, & videat, ſi mortuus eſt, ut ſepeliam eum, antequam illuceſcat dies.* Tobias autem vivus inventus eſt, abſtinendoque à complexu carnali, integrâ nocte profundæ contemplationi vacavit, inſuper fundens preces præfervidas: *Opportunè itaque quem memoria mortis à carnali copulâ retraxerat, vivus invenitur; ut diſcamus, nullo ſalubriori remedio carnalia coërceri, quàm ſepulchro.* Appoſitè Ambroſius. Longè venuſtiſſimi ſponſi, queis haut tumulus effodiebatur, extincti reperiuntur; Tobia, cui fovea patebat, à carnali copulâ avulſo, vivo; *Quæ ingreſſa cubiculum, reperit eos ſalvos, & incolumes.*

Ser. de mor.

22. Noviſſimum affero argumentum, unde Mortales reluctentur obſcœnis actibus; quoniam cùm lethum audiat echo vitæ, laſcivæ vivendi normæ non diſpar exitus, morſque reſpondebit, laſcivuſque æternis Cocyti flammis mancipabitur. Thecuites ita Davidem allocuta dicitur: *Omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur.* Non dixit, ut aqua, quæ ductus, canaleſque perfluit, ſed per terram dilabitur: Quandoquidem aqua dilabendo per ductus, nullum attrahit petræ, plumbique ſaporem. Sin per terram pertranſeat, hujus quà ſaporem, quà qualitatem participat. Æquâ lance Libitina vitæ ſaporem induit, ut laſcivam vitam laſcivus maneat exceſſus. Efficax igitur reperitur lethi cogitatio, adverſus libidinis impetus; quæ effœminat, delumbat, enervat, evirat vel lacertoſiſſimos quoſque, incolumitatem, ſalutemque tàm corporis, quàm animæ proſcribit, eliminat, extorrem efficit. Qui verò ſe ſe ab hac peſte uſque ad id ætatis illæſos, incorruptoſque ſervarunt, dum alieno ſapiunt e-

2. Reg. 24.

xem-

xemplo, lynceis invigilent oculis, quò minùs hujus faciendi periculum, animum cupido ſubeat. Igitur ne hujus documenti caſtis ſubrepat oblivio.

IRACUNDI,

NEC NON

VINDICTÆ CUPIDI

AD

FONTEM.

CAPUT XVI.

1. IRa, quâ Mortales vehementi metamorphoſi, in feras migrare
conſueſcunt, Regiaque animæ mutatur in Circes domicilium,
ubi ratione præditi in beſtias degenerant; haud eſt aliud, ſuffragante
Divo Joanne Damaſceno, quàm *fervor ejus, quia circa cor eſt,*
ſanguinis, evaporatione fellis, vel perturbatione fiens. Hinc Hugo, *Lib. 2. cap. 16.*
ira eſt irrationabilis perturbatio mentis. Tullius progreditur, illam- *l. 2. de Sacr.*
que definiens exclamat: *ira eſt libido puniendi ejus, qui videtur læſiſſe*
injuriâ. Itaque alta lethi cogitatio, fremebundi, ebullientiſque ſan- *l. 4. Tuſ. quæſt.*
guinis fervorem tranquillabit, iram decoquere docebit, vindictæ
impetum refrenare, cùm maximè recrudeſcit, donec reſederit, nevè
ampliùs in ultionem ſpumet. Admodum exoticam taxo Bellerophontis
fabulam, monſtrum chimæram; quod flammas evomat,
capite, & pectore leonis armetur, ventrem autem capræ, & caudam
draconis habeat, interimentis. Poëtarum verò figmenta eò
collimavere, ut denudarent, ope Bellerophontis Chimæram Lyciæ
montem, inſtar Ætnæ, flammarum incendia eructantem; cujus
jugis ſævi leones inerrabant, radices venenoſi ſerpentes occupabant,
armentorum paſcui inviſi, in libertatem fuiſſe aſſertum,

ac vindicatum. Spectatur penes Virgilium:

Æneid. 6. - - - - - *Flammiſque armata Chimæra*;

Conglobatoſque (horribile dictu) ignes in cœlum eructans, tantum incendium nullo extinguendum declarat Oceano. Sed Plinium audiamus: *Flagrat in Phaſelide mons Chimera &c. Ignem ejus accendi aquâ, extingui verò terrâ, aut fœno, Gvidius Cteſias tradit.* *l. 2. c. 106.* Quì fervet iracundorum ſanguis! Quì exardeſcit vindictam anhelantium ſitis! Sint in fermento; detumeſcent odia oppoſito caduco noſtræ fragilitatis fœno: *Omnis caro fœnum*: Terraque miſerabilis ſepulturæ. Mortem perpenditote, qui mortem aliis machinamini. Furibundos alloquor, ad armatos meus dirigitur ſermo. Cùm autem circa ferrum volvar, mea loquela ferrea continget; verbaque faciens de gente ſuis in furiis cœcâ, orbabor Rhetoricæ luminibus. Rurſum invecturus laxatis habenis in irâ lymphantes, exorbitanteſque, nulla methodus, ordo nullus ſervandus venit.

2. Ut inanis animi tumorem deponat iram, minarum ſpirans, præſentiſſimum exhibeo remedium; de qua animi paſſione Jobus affirmavit: *Virum ſtultum interficit iracundia.* *Cap. 5.* Salomon autem, *zelus & Iracundia minuunt dies, & ante tempus ſenectutem adducunt cogitatus.* *Eccl. 30* Ad Ariſtotelem confugio, qui, perpendens in Alexandro excandeſcentiæ vim, iræque Imperium, dum Clytum furori ſuo victimam immolat, ob leviſſimam cauſam, hoc documentum ei reliquit: *Excandeſcentia, & ira non in pares, ſed in meliores exiſtere ſolet*; *Tibi verò nemo par eſt.* Hoc autem remedium in Reges, Magnateſque duntaxat quadrare videtur, nec non in ſanguinis nobilitate, ſplendoreque præſulgidos. Lethi verò cogitatio, quà præſentiſſima, quà communis habetur medela. Sepulchralis lapidis marmori quivis pes impingit, unuſquiſque Mortalium laſſatur. Solem perinde atque Syderum minima, occidere comperimus, omniaque ad languorem, ad interitum dari, properare.

3. Job, juſtam Numinis iram emollliturus, eidem objecit: *Memento quæſo, quod ſicut lutum feceris me, & in pulverem reduces me.* Furibundi maris impetus exigua littoris frangit arena. Hinc deſævientis Iracundi debacchantem animum, aridi pulveris modicum erit compeſcendo; ut cùm maximè in fermento eſt, detumeſcat,

iram-

iramque decoquat. Ex divinæ providentiæ præſcripto, ibi naſcuntur antidota, ubi venena. Prope Napellum germinat antora, illius malignum ſuccum extinguens, ac opprimens. Africa ſerpentibus ſcatet. At Pſyllos habet eorundem acerrimos hoſtes, queis deſtruuntur. Ubi ſerpunt dipſades, ibi fraxini flores erumpunt, unde exulare coguntur. Ægyptus obnoxia dicitur crocodilorum aſſultibus: Nili quoque tractum infeſtant. Hinc ſitibundus canis littora petens, *bibit, & fugit.* At ibi reperitur mus Indiæ, adverſarius implacabilis. Scorpionis caudam virulentam agnoſcimus, ſed & vulneri inflicto medetur, quemadmodum vipera. Ergo dubio procul iram tuis viſceribus ingenitam ſerpere, ſanguinemque ebullire, confiteor. Verum enim verò in temet tui cadaveris cineres geſtas, utrique ſedando peridoneos. Cùm autem mortem perpendere cunctaris, ira in odium degenerat, in ultionem odium. Differunt inter ſe hæc duo, licet odium iræ ſit filius, hæcque in illud migret, *Ira inveterata odium eſt: Ira turbat oculum, Odium extinguit; Ira feſtuca eſt, odium trabs: Homines quotidie iraſcuntur filiis, non tamen oderunt filios.* Egregiè Divus Auguſtinus de morte. Ut ut autem inter iram, odium, ultionem intercedat diſcrimen, remedium unum ac idem eſt, quoniam huic trino lethi memoriam medicinam intelligimus.

4. Medicinalis petra Bezzahar in viſceribus cujuſdam animantis, ſylveſtribus ſimilis capris, generari dicitur. Hæc generationis ſeries contexitur. Illa bellua Peruanos percurrit agros, ingreſſaque cavernas, ſerpentes halitu foraminatis ſilicibus, ſaltuoſiſque locis extrahit, quos avidiùs deglutit; Deinde ad Fontem properans, ad inſtar cervi, tamdiu undis manet immerſa, donec noxium virus retuſum experiatur. Quo expleto amœna ſpatiatur per arva, ut opportunis foliis, herbiſque ad propulſandam ſerpentini cibi malignitatem paſcatur. Itaque tam ex veneno, quàm ex herbæ alimento Bezzahar emergit; cujus nomen, juxta Græcum etymon, venenorum dominus audit. En moralitatem! Repentinus caſus læſionum tibi ſerpentes exhibet, ſenſu ad illos deglutiendos te compellente. Ergo priuſquam deſcendant iraſcibilem venenaturi, peſtiſque diffundatur repreſſa, præpes ad noſtrum moralem Fontem currito, ſepulchro per cogitationem te immergas, ac tam diu immorare contemplationi mortis, circumdatus cadaverum umbris, vermiùmque ſatellitio,

donec cor tuum furibundum virus exuerit, aut mitigaverit. Sic odii generationem neſcies, amoris ſcies. Sic tuo cordi inſeretur genuina bezzahar petra Chriſtus, *petra autem erat Chriſtus*: Nec non tartareorum draconum virulentis inſultans morſibus, ſupra debellatas animi paſſiones, triumphatumque venenum, victricia vexilla expandes.

5. Igitur curre, vola ad Fontem, Iracunde Narciſſe, jam jam ſerpit odium, tuâque gravidum pernicie, tuiſque turbidis cogitationibus, Vindictæ viperas parturit. At citra vindictam, lethum tuis infirmitatibus medebitur, mortis cogitatio præbebit medelam: *Noli de mortuo tuo inimico gaudere, ſciens, quoniam omnes morimur.* (*Eccl. cap. 8.*) Mortis cogitatione erudieris vaginæ imponere, quod ſtrinxiſti ferrum, ferocientemque Vindictæ æſtu animum cicurare; dum Leonis ad inſtar ſpumat in ultionem, ac cædes. David ingreſſo dormientibus excubiis, & præſidiariis ſomno oppreſſis, Saulis inimici tentoria, licuiſſet è medio tollere, enſe immerſo ſoporati pectori, quem ſibi maximè ſciebat inviſum: At abſtinuit. Aves ſcrutari cauſſam? Os aureum ediſſerit: *Conſpiciebat Saulem dormientem, & de morte communi omnibus philoſophabatur. Somnium enim nihil aliud eſt, quàm mors temporaria, & unius diei interitus.* (*Ser. Dav. & Saul.*) Infelices Narciſſi! Hebræi ad probaticam confugiebant piſcinam ſanandi à languoribus ſuis. Ad tumulum properans, queis viſcera Vindictæ ignis accendit. Lethum ruminentur, ut extinguant odii, & ultionis ardorem. Quàm ferum eſt odium, ac ira! Utrumque ſolicitabant Davidis pectus, ne cunctaretur mucronem in hoſtis ora dirigere. Sed ad hanc cotem pugnaciùs armari reluctans, vel os prohibuit ſub acerbis verbis: *poſui ori meo cuſtodiam, cùm conſiſteret peccator adverſum me.* Ne taxes factum, Regiumque Vatem arguas de puſillanimitate, quoniam *concaluit cor meum intra me.* Curque? *Notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum, ut ſciam quid deſit mihi.* Quippe catenatâ contemplatione, ſuæ fragilitati inſiſtebat, vitæ brevitatem, noviſſimùmque finem perpendens.

6. In Ubaldi ſpeculo ſe ipſum erubuit ſtrenuus Rinaldus, dum Armidæ captivus, voluptatum erat mancipium. Hinc Narciſſo Vindictæ Cupido (niſi detrectet in noſtro ſe morali Fonte rimari) porrò depromere licebit, qui furori ſuo frœnum injiciat, quod minimè mordeat, haut ſecus atque baſiliſcus, in ſpeculo ſeſe ſpectans. Baſiliſ-

cus

cus habetur unicus galli decrepiti filius; in caudâ in undas ſerpente, abludit à patre, cui cæterum cuncta par. Utpote ſerpentum Rex, coronam capite geſtat. Matre caret, ne quid ei de feritate detrahatur; cujus eſt, per lactis dulcedinem filiis pietatem inſtillare. Parente genitus, qui cantu diem provocat, invitat, erumpentem annuntiat, perpetuam ille lethi noctem horribili ſibilo accerſet. Gnarus, Leonem in gallum eſſe propenſum, in patris contemptum, Societatem cum leone ſancire maturat; dum ingens ſtella, quæ cœleſtis in ſinu leonis emicat, baſiliſcus appellatur. Eſt & piſcis nomine baſiliſcus, ut intelligere detur, ubique locorum ſceleſtos occurrere. Itaque hoc monſtro ſævius non invenitur. Ardet in oculis, dum obtutibus venenans, & ſi ſe ſpectet in lucidâ cryſtallo, tam ardentes ſpiritus erumpunt, ut ex repercuſſione ipſiſſimus baſiliſcus ſpectator extinguatur. Ah Vindictæ Studioſe! nedum enſe, ſed etiam obtutibus interficis. Temet ad unguem explorato, ſanguinarie Narciſſe, in propriæ conditionis Fonte; Sicque in te illam animi paſſionem extinctam gaudebis, unde ad cædes impellebaris: *Viſitans ſpeciem tuam non peccabis.* Intuere ſepulchrum, ubi humandum opinaris interfecti cadaver hoſtis; Doceberis tam alienam, quàm propriam mortem contemplari, expleto Salvatoris oraculo: *Qui gladio ferit, gladio perit.*

7. Mirum eſt robuſti rhinocerotis adverſus elephantem certamen. Immanis hæc bellua ad arboris truncum proboſcidem acuit. Ille genitus hoſtis elephanto, cornu ad ſaxa limato, præparat ſe pugnæ, in dimicatione alvum maximè petens, quam ſcit ſuis ictibus perviam. Itaque attritum cautibus in mucronem excitans cornu, in elephantem ſeu rotat, ſeu vibrat, quem denique exenterat. Procumbit elephas, ſuique corporis mole rhinocerotem opprimit. Itaque ſub victo victor jacet extinctus; prædæ pondere prædator opprimitur; triumphati, triumphantiſq; corpora in victricis lethi trophæa degenerant. Haut ſecus homo hominem interficiendo, ab alio ſauciatur, ac perit.

8. Quis fuit in mundo primus homicida? Perfidus Cain, *Cain occidit Abel.* At legunt Septuaginta, *Cain occidit ſe ipſum.* Quì, amabò, hoc contigit? Hominem evitando, Numinis provocavit iram, ac juſtitiam, unde pari fulmine multaretur. Sub arboris tegmine tunc ſubſiſtebat, æſtum Solis obumbratus declinans. Interim

rim prætergreditur Lamech. At aſſurgentis interjectu frondis, ſive virgulti, diſcriminando non eſt, homóne, ferave ſit. Feram ratus, arcum tendit, jaculatur ſagittam, occidit. Cain extinguitur. Quid Lamech feciſti? Quid? *Occidi virum in vulnus meum, & adoleſcentulum in livorem meum.* Cain è medio tuli, ſed quum vibravi ſagittam, deprehendo meum vulnus deſignaſſe; cum à me in Cain pectore aperta plaga, mihi reſtituetur acerbiùs, duplùmque reddetur: *Occidi virum in vulnus meum, & adoleſcentulum in livorem meum.* Uterque interfectus jacuit. Ita contingit, *Ipſi contra ſanguinem ſuum inſidiantur.* Quod Antiochus ſuos oculos viventium paſcebat interitu, coactus dicitur vermium agmina ſua paſcere carne. Cyrus, utpote regii ſanguinis ſitibundus, decollatur; cujus caput Tomyris in utrem humano cruore redundantem demitti mandavit, his verbis inſultans: *Bibe ſanguinem, quem ſitiſti.* Effatur Divus Cyprianus: *Nullius magis, quàm tuæ ſalutis inimicus e .* Siticuloſe Vindictæ, remotiſſimas Orbis pete plagas, in inhoſpitis fallito, deliteſce in ſpelæis, ut ſubtraharis læſi Vindictæ. Non attamen culpæ ſupplicium depones, individuum comitem. Salamandram æmulaberis, dum, conſummato homicidio, ſævitiam in ſemet inflectit, ſemet perimendo. Tu, tu tuus evades carnifex: *Adverſarius tuus tecum eſt,* proſequitur Divus Cyprianus: *Hoſtis ſemper in pectore tuo eſt.* Jam mors certa eſt. Ita cœlitus ſtatutum eſt: *Qui gladio ferit, gladio perit.* Quì proinde lethi formidine, ab inferendâ nece non prohiberis, proximo mortem intentare, molirique non vereris?

Gen. c. 4.

9. Nil tam efficaciter à profundiore excandeſcentiæ, vindictæque gurgite revocat, atque lethi contemplatio. Hac edomatur Vindictæ pruritus. Lazari corpore exivit anima. *Tunc multi ex Judæis venerant ad Martham, & Mariam, ut conſolarentur eas de fratre ſuo.* Cùm ſceleſti Judæi in Redemptoris excidium conſpirârint, cùm ejuſdem aſſeclas furoris ſui victimas decreverint; Cur impræſentiarum acerbi immemores odii, pietatis officiis impenſiùs indulgent, prolixiùs vacare lætantur? Martham, cujus nomen audit *provocans*, inviſum accedunt: Nec quidpiam machinantur. At non obſtupeſcatis, inquit Sanctus Baſilius Seleuciæ. Oculis eorum Lazarus objiciebatur exanimis: *Unde conſolabantur Judæi dilectas à Chriſto cùm inter eos conveniſſet, ſi quis eum confiteretur eſſe Chriſtum, extra Syna-*

Joan. 11.

Orat. 40.

Synagogam fieret? An ob mali communis neceſſitatem? Lethum illos coërcuit, cadaveris horror frœnavit. Nec in hoc homo tergiverſari valet. Neuri duntaxat populi, tradente Solino, æſtivo tempore in lupos degenerant, in autumno ad ingenium revertentes, enſium ſimulacra ſolummodo colunt, homines ſacrificant; Dùmque mortis horrore miteſcendum foret, ſuorum apprimè caminorum ignem mortalium oſſibus augent. Hi populi peculiares habentur. At nulla natio, nulla barbaries tantâ genii feritate laborat, tam corruptis imbuitur moribus, tam exlege lege tenetur, tam vanam ſectatur fidem, quin Libitinæ formidet Imperium, ad inevitabilem lethi neceſſitatem contremiſcat! Mortis memoria vindictam deamantes dearmat, fulmina manibus extorquet. Hujus feræ catenantur pavore, inter ſylvarum opaca. Inſenſata quoque vitis, ſi decacuminetur, gemmat, ac gemit, & niſi maritetur, mortem formidat. Quiſquis ergo Vindictæ cupidine gemit, ſanguinariorum quilibet, foveam cadaverum congerie fœtidam contemplatus, haut ampliùs ſpumabit in iram, ultionem anhelabit, cædibus inhiabit, ſtrages ſitiet. *Hiſt.* 1.

10. Deucalion, Pyrrháque illi conjugio copulata, oſſa magnæ matris poſt tergum jacientes, humanæ ſobolis reſtitutioni conſuluere, juxta Poëtarum figmenta. Olim itaque Mortales ex ſaxo fuerunt effícti. Modò verò tam exiſtunt ſenſiles, ac delicati, uti fera (cui vulgò nomen albane) in aure fel geſtant, ad leviuſculum verbi aculeum exacerbentur, cui læſionis inſit umbra, aut ſuſpicio. Noſtro ævo Mortales nullatenus abludunt à ſerpente eutli; Niſi enim vindictam ſumat, præ rabie rumpitur, atque crepat. Cur autem? Infelices, reducite ad calculos, vos lethum manere. Omni viduati ſenſu, ceu primi Mortales eritis, fabuloſo de ſaxo formati, in quibus acerbitas, ac animi rabies regnabat. Illos potiſſimùm objurgo, qui, antiquum genus crepantes, indulgere dedignantur offenſis. Diogenes animam agebat; Diſcipuli percunctantur: Ubinam ſepulchrum tibi parari mandas? Reſpondit; ſuper teneras aprici campi herbas: Subnectunt; ſic & corvorum & vulturum patebis aſſultibus. Tunc cachinnavit Philoſophus, atque reſpondit: illis arcendis lateri meo ſtipitem jungitote. Effuſi in riſum diſcipuli proruperunt; quì reges illum extinctus? Philoſophus inquit: mihi mortuo parum ſepultura proderit, mea nil intereſt, à corvis, vulturibuſ-

que devorer. Cur ergo ulcis ci faciles occurritis, jacituri ſenſibus expertes in tumulo? Igitur Vindictæ flammas extinguet lethi memoria.

11. Lucium Piſonem perfidus Claudius falsò accuſavit. Hinc ille, ſordido cœno involutus, judici decepto ſe ſiſtere non dubitavit ita devenuſtatus; ſicque capitis ſententia, qua damnatus fuerat, revocatur. *Plat. in Apo.* Sanguinarie Narciſſe, injuſtè tuum hoſtem è medio tollere meditaris. Te verò Vindictæ ſubtrahet lethi cogitatio, quòd ille terra ſit, terra futurus ſit, cujus & tu ſequeris veſtigia. Mortis cogitatio à Ludovico Galliarum Rege, toto Orbe ſanctitate celeberrimo, hanc excuſſit ſententiam, quam poſteritas ſummis laudibus excepit. Galliæ Rex creatus fuit; tunc inſuſurrantibus Regi Cocyti miniſtris, adeſſe tempus opportunum ad ſumendam Vindictam de adverſariis, à quibus graviter læſus fuerat, cùm Orleans Dux colebatur. Reſpondit Chriſtianiſſimus: haud eſt Galliarum Regis, injurias Duci Orleans irrogatas ulciſci. Cordatiſſimus belli Dux, ac inſignis Strategus Conſalvus à Corduba, rogatus, quorum à ſe geſtorum dulcedine tangeretur? reſpondit: quòd nunquam enſem evaginaverit, niſi in Numinis, ſuique Regis obſequium. En quid præſtet lethi memoria! Aſam Sultanus Evangelio audiens effectus eſt, ex mortis memoria, & ſæculi vanitatis maturâ diſcuſſione. A Romano Diogene Orientis Imperatore pacem imploravit. At ſuâ magnitudine tumidus illam reſpuit. Ergo uterque aperto Marte dimicare decernunt. Jam utrobique claſſicum canitur, armis arma conſeruntur, fulgurantis gladii jubar oculorum aciem obtundit; atque corruentibus extinctorum cadaveribus, animarum ſpoliis montes aſſurgunt; Poſtquam ſe diu æquâ lance fortunæ ſuffragia, victoriæ libraverant, tandem, juſto Dei judicio, Romanorum Aquilæ, barbaræ fortitudini fulminantur: Nec non diſſipato, profligatòque exercitu, ipſiſſimus Imperator Aſam præda conſtituitur. Aſam haud gravatur levare amaritudinem, dulcare acerbitatem tam nobilis captivi, ſuâ viſitatione; quem, abſolutâ prolixi colloquii catenâ, talibus comiter interpellat: Denudato mihi, ô Romane Diogenes, ſi tuus forem captivus, ut tu meus es, quid mihi contingeret? quid tibi contingeret? Reſpondet ſuperciliosus Diogenes: cor tibi pugione confoderem, atque diſcerperem. Itane, Sultanus inſtitit, hoc tu moliri non erubeſceres, cùm fatum à tergo urgere ſcias, unde anguſtâ temporis periodo,

riodo, tuarum actionum tibi ratio reddenda veniet? Hoc tu tentares, in Evangelio præcipiente tibi Chriſto, adverſariorum indulgentiam? Secus ego tecum agam, te longè mitiùs habebo. In libertatem vindiceris, tuæ Regiæ lætus reſtituaris impero, dum Vindictæ impero meæ. Itaque fama totum pervolet Orbem, Turcam feciſſe, quod reluctabatur Chriſticola, cui ex lege congruit, quem decet, diſſeminatura. In Aſam agnoſco veritati conſentaneum, grave Divi Auguſtini oraculum, quòd *nihil ſic revocat homines à peccato, quemadmodum imminentis mortis cogitatio.* Hinc Sultanus identidem, perenneque imminens perpendebat lethum, illudque momentum, cùm ratio deponenda veniet, num proximo, ſicut nobis cupiverimus, dilexerimus. Diſce, irâ excandeſcens, Vindictæ Cupide Narciſſe, vel inimici frontem diſſuaviari. *l. 2. de Gen. con. Man.*

12. Non ſolùm Aſam, ſed & irrationabilia, & inſenſata obtemperant divino mandato, ô ſanguinarii Narciſſi, ut ut rerum naturæ repugnet. Nil enim tam diſtat à crudelis animantis conditione, quàm hominis excidio parcere, cùm devorari, ſuffocarive poteſt. Nihilo ſeciùs, cœlo ſic ſtatuente, devoratum Jonam immanis cetus vitâ minimè ſpoliavit. Quid tam adverſatur irritatæ feræ, quàm trucidare prædam, trucidatam cuſtodire illæſam? Attamen ferox leo protervum occidit Prophetam, jubente Numine, cujus poſtmodum invigilabat cadaveri: *Occidit eum leo, & ſtabat juxta cadaver.* Hìc quis affirmaret, quoniam illius oculis mortuus exhibebatur. Quid jumenti ineptiæ tam diſſonum, alienum, ac diſſitum, quàm loquela? Tamen beſtia Balaam vocem articulavit, celebratura omnipotens excelſi tui Creatoris imperium. Chriſtus ficulneæ mandavit, areſieret, *& areſacta eſt continuò ficulnea.* E regione innuit cœlum cuidam arbori in una Inſularum Canariarum (cui nomen Inſula ferri) cùmque nubes inviſibiles ſunt, relegato in aëre vaporum commercio, præ fervidâ ſiccitate; tunc arbor ſuorum foliorum univerſitatem, in totidem modicos fontes immutat, ſtillandòque tantam frigidæ copiam effundunt, ut tam mortalium, quàm jumentorum ſiti, irrigandiſque humilioribus amœnorum hortorum plantis ſufficiat. Igne cœlitus deſcendente in Pentapolis excidium, natura vim paſſa eſt; nam illius eſt indoles, ignem aſcendere: Deſcendit autem, ita ſtatuente Deo. Imperat furibundo ponto Chriſtus, ut in malaciam abeat;

abeat; ac protinus *tempeſtas ceſſavit, & facta eſt tranquillitas.* Inſuper ille *fines littoribus concluſit, quò cùm fremens fluctus, & ex alto ſinu ſpumans unda veniſſet, rurſum in ſe rediret, nec terminos conceſſos excederet, ſervans jura præſcripta.* Cur autem hoc accidit? Idem Tertullianus reſponſum habet in promptu: *Ut divinas leges homo tantò magis cuſtodiret, quando etiam illas elementa ſervaſſent.* Chriſtus imperat, *ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros.* Tu verò ſurdus, reluctans? Quid præſumis abjectiſſime terræ vermis? Noſtro in morali Fonte, ſpectato tuæ vanitatis imaginem, ac fundamentum. Fœtidum te cinerem deploro. Cur ergo Numinis detrectas imperia? An autumas, per hoſtilis ſanguinis effuſionem, magnitudini tuæ gradum accedere? Falleris, heu falleris! Mortem perpende, & deſævire diſces.

l. de Trin.

13. Ceu Mortales à conchis abluderent, in ſanguine ſanguinarius laborat honoris purpuras exprimere. Sed nunquam animadvertit pelves, Hiram manu conflatas, adhiberi ſolitas in Salomonis templo: *Fecit autem Hiram lebetes.* Hi lebetes (explicat Gloſſa) deſtinabantur *ad ſuſcipiendos cineres altaris holocauſti.* Ergo intra magnificentiſſimum illud templum cineres ſervabantur? Non demulcebant ſpectantium oculos, auro radiantes parietes, ſed combuſtorum lignorum cineres funeſtabant: Quoniam *lebetes cineres ſacros recipiunt, ut cùm fideles exitum juſtorum aſpiciunt, & ipſi magni efficientur;* inquit Lyranus. Quippe aſpiciendo ſepulchrales cineres, iraſcibilis cicuratur, paſſionibus animi frœnum injicitur, anima genuinis gazis locupletiſſimè diteſcit.

2. Parat. 4.

14. Nunc eò fatuitatis devenere ſanguinarii, ut nedum execranda perpetrent homicidia, ſed inſuper jactant ſe de illis, ceu de trophæis magnanimitatis. Forſitan hanc impietatem derivarunt ab illorum Gentilium crudelitate, qui proprios filios, ac pignora mentis idolis ſacrificabant, ut legitur de Rege Moabitarum. Quam ſacrilegam impietatem æmulati dicuntur Iſraelitæ, teſte David: *Immolaverunt filios ſuos, & filias ſuas dæmoniis.* Quo verò ſtimulo perciti ſunt ad perpetranda tam indigna? *Cupidine Gloriæ in præſens, & famæ in poſteros,* reſpondet Philo. O fatuitas cubitalis! Famæ ſplendori ſtudere per dedecorum, probrorumque obſcuritatem, dementis eſt. Ita, ita, infamiâ famoſi evadunt apud poſteros ſanguinarii, *quorum gloria*

Pſ. 105.

l. de Arab.

gloria erit in confuſione ipſorum: Quoniam non virtutem, at vitium pro baſi ſortitur. Paul. ad Phil. 3.

15. Eandem perfidiam in impio Juda, averni monſtro, deprehendimus, cernere eſt. Quoties Gratia ſe inſinuandi cordi Apoſtoli apoſtatæ, ſui infundendi ſatagebat? Quoties ei conſuluit, Juda, noli Chriſtum venundare. Hac venditione quàm plurimo tibi veniet infamia. Illius argenti baſi ſimulacrum tuæ impietatis innitetur. Deicidii reus tam cœlo, quàm mortalibus exoſus occurres. O proditor, ô Deicida, dum & Chriſtum vendis, & prodis! Forſitan indignum facinus admittis, explendæ avaritiæ? *Sed ut avaritiæ ſitim expleres, patebant tibi cuncta de loculis*, effatur Divus Leo. Quid ergo calcaria ſubdidit ad tantum facinus? Reſpondet Divus Pontifex, *non placuit quantitas pretii, ſed magnitudo peccati.* Deicidii tangebatur dulcedine, ratus, ſe ad gloriæ faſtigium, ac apicem evolare, ſi reliquis ſanguinariis palmam præriperet, ſi crudelitatis primas conſequeretur, ſi nulli ſecundum ſe probaret in ſævitia, Magiſtrum prodendo, Deum interimendo, in illius amorem mortalitatis exuviis circumdatum. *de Jud. prod. ſer. de Paſſ.*

16. Hinc licet conjicere, ſanguinarii Narciſſi, qui fructus proficiſcatur à Vindictæ exercitio. Mortales Numinis templum ſapiunt, *vos enim eſtis templum Dei vivi*: ſuffragatur Apoſtolus. Itaque hominem interficiens, templum Altiſſimo dedicatum deſtruis, ac demoliris. Quæ verò gloria emanabit à templi ruinis? En Heroſtrati factum! Homo ignavus, juxtàque ſceleſtus celeberrimum illud Dianæ Epheſiæ templum ſuis ipſe manibus incendit, ut eâ re omnibus notus ſibi nominis immortalitatem compararet. At ſperatum ex ſcelere fructum haut conſequitur, apud poſteritatem infamiâ duntaxat famoſus; quoniam ex illarum flammarum fulgore, indignum facinus, atque molimen omnibus illuceſcit: Et ad illud incendium ejus fama obſcuratur. Cur ergo, excandeſcens Narciſſe, de illis gloriaris actionibus, unde in mortis luctâ, & articulo, pœnitudinis affatim extrahas? Recogita noviſſimum agonem, cùm febris vexabit, dolorum acerbitas debacchabitur, cor afflictiones torquebunt; cùm anima ſenſim à corpore retrahetur, loquelæ uſurâ ſpoliaberis, pupillæ vacillabunt: queis ſemivivus lethi conſpicies apparatus. At, vacerroſe ſanguinarie Narciſſe, molli culcitrâ cubans, ad hunc agonem Cor. 6. 26.

nunquam pervenies; priùs etenim occideris, *qui gladio ferit, gladio perit.* Nero, qui, terram humano irrigando cruore, viperam eſt æmulatus, quoniam naſci mundo nequivit, niſi dilaniato parentis ſinu, nullum invenit ſui interfectorem; quolibet tam probroſum homicidium dedignante. Hinc ſemet vulnerare non dubitavit, tuncque viſus eſt minùs crudelis, cùm in proprium caput ſævitiæ rabiem inflexit, atque recruduit: *qui gladio ferit, gladio perit.*

17. Ex Ægypto recedunt Hebræi; fugientes verò ſufflaminat transfuſum latiùs æquor. Tunc Moyſes marinas percutit undas, illudque monſtrum indomitum, levi virgæ frœnatur attactu. Medius ſecatur pontus. Hinc illincque geminata ſurgit in mœnia; Numen, in fugientium ſolatium, hyemem gelidis præſentat in aquis, pariterque floridi Veris amœnitate ſemitam ſpargere minimè dedignatur: *Et campus germinans in profundo nimio.* Hebræi proficiſcentes, vernantis per ſtrati mollitiem pergunt. Quid autem perſecutores Ægyptii molientur, machinabuntur, tentabunt? *Ingreſſi ſunt poſt eos, & omnis equitatus Pharaonis.* Cur intrepidi properant incognitas nondum tentatarum arenarum per vias? Numquid adſpiciunt muros undoſos, tam naufragium, quàm excidium minitantes? *Sanguis, atque injuſta infantium cædes illos agitabat*: Exclamat Euſebius Emiſſenus. Impellebantur ad lethum, qui alieno ſanguine furoris ſitim expleverant. Mare coivit, quo commiſſo, ad unum omnes ſuffocantur; & indomita deſæviendi libido penitus extinguitur, in quibus nulla regnabat animi mollitia. Abaptiſti jactantur undis, nunc ad ſydera, nunc ad abyſſos feruntur cadavera fluctuum tumultibus, novercantis fortunæ ludibrium. Horreſce ſanguinarie Narciſſe, & contremiſce, calculos revoca, palinodiam canito, dum reſipiſcendi facultas ſuppetit. Futurum te recogita in ſepulchro cinerem, vermium eſcam.

in Gloſſ.

18. Licuiſſet Joanni Gualberto, hoſti ſuo acerrimo violentam manum injicere; abſtinet attamen, Vindictæ parcit, ſibi timet, ſi mactet. Quid agis, Joannes? Cur par pari referre, vices rependere dubitas? Quemadmodum illius enſis innoxium ebibit ſanguinem, ita & tu ſanguinarii cruore manus abluas, tuum excidium alienâ cæde antevertito. Ah! me quis alloquitur, quis tam pernicioſa conſilia pectori reluctantis infundere laborat? Agamemnon ad

auſpi-

auſpicandum bonis avibus navigationem, immolaturus mellitiſſimam filiam, eructavit *vento ſanguinem emimus.* Ego verò alieno cruore meam mercabor vitam, quæ nil niſi ventus? Memento, quòd ventus eſt vita mea. Ventus velociſſimus effluit, vita rapidiſſima fugit. In navigationis æſtu deficit ventus, in fœcundiſſimo curſu properantes deſtituit. Vita ad dimidium itineris evaneſcit, reverſura nunquam: *Spiritus vadens, & non rediens.* Ergo defungendum? Ultro proinde, prolixiùſque inimico indulgeo. Joannes jam templum ingreditur, advolutùſque Crucifixi pedibus, pietatis ſuæ teſtimonia deponit, ſic eructando: mi Deus, mei locandi firmiſſimum locum rimari maturo. Faſcinationibus laborat, præſtigiis irretitur, quem delectat veneni contubernium. Abderitanum ſugillo, cui cordi humanæ vitæ fidei ſe credere. Tibi, ô mitiſſime Domine, ſpem meam committere juvat. En mei propoſiti pignus! Davidis oblationem repudiare renuiſti, Saulis homicidio reluctantis; & mea arrideat, mereatque id à te impetrare, quod hoſti meo lubens exhibeo, veniam cum pietatis affectu. Ad hæc Dei pendentis ſimulacrum caput inclinavit, haut obnuturum petitis. Itaque voti compos Gualbertus lætitiâ triumphat; cujus generoſitati vel ſtatuis, atque mortuis plaudentibus, eluceſcit, hujuſce operibus jugiter accumbere præconia. Quòd inimico parcere, miraculo adſcribendum veniat, cœlum id miraculo corroborat, atque ſtatuminat. Se mactat honoribus, quiſquis prolixiùs indulgere prægeſtit.

GULOSI
AD
FONTEM.

CAPUT XVII.

1. BRaſil, admirandorum Pantheon, noſtras naves portentoſis relationibus refertas remittit; cùmque vaſtum Regnum fœcun-

diſſima ſerpentium ſit patria, nobis tradunt, illis in armis crebriùs ſpectari admirabilem tapuræ renovationem. Etiam repentes ſerpentes ſuum jactant Phœnicem, neque Arabicis montibus, Braſilis cedit planities. Tapura ineffabilis voracitatis ſerpens eſt, dicique poſſet illius ſerpentis proles, qui Saturno appingitur, dum Saturnus vel proprios devorat partus. Quicquid obvium habet, vaſti ventris voragini ingerit, nonnunquam integra corpora non mandendo deglutit. Hinc immodico pabulo nativus opprimitur calor, cibóque in corruptionem degenerante, inteſtinæ peſtis inſtar viſcera inficiuntur. Interim putrida ſerpens in aprico jacet, vulturibus innoxiè copioſum derivantibus pabulum ex infecto, corruptòque corpore. Tapura tandem hoſtiles aſſultus eluſura, dum magnâ ex parte prædatricium volucrum ventro tumulatur; immortali renovationi accingitur: Quippe vita, quæ in ſpina latebat, & capite, erumpere incipit; nudaſque coſtulas pulpamine veſtiens, devoratam reſtituit carnem, coriumque dilatat. Tandem redivivus ſerpens, denuo temporis rependo ludibrium, lethi victor, per inhoſpita errabundus triumphat. Hæc verò conditionis proſperitas, Adæ filiis negatur; quoniam quò abundantiùs indulgent abdomini, eò celeriùs fato concedere compelluntur, alimentique intemperantia, corporis deſtructionem accerſet.

2. Meis aſſertis gravius auctoritatis pondus conciliaturus, amœniſſimum naturæ ludentis ſpectaculum præbebo. Nonnunquam par nubium per aëra volitantium, mortalium obtutibus objiciuntur. Tantâ ſqualent obſitæ caligine, ut terrenorum vaporum partus inficieris, dum vel tenebricoſas averni ſpecus æmulantur tetricitate. Sin alterutram Solis jubar illuſtret, aëre jam telluris æmulo, ridentis Veris amœnitatem aſſumit. Celebrabis hortum inter nubes penſilem. Poſtmodum in ingentem inflectitur arcum, arcum effingens, quum ipſa ſcopus aureis Solis ſagittis præfigitur. Martialem curvatur in arcum, pacis nuncia. Crediderim arcûs figurâ veſtiri, arcum Solis cilio fabricaturam, cœli oculi. Suis ipſa triumphis arcum erigit, dum thaumatopœi filia, in ſui admirationem ſpectantium oculos rapit: Qui arcus terræ lambit humilitatem, ſphærarùmque celſitudinem attingit. Si ſpectetur, ſuos ſolatiis aſſeclas perdensè perfluit. Quis enim ad horrores in purpuram, cæruleum colorem, oſtrumque mutatos,

mutatos, ad venuſtiſſimæ Solis filiæ ſpectaculum, verſicolorem amœnitatem, gemmatum monile, lætam amoris nunciam, pretioſam aëris gemmam, quantus quantus exultare detrectet, ac hilareſcere? Quin imo, quid ſolo portendere, nullus in dubium ſuſpicionis revocavit. Deinde Seneca teſtatum reliquit apud Delecampium: *Si circa occaſum refulſit, rorabit, & leniter implebit; ſi ab ortu circave ſurrexerit, ſerenam promittit.* Chointus Smirnæus Græcus Poëta affirmat; *in not. Plin. l. 2. c. 59.*

Ut fit, quando agreſtes de monte conſpicantur
Iridem è mari latifluo exſurgentem:
Cùm imbrem, Dei munus, deſiderant, & jam arva
Jovis aquam exoptantia penitus areſcunt.

Ergo, Guloſi Narciſſi, iridem interpretamur notam uberis annonæ, quoniam gulæ deliciæ momento evaneſcunt. Juvat expendere, hujus farinæ delicias arcum polliceri, qui belli inſtrumentum habetur, mortiſque miniſter. Nam ſi abdomini indulgebitis, lethales abundantiæ, luxuſque ſagittis ſubjacebitis. Tacitus, cujus nomini ſilentium ineſt, & qui adeò concinnè locutus eſt, de Imperatore Vitellio verba contexens effabatur: *Vitellius ventre, & gula ſibi ipſi hoſtis.* *l. 2. Hiſt.*

3. Quis non obſtupeſcet, Imperatorem Maximinum, unâ die comediſſe ſexaginta carnis libras, meri amphoram exſiccâſſe. Hic autem haut devoratoribus adſcribetur, collatus cum Clodio Albino, qui uno in prandio quingentas edebat ficos, viginti uvæ libras, centum ficedulas, decem capones, centum piſcatus. De utroque ita refert Sabellicus. Hi verò heluones maturè fato conceſſêre, nec non inauſpicatò. Maximino putrefacta eſt caro, nudis manentibus oſſibus, ejuſque oculi nativo loco proſilientes, ante obitum perpetuis tenebris Imperatorem involverunt. Quì probroſum Clodii cadaver Severus haberi curârit, Fulgoſius recenſeat. Capite à cervice avulſo, nudum corpus probroſè raptabatur, indomitiſque conculcabatur equis; quod denuo in profluentem præ graveolentiâ præcipitatum fuiſſe perhibetur. Hic illos manet finis, de quibus Saluſtius, haut ſublestæ fidei, neque pœnitendus author aſſerit, eſſe *veluti pecora, quæ natura prona, atque ventris obedientia finxit.* Hunnorum Rex Uttarus *l. 10. c. 10. ex Capit.* *l. 9. c. 3*

præ nimiâ ingurgitatione intempeſtâ noƈte expiravit. Subjugatâ magnâ Babylone, Sultanus Amurates Turcarum Imperator, lautiſſimam, opiparamque cœnam inſtrui mandavit, ſuæ plauſurus victoriæ. Cretico vino convivium inchoatum fuit, ſuum in medio Hiſpania miniſtrante, ad calcem appoſito aduſto vino. Sed Imperator hiſce deliciis immerſus, dum curarum laxamentum nanciſci conatur, vitam amittit, vitis ſpumanti liquore repletum evacuans cyathum. Ex illius fatalibus noctis cimmeriis comeſtabundo ampliùs evigilare non licuit. Imperatori Valentiniano familiare fuit, atque ſolemne, ab ovo uſque ad ſplendidi ſympoſii malum, ſibi propinantibus vicem rependere. Tandem loquelæ munere privatus, ſanguinis evomens torrentem, ſuccubuit. Vitiorum iliade Macedonis dehoneſtabatur animus, gloriæque ſplendor offuſcabatur. Ebrietatem autem potiſſimam tanti Regis labem deteſtor. Ille (ſi ſtandum Cælio, Plutarcho, Æliano) quinta Menſis in ſplendido convivio ab Eumeno parato, prolixiùs indulſerat Phalerno, cujus deſpumandi gratiâ, poſteram diem ex integro ſomno conceſſit. Septima Perdiccæ convivio excipitur! Octavamque omnino ſomni occupaverat otium. Decima quinta menſis rurſum inebriatur; nec craſtina vivus dici poterat, niſi cùm occidente Sole, toro ſurrexerat. Vigeſimâ quartâ apud Bagoam cœnâ reficitur; tantùmque cibi, & potûs ſumpſit, tam largè cupediis indulſit, ac mero, ut ingurgitato vix ſomni triduum ſuffecerit. Ah vivendi norma, belluæ, quàm homini conſentanea! Sed triginta duorum annorum ſupremæ neceſſitati fecit ſatis, ſupra geminum menſium quaternionem. Cujus præcocis exceſsûs cauſſam, ac impulſus hodiéque ſub lite apud Hiſtoricos vigere comperimus. Hinc Juvenalis oraculum uſurpabo:

Aurel. Vict.

Sat. 1. *Hinc ſubitæ mortes, atque inteſtata ſenectus*
It nova, nec triſtis per cunctas ſubula cœnas.

Concludamque cum Hebræo Philone: *Immoderata ciborum congeſtio, eſt lethifera naturaliter.*

4. Convitiis inceſſam heluones Narciſſos, queis immodica ferculorum congeſtio lethifera contingit. Hos ut compeſcam, ut faſtidium ingenerem commeſſandi, mittam ad Babylonis Califam, qui

ſupra

ſupra palpitantia conſanguineorum cadavera immodicè epulabatur; ad Thyeſtis menſas relegabo, humanis carnibus oneratas, ad illas Domitiani. Atratus pincerna Alboini Longobardi craterem bibulis porrigat, qui concavo ſoceri cranio utebatur loco poculi, cujus filiam ad potandum ex eo invitavit. Ad horridum ſpectaculum vel delicatiſſima obſoniorum, palato deſiperent. Haut crapula corpus illud obſidere tentaret, ſi oculorum excubiæ in ſepulchri contemplatione defigerentur, quoties expenderent tumuli marcida quæque. Innumeris copiis Philiſtæi Bethlehem occupaverant. David hauſtûs frigidæ ex proximâ ciſternâ, quæ ante obſeſſæ civitatis portam dehiſcebat, dulcedine tenebatur. Tres generoſi belli Duces hoſtiles irrumpunt in phalanges, cordatè, ſtrenuèque fulgurantes rotant enſes, donec, haut citra capitis periculum, invicto pectore ciſternâ aquam extrahant, extractam anhelantes, præpeteſque ſiticuloſo Davidi ſiſtant, atque præſentent. Jam offerunt Regi laborioſam rapinam, *at ille noluit bibere*, inquit Sacer Textus. Modò ardentiùs ſitit, & paratam refrigerationem amplecti reſpuit. Fauces æſtu, laboreque potiſſimùm areſcunt. *Sed ſuavitatem bibendi habere non poterat, quæ propoſitæ mortis horrore conſtabat*; perbellè Divus Ambroſius. Secum reputabat David; quidni ſuavitatem potandi abjiciam, cùm meæ memoriæ recurrat mortis diſcrimen, cui erant affines, qui frigidam afferre mihi maturabant? Mortis horrore meus turbatur animus, ſauciæque, funeſtatæque menti, Bethlehemici fontis deſipit ſuavitas: *At ille noluit bibere.* Ergo quoties lethi neceſſitas ad trutinam expenderetur, nullatenus locus eſſet deliciis, nec ullus eſcarum degeneraret in prædam. Affirmat Albertus Magnus, *quamdiu cinis ibi duraverit, corvus nunquam pullificabit.* Arboris cortici, ſupra quam corvus nidum conſtruxit, cinis alligetur, nunquam pullificabit. Pariter cœmeteriorum pulvis, appetitum devorandi in heluonibus obſtruet. Cor tuum, inter ſepulchrales umbras, mœrore paſcetur, oculi horrore. Theodoricus Italiæ Rex diſcumbebat; at Symmachi caput, nuperrimè à ſe truncari juſſum, ratus piſcis caput ſibi in cœnâ exhibiti, timore perculſus protinus animam efflavit. Quàm appoſitè proinde ludit, & illudit meus Joſephus Silos.

3. Reg. 23.

in Apol. Dav.

l. de vegeta

Quà cultis ſtat menſa toris Rex Italus inter,

Am-

Ambroſias avido ſederat ore dapes.
Lancibus auratis fumabant fercula mille,
Et gelida ardebant maſſica vina nive.
Cùm magni illatum caput ingens piſcis: Inhorret
Ille metu ſubito; mox cadit exanimis.
Te videt illuſus piſcis ſub imagine, magne
Symmache, cui minuit Barbarus enſe caput.
Te videt, & memori torquetur mente peroſus
Crimen atrox, piſce, & vindice fata ſubit.
Sic tua mors pulchrè nunc morte rependitur æqua,
Symmache; nempe caput vindicat ecce caput.

En quid præſtent dapes menſæ à letho inſtructæ; en ſibilis conſciſſum heluonem! Quò ergo non ſubſannentur Guloſi, è veſtigio calculos revocent.

5. Inſuper animadvertite, ô Guloſi Narciſſi, in Geneſi Altiſſimum Adamo prohibuiſſe, ne comederet de pomo; quem refrenaturus à tranſgreſſione, dixit, *in quacunque die comederis ex eo, morte morieris.* Cujuſvis elementi bellum offendes in alimento, & ſub umbrâ arboris ſcientiæ, ſole meæ præfervidæ juſtitiæ flagellaberis: *Morte morieris.* Cur potiùs infernalium ſuppliciorum comminatione non coercetur? Hautquaquam dicit Pererius: *Licet pœna inferni re ipsâ gravior ſit, quàm mors, corporis comminatio tamen corporalis mortis acrior, & vehementior eſt ad commovendum hominem.* O cœli, ô ſydera! Samius me pavo, Jonicus attagen, Afræ volucres, phalernum generoſum ad menſam invitant, alliciunt, irritant, demulcent, ac provocant. Non attamen quid illorum audeo delibare, perpendens, os iſtud quondam perpetuè claudendum eſſe, replendùmque amaritudine. Dum ergo animantibus hodie paſcor, illa cras paſcam, vermium effectus eſca. Procul hinc nectar, & ambroſia, abdomini frœnum injiciatur! Probè fateor; alimentum vitæ ſuſtentationem decere, at Jobi oraculum ingeminare juvat: *Antequam comedam ſuſpiro, & tanquam inundantes aquæ, ſic rugitus mei.* Fortaſſis hoc extitit myſterium, unde Chriſtus Apoſtolis dixit: *Facite homines diſcumbere: Erat autem fænum multum in loco: Diſcubuerunt ergo.* Admiratione non caret, modò Chriſtum hortari, imò mandare, ut genio indul-

in Gen. cap. 2.

cap. 3.

indulgeant, quum olim pœnitentiam, nec non carnis macerationem ſuaſerit. Divus Ambroſius Ænigma enucleat: *In hac ergo germinum ſpecie, & in illo virentis herbæ munere, imago eſt vitæ humanæ, & naturæ, conditioniſque noſtræ inſigne quoddam ſpectatur, & ſpeculum elucet. Illa herba, & flos fœni figura eſt carnis humanæ: Sicut bonus divinitatis interpres organo ſuæ vocis expreſſit, dicens, clama: Quid clamabo? Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quaſi flos agri.* Tamque probum ſe probavit Chriſti conſilium, ut gens illa nedum ſe ingurgitando abſtinuerit, ſed inſuper temperantem ſe exhibuerit, cùm ex quinque panibus, qui apponebantur, fragmentorum reliquiis duodecim cophini replerentur.

6. Alimentum vitæ neceſſarium quis ibit inficias? Homo verò naturæ duntaxat muneribus contentus inveniatur. Commendabilis antiquorum conſuetudo revocanda foret, quibus ſicca Ceres, fructus, pretioſa erant fercula, frigida jejunæ gulæ nectar. Arcadibus glandes, Argivis poma, Athenienſibus fici, Tiryntibus ſylveſtria pira, milium Mæotis, terebinthus Sauromatis, Indis virides arundines fercula ſuppeditabant. Lac camelorum uberiorem Aſiaticis potum præbebat. Ovium lac commune paſſim habebatur nutrimentum. Impræſentiarum Poppæa ſexcentarum aſinarum lacte ſe abluit, pellis mollitiæ candorem conciliatura. Jam lac vileſcit. Antoninus Heliogabalus artocreas luſciniarum, pſittacûm linguis refertas appetit; Imò ſuis Commenſalibus Phœnicem in eſcam præbere pollicitus eſt; Aſt illum ſpes fruſtrata fuit; non enim Mortales immortalibus veſcuntur volucribus. Imperator Gallienus omni tempore ad menſam cum uvis ficus accerſiri curavit. Pollio fruſtillatim ſua mancipia diſcerpit, in vivariis captivos delicatos nutriturus, *ut in viſceribus earum aliquid de ſervorum ſuorum carnibus guſtaret*, effatur Tertullianus. Strato Sidonius tam magnificum, delicatumque ſe præbet in ſympoſiis, ut ejus menſæ capones viperarum carnibus ſaginatos (ceu quid vulgare, & exigui pretii) Sezzus inferat. Artaxerxes carceris ſqualoribus Thinum obſitum, ſplendidè epulantem obſtupuit, qui, ad ſuos converſus hoc efflavit: *Hic mihi vivere videtur, tanquam citò moriturus.* Quid autem de decantatis Cleopatræ unionibus ſentiam? Cleopatra viduata virgineo candore, margaritarum oſtentabat candorem. Inſignis magnitudinis margaritam Mar-

co Antonio in potum propoſuit liquefactam. Unione famæ conſuluit, ne famæ deeſſet celebrandis ſuis deliciis. Superſedebo narratione opipari prandii, à Cæſare Populo Romano parati, ubi miniſtrabant viginti millia Præfectorum. Lucullus detur in ſcenam, quo nemo gulæ magis indulſit. Penitiſſimum palatii Luculli cubiculum vocabatur Apollo; cui ingens auri pondus deſtinabatur, ad quatuor millia aureorum, ſolvendo quidquid in illo dapium conſumptum erat, deſignato quoque cæteris cubilibus minori pretio. Hinc locus Proverbio factus, *fuimus in Apolline*; cùm commendamus ſplendorem magnifici cujuſdam ſympoſii, abdomini admodum indulgebant; cùmque ſemel de more convivarum nullus adeſſet, architriclinus cœnam haut ſolitâ pompâ adornavit; crapuloſus exclamat, ſervum acriùs increpans, cujus adductam excuſationem reſpuendo, ſic ait: *Quid ais? Neſciebas hodie apud Lucullum cœnaturum Lucullum?*

7. Comeſſando, ô Guloſi Narciſſi, effœminamini, enervamini, & homines nihili evaditis. Galba adverſus Germanos cum ſuis Legionibus Vitellium miſit, qui numeroſis copiis aciem inſtruxerant. Multos Senatorum, ad conſpectum floridiſſimi hoſtis, inſolens invaſit formido. Eja, inquit Galba, referente Suetonio, nobis jam favet victoria. Mox inimicorum cadaveribus ſolum ſpargetur. Quid horretis, Commilitones? *Nullos minùs eſſe metuendos, quàm qui de ſolo victu cogitant.* Imbelles efficiuntur luxu Guloſi; & tamen homini ſemper in hac vita pugnandum: *Militia eſt vita hominis ſuper terram.* Quì proinde infernalis hoſtis aſſultus propulſabit? *Jejunium arma miniſtrat contra diabolum*, effatur Chryſoſtomus. Obſtupeſcite Mariam Ægyptiacam, quinque panibus in eremo triginta annorum curriculo latitaſſe. Audite Elpidium, Joanni dicentem Anachoretæ, *annis quadraginta nunquam Sol vidit me comedentem.* Cajetanus Thienæus modicis fructibus contentus erat. Thereſiæ ad multum temporis, quinque ſiccæ ficus quotidie ſufficiebant. Hi jejunabant, ut in bello triumpharent. Plato, licet Gentilitatis tenebris obſitus, abſtinentiam vocavit, *vitæ hominum cuſtos.* Eam Chriſtianus appellet tutum non tam corporis, quàm animæ cuſtodem, cum meo Silos canendo;

Sat genio, cyathiſque datum, menſæque, ſuperbis
Fartæ epulis, multa gemuere dape.

Nunc

Nunc Samius pavo procul hinc, Afræque volucres,
Pervolet & procul hinc attagen Jonicus.
Sicca Ceres, virideſque oleæ, paſſique racemi;
Fercula jejunæ ſint pretioſa gulæ.
Stant Superi impranſi, incœnataque Numina; cœnes
Aut nihil, aut parcè, tu quoque Numen eris.

8. Retrahendo à crapula ſat ſuperque allata ſufficerent argumen-a. Sed aliud longè efficaciſſimum annectam. Recogita, Guloſe Nar-iſſe, Jonatham non nihil mellis ori ſuo imponentem, in mortis mar-gine ſtetiſſe. Tarquinium piſciculo veſcentem ſpina evitavit. Lactis auſtu Fabius recreabatur, quem pilus, qui latebat in illo, è medio ulit. Quid Siſaræ contigerit, notum Lippis, atque Tonſoribus. Ana-reon potando expiravit, Torquatus comedendo placentam. Job na-i epulabantur; quidquid exquiſiti poſſidet terra, mare, aër, erat in nensâ. Sed lethum advolavit, ventorum tyrannide domus quaſſata orruit; *Et una eademque hora domus, & ſepulchrum, convivium, &* *Hom. 1.* *umulus, feſtum & fletus facta eſt*, inquit Chryſoſtomus. Defungun- *in Job.* ur, & Guloſi, dum palato artis miniſterio blandiuntur, corpuſque eficere conantes, apprime enervant: *Qui natura admodum craſſi* ſonat ſecundus Hippocratis aphoriſmus) *faciliùs intereunt, quàm ui graciles.* David, cui innoteſcebat hæc veritas, remotis Regiis da-ibus, cinere paſcebatur: *Cinerem tanquam panem manducabam.* Re-etit Cardinalis Hugo: *Cinerem tanquam panem manducat, qui de* *Pſ. 111.* *nemoria infirmitatis ſuæ reficitur, & hoc multùm roborat hominem con-rà peccata.* Lethi proinde cogitatio, eſt peculiare remedium adver-us gulæ vitam. Hinc Herodotus monumentis conſignavit, apud Æ- *l. 2.* yptios morem inoleviſſe, mortui imaginem epulantibus apponendi; uodam interim clamante: *In hunc intuens pota, & oblectare, talis oſt mortem futurus.*

9. Conſideremus Hebræos, qui, poſtquam ſicco pede transfretâ-unt, inter deſerti arenas naufragium propemodum experiuntur; In-er regionis ariditatem: *Factum eſt ergo veſpere, aſcendens coturnix, ooperuit caſtra Iſraël. Mane quoque ros jacuit per circuitum caſtrorum.* Cur autem veſpere coturnix aſcendit, & ros mane decidit? En ſidori ſententiam, *veſpere dantur, quia cuncta, quæ carnaliter* *in Ex. cap. 23.* *con-*

in Ex. cap. 23. *conceſſa ſunt, finem erant habitura.* Ad Solis occaſum dantur, ut agnoſcat Guloſus deliciarum vanitatem, rapido volatu ad monumentum properare. Cuncti Sacerdotis Heli filii, in ipſo ætatis flore, præ gulæ intemperantiâ in tumulum devoluti ſunt. Hinc Tertullianus, *hanc* l. adv. Pſy. c. 16. *enim meruerat à Deo plagam domus impudens, ſacrificiorum carnalium defraudatrix.*

10. Nolo, Guloſi Narciſſi, quantocyus hìc recedatis à mannâ, cunctis accommodata palatis; Quis enim ſaporis ſuavitatem ſtomachetur? In illa quà documentum, quà delectationem offendere dabitur. Altiſſimus mandavit Hebræis, tantum mannæ ſervarent, quantum ſufficeret unius diei uſui. Cùr in præcepto tanta penuria, cùm humi copia ubertim diffunditur? *Gaudenti per deſertum populo præci-* S. Paſc. l. 4. in Matt. *pitur, ut ſinguli non ampliùs ad victum quotidianum, quàm gomor unum colligerent, ut ſic vivant quotidie, quaſi cras morituri.* Si tibi revelaretur, craſtina te moriturum, comedendi voluptas palatùmne titillaret? Attamen forſitan craſtina erit vitæ tuæ noviſſima: *Nihil Mortalibus vel morte certius, vel incertius horâ mortis*; exclamat Divus Bernardus. Epiſ.10. adRom. Refert Divus Lucas: *Dixit autem illi Deus, ſtulte, hac nocte animam tuam repetent à te.* Inde Chriſtus ad Apoſtolos converſus: *Ideo dico vobis, nolite ſoliciti eſſe animæ veſtræ, quid manducetis.* Mors imminet, & tamen indulgetis abdomini, Guloſi Narciſſi; & reperiuntur Cleonimes, Carippi, ad modii menſuram devorantes, hydrias exſiccantes Anacharſes, Lacidi, Ptomachi. Nationes quoque reperiuntur, quæ ſuos jactent bibulos, queis par nemo ſit. Frontibus magnifici palatii, quod nobilis quidam, natione Germanus, Pariſiis conſtruxerat, inſcripſit: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* Henricus Quartus Galliarum Rex hæc perlegens, ac alluſurus ad habitatoris ebrietatem, Pſalmum ulteriùs recitat, *Calicem ſalutaris accipiam.* Tunc Moralis Narciſſus utrique debuiſſet expoſuiſſe, *pretioſa in conſpectu Domini, mors Sanctorum ejus.* Proba mors vos præmiis donat, mala ſuppliciis afficit. Defungendum eſt, attamen unde unde nummos extricatis, pecuniam corraditis, prolixiùs potaturi, eſurique. *Non comedit Leo de cadavere, nec læſit aſinum.* Prædæ pepercit, vivòque jumento, ſtatim atque exanimatum Prophetæ corpus aſpexerat. Lethi ſiquidem imago, famem illico ſubmovit. Leo ad mortis aſpectum abſtinet eſcâ, homo verò devorat!

11. Scrip-

11. Scriptura aſſolet panis nomine vel lautiſſimas dapium exprimere: *Cùm intraret Jeſus in domum cujuſdam Principis Phariſæorum, ſabbato manducare panem.* Deinde apud Divum Matthæum in duodecimo, Rex ille coram, palamque proteſtatur: *Prandium meum paravi, tauri mei, & altilia occiſa ſunt, & omnia parata, venite.* Jactantiam oppidò redolet, apparatum decantare, celebrareque. Nequaquam, effatur Aimon, *tauri mei, & altilia occiſa ſunt, ac ſi diceret; Patrum præcedentium mortes aſpicite, & remedia vitæ veſtræ cogitate.* Tinea, vermeſque corrodunt, quos ſaturaverant altilia, & pretioſiſſima quæque. *in mat. 12.*

12. Hoc meditare, Guloſe Narciſſe. Sin hæc ſalutifera cogitatio frænum tibi non injiciat, de te conclamatum eſt, callum jam obduxiſti reatibus. Iſraëlitæ Guloſi, *viderunt Ægyptios mortuos ſuper littus maris.* At paulò poſt cepas, carneſque Ægypti appetivêre. Origenes in illos laxatis invehit habenis: *Populus*, inquit, *ingratus deſiderat Ægyptum, qui Ægyptios vidit extinctos: Carnes Ægypti requirit, qui Ægyptiorum carnes vidit maris piſcibus, & cœli alitibus datas.* Marceſcent in gulâ, in animâ, qui ſpectando defunctos, blandiendi ſatagunt palato. *Ex. c. 14.* *Hom. 7. in Exod.*

13. Ubi nunc Pompejus, Princeps dignus totius mundi regimine? Huic infirmo pingues turdos, ac ſapidos Medicus præſcripſerat; quos duntaxat è culina Luculli liceret accerſere tunc temporis. Tunc parcus Princeps: *Itane, niſi deliciis deditus eſſet Lucullus, nequaquam viveret Pompejus?* Quid ergo, Guloſe, ſapidiſſimis intrimentis vel provocas famem, ac irritas, aut latrantem in ſtomacho ejus tyrannidem nutris? Num ævum nequis extendere, niſi delicatis piſcibus, peregrinâque ſagineris alite? Num tellus tibi nutriendo impar occurrit; uti cogaris ab æquoris profundo, aeris ſublimitate victum emendicare? Ah! Solum tibi ſufficit, imò ſeptem, plus minùſve, terræ palmi, tibi tumulando.

14. Vitiorum nullum ſordidam gulæ impietatem adæquat: *Idololatria Guloſorum eſt peſſima*, aſſerit Seraphicus Bonaventura. Cùm autem magis pernicioſa vitiorum monſtra reperiantur, cur gula eſt omnium peſſimum? En rationem: *Quia Guloſi colunt Deum viliſſimum ventrem ſuum, qui eſt latrina & immunditia.* At ventre nulla corporis humani pars ſordidior. Quæ proinde dementia, quale pro- *l. 3. cap. 2.*

 brum,

brum, eligere tam immundum idolum? Stabulum, atque culina, regii palatii abjectiſſima, humillimàque habentur receptacula, penes Divum Hieronymum; qui ventrem culinam appellat, datâ proportione comparationis. Ergo culina coletur Guloſorum templum? Idolum fiet, quod venerentur ſordidæ gulæ appetitus, mentis dementatæ cogitationibus aſſociati? Theodoſius Imperator ſuæ regiæ menſæ expertus dicitur pernicioſum exitum, cùm perennibus dolorum acerbitatibus circumdatus, vitam tranſigebat atque degebat. Intellexit vanitatem tam diadematum, quàm ſceptrorum. Hinc, abdicato Imperio, jejuniis, pietatiſque exercitationibus quantus quantus ſe mancipavit, obiit Epheſi; ſuo ſepulchro hoc epitaphium apponi mandavit, *Sanitas*. Quidam tunc hocce ſalubre derivavit argumentum. Adverſæ corporis valetudines paſſim ab immodico proficiſcuntur eſu; ad fercula non reflectit cogitatione, quiſquis pro-
Baron. pinquum meditatur lethum: Ergo, *Sanitas*. Cum igitur id corpori gula parturiat, quid Spiritui ciebit? Reſpondit Divus Ambroſius:
Ser. 40. *Fames amica virginitati eſt, inimica laſciviæ. Saturitas verò caſtitatem prodigit, nutrit illecebram.* Neque deſideratur Martialis teſtimonium;

Improbius nihil eſt hac, Charopine, gula.

Concludendum itaque ſupereſt cum Mortalium Sapientiſſimo:
Eccle. c. 7. *Melius eſt ire ad domum luctûs, quàm ad domum convivii. In illâ enim finis cunctorum admonetur hominum, & vivens cogitat quid fu-*
l. 2. *de Gen.* *turum ſit. Quippe*, progreditur Hipponenſis, *nihil ſic revocat homines à peccato, quemadmodum imminentis mortis meditatio: Unde melius eſt ire ad domum luctûs, quàm ad domum convivii.* Huc Paraſiti, qui ſaturitati indulgere, palmarium conſtituunt, vulture edaciores.

INVIDI,

INVIDI, DESIDESQUE *AD* FONTEM.

CAPUT XVIII.

1. INvidia Mortales macerat, ſegnitiâ marceſcunt. Utrique morbo, uno eodemque remedio conſulam; Alcidemque æmulatus, non igne, ſed cinere, unà virulenta reatûs hydræ capita conabor extinguere. Invidia ſerpentem ſapit immitem, dum cor humanum aggrediens, nedum impediat caſibus, ſed inſuper crudeliore lanienâ diſcerpit, atque Titii vultur. Quis verò perimendæ viperæ modum docuit araneam? Idem naturæ inſtinctus, qui monſtrum opprimatur invidiæ, luculenter nos erudit. Noſtrarum ædium ſub tectis, ſupra noſtrorum prædiorum arbores, vitalem ſpirat auram; ac veluti pro præſtiti domicilii commodo grates, ac ſolutionem rependeret, veneficos hos hoſtes noſtro emolumento exterminare ſatagit, repentes nemoris Nerones, camporum intortos dæmones. Sub fluctuantis arboris tegmine, vipera veſtigium molitur. Aranea funambula per ſuum tenuiſſimum filum ſe ſe præceps demittit, cujus caput mordet, nec priùs diſcedit, donec virulentam exſuxerit animam, ac ſupra herboſum ſolum exanimis procubuerit. Non neſcio dixiſſe Plutarchum: *Licet invenire regionem, ubi venena non ſint, quemadmodum affirmant de Creta: At non licet invenire Rempublicam, quæ non alat invidiam:* *in Moral.* Quæ à veneno nec apicem abludit. Clariùs autem hoc dilucidat eloquentiſſimus Divus Baſilius: *Quemadmodum venenum, ferrum; Sic invidia, hos, qui eam poſſident, abſumit, atque vaſtat. Magis autem, ſicuti viperas dicunt, abrupto matris ventre, naſci, & invidia concipientem eam animam corrodere, ſimul ac tabefacere apta eſt: Nec mirum,* cùm

cùm hominem malignum, & invidum continuò dolor, atque triſtitia comitentur. Hoc vitium livore reſtagnans, invidi cordi ut aſpis tenaciùs adhæret, ſuoſque aſſeclas dolore comitatur. An Mortalis calet, an avet illi ſe ſubtrahere mediâ cæde? Per ſuæ vitæ ſubtiliſſimum filum deſcendat. Perpendat, quàm occurrat momentanea, quàm letho propinqua. Se in monumento cinerem, pulveremque contempletur. Tunc nulla regnabit diſparilitas. Tam invidi, quàm inviſi continget indiſcretæ ſimilitudinis imago. Hæ verò conglobatæ conſiderationes, araneæ fungentur munere; unde non ſolùm deferveat Invidiæ rabies, ſed hoc viperinum proſternatur vitium, hocce monſtrum jaceat exanime.

Cap. 3. 2. Vos vehementiùs commoveat Job, de letho verba contexens: *Ibi impii ceſſaverunt à tumultu, & ibi quieverunt feſſi robore, & quoniam vincti pariter ſine moleſtiâ non audierunt vocem exactoris. Magnus, & parvus ibi ſunt, & ſervus liber à Domino ſuo.* Modò Lyranus: *Magnus, & parvus ibi ſunt, ſcilicet æquales, quia parvitas, & magnitudo diſtinguuntur ſecundùm proſperitates, & adverſitates hujus vitæ, quibus per mortem ſublatis, remanent homines æquales.* Cur ergo alienæ fortunæ invides, cùm lethum omnes reddet æquales. En Invidi Cain cinerem reſoluti! *Ergo ne pereas, vide in hoc ſpeculo, quis es, quid* eris? Hortatur Auguſtinus.

3. Perpende, præ Invidiâ duriſſima te manere, quòd Invidia atrociſſimum tormentum noſcatur. Hinc Horatius:

Invidia Siculi non invenere tyranni
Majus tormentum.

Proinde Socrates volebat, Invidum auribus, oculiſque plenum eſſe, in propriæ perfidiæ acerbius tormentum: Ut dolorem illi cumularent aliorum encomia, & opes. Quod in Deuteronomio legitur, *dolores obtinuerunt habitatores Philiſtiim*; à Ruperto Abbate Invidiæ
Cap.23. tribuitur. Altiſſimus invidiam inflexit in inſtrumentum multæ Cain, qui primum homicidam ſe probârat, utque Sacerdos Heli affligeretur, ei dicens: *Videbis æmulum tuum in templo in univerſis proſperis Iſraël.* Hinc Divus Gregorius eam ei beſtiæ aſſimilat, quæ corrodit; de qua Job, *ingredietur beſtia latibulum, & in antro ſuo morabitur.*

bitur. Hoc cor eſt; *Ab interioribus egredietur tempeſtas, ſicut ab Arcturo frigus.* En tormentum! 1. Reg. 2.

4. Si quis aſſereret, invidiam ſuaviſſimâ naſci mannâ, veritatis candori minimè repugnaret; quoniam ceu caries in Jonæ generatur hedera, velut cantharis purpureis nutritur roſis; aſt *marceſcit rebus opimis*? Illa ſiquidem & vivit, & moritur, ſæpiuſque moritura renaſcitur inter fortunæ amplitudinem, opeſque alienas. En, Invide Narciſſe, ultimum veneno antidotum, unicum lenimentum dulcandæ doloris acerbitati, lethi meditatio! Triumphabat David, acclamantibuſque Hebræis fœminis, invidiæ mordacitas Saulis viſcera corrodebat: *Dederunt David decem millia, & mihi mille dederunt: Quid ei ſupereſt, niſi ſolum Regnum*? Attamen David, pannoſus paſtor, diſcalceatus, haut gemmato Saulis invidet diademati. In tranquillâ dearmatæ pacis ſerenitate Davidis cor quieſcit; nullius deſiderio tenetur, votis potiri non ambit, ne oculatæ Invidiæ mordacitati pateat. Cur hoc? En, coram oculis mortem habebat, occiſi gigantis caput geſtans. *Cùm reverteretur, percuſſo Philiſtæo, David, & ferret caput ejus in Jeruſalem.* Sic tu, invide Narciſſe, incurvato te ad propriæ conditionis Fontem, *vide in hoc ſpeculo, qui es, qui eris.* Invidia, quæ pallet, exſucca eſt, ad monumenti oſſa morietur, ad lethi memoriam ſedabitur. Si in alio præſenti fortunæ invides, vanitatem appetis; ſin ultimum finem, & tu morieris; aut futuram in cœlo ſortem, tibi quoque eam lucrari licet. Ergo lethargum excutito, operi te graviter accingas: *Perditio tua ex te Iſrael.* Invidus alieni boni, invidioſiſſimus occurris.

1. Reg.

1. Reg. c. 18.

5. Penes Tullii ſententiam, *eſt pigritia metus conſequentis laboris.* Hinc Plutarchus, *pigri in dies actiones ſuas procraſtinant.* Ignorant autem, inopinanter fatum adventare; dum prædonis more peregrinos invadit, atque enecat. Neſcis, ô homo, ubinam tibi lethum inſidias ſtruat? *Nihil Mortalibus*, aſſerit Divus Bernardus, *vel morte certius, vel incertius horâ mortis.* Ceu turbata nubes, quà fulminibus, quà furore gravida, per cœli regionem murmurando ſpatiatur. Illam ſpectas, ictum timens; ignarus autem temporis es, quo id continget. Neſcis cujus montis cacumen feriet; quæ immutabilis in ſævitiâ (mortem intelligo) mutatur quoad modum. Nunc in mari ſolvitur, inſtar Protei, ſubitanea procella ingens navigium ſubmergit;

in Bacch.

Ep. 105 ad Rom.

git; Dum hoc diſcrimen evaſurus, poſtergato littore, ad montis apicem feſtinas, lethum in ignem mutatum, tuum caput fulguribus horrido impetit fulmine. Sin in planitie detinearis, ferocis leonis, immitiſque tigridis faucibus eſca pates. Confuge tandem in urbem, cuſtoditas frequenta plateas. Aſt corruente palatio obrueris, effrænes equi te conculcabunt, in puteum incides, inſtante morte, lethi ubique locorum præda; quod ſive cuſpidato ferro, ſive ſclopeto, ſive venenatis ferculis, tandem multifariam te tollit è medio. Plures induit formas, quàm Proteus, ac Archelous. *in Mor.* *Ad hoc conditor noſter voluit diem mortis noſtræ eſſe incognitum, ut dum ſemper ignoretur, ſemper proximus eſſe credatur, & tantò quiſque ſit ferventior in operatione, quantò incertus eſt de vocatione.*

6. Tuæ menti occurrat Regii Vatis oraculum: *In manibus tuis ſortes meæ.* Divus Auguſtinus opinatur, Davidem innuiſſe gratiam. Cyrillus Alexandrinus cum Nazianzeno, decreta divina; Hugo Cardinalis gratiæ prædeſtinationem copulat, & gloriam. *In manibus tuis ſortes meæ.* Legit Genebrardus Hebræus, *termini vitæ meæ.* Modò Divum Hieronymum adeas, deſes Narciſſe: *In manu tuâ tempora mea.* Mors noſtra, vitæ noſtræ meta, ſors dicitur in manu Dei. Quale verò lethi, ſortiſque commercium? Mors reatûs habetur filia, juxta Paulum dicentem, *per peccatum mors.* Sors fortunæ ſe filiam jactat, *eſt fortunæ filia*, affirmat Euripides. Cùm ſors floridam, vividamque adoleſcentulam æmuletur, quæ, regio diademate venuſtata, ad arridentis fortunæ munera, & chariſmata blandè invitat; quid morti ſociabitur, dum anus edentula, & ſordida, falce naſcentem, & adhuc in herbâ ſpem truncat? Quòd utraque inopinatè operetur, ſimiles audiant, atque Contubernales. Sors appropinquat cum procul eſſe putatur. Mors ingruit præter expectationem. Ergo, datâ hypotheſi, quòd *mors, & vita in manu Domini*: Idem ſonat aſſerere, *in manibus tuis ſortes meæ*; *in manibus tuis termini vitæ meæ*; *in manu tua tempora mea.* Hinc Divus Auguſtinus, *inopinata mors mille modis quotidie miſeros homines inopinatè rapit.* *in Sol. cap. 7.* Porrò nunquam tam celeriter ſe rapiendam arbitrabatur fato formoſiſſima Rachel; In ipſo juventutis flore vernabat: *mortua eſt Rachel, & ſepulta eſt in via.* Dum enixa ibi parat ſolatium, extinguitur. Paternum deſerens tectum, humatur ſub dio. Hæc venuſtatis Luna, nondum Occaſum attingens, obſcurata eſt. Se Jovis filium, immortalitatis prærogativis donatum ſuſpiciebat, commendabatque Macedo. Ergo aliud cogitans, *decidit in lectum, & cognovit, quia moreretur.* Cæſar Prætor dum calceos indueret, animam exhalavit. Lucio Lepido ad portam pede allidenti, lethum contigit. Rhodiorum Legatus, abſolutâ declamatione, coram Romano Senatu, Auguſtus Monarcha in humaniſſima ſenſa effuſus expiravit.

7. En proditiones, en diſcrimina, voſque deſides Narciſſi, veſtris calamitatibus indormitis? Cur opera bona procraſtinatis, cur malam, depravatámque conſuetudinem exuendo ſuperſedetis? Maturato opus eſt. Hoc hortatur Redemptor, *ſi ſciret pater familias quâ horâ fur veniret, vigilaret utique,*

& non

& non ſineret perfodi domum ſuam. Et vos eſtote parati, quia quâ horâ non putatis, filius hominis veniet. Divus Gregorius affirmat, Chriſtum hanc propoſuiſſe parabolam, *ad excutiendum noſtræ mentis deſidiam.* Cur reſides jacetis, appropinquante letho? Afflicto cordi veſtro veſtrûm quilibet ingeminet oraculum Iſaac ad Eſau: *Vides, quòd ignorem diem mortis meæ.* Defungendum eſt, lethum ſcimus certum, tempus incertum. Si ſupremum diem [inquit ille] laudabiliter clauſero, beatæ æternitatis fructus colligam; Sin inauſpicatò perennia me manebunt ſupplicia; ac noviſſima meæ vitæ, prima meorum evadet cruciatuum. Quì lethi cogitatione non perhorreſco? *Peccantem me quotidie, & non me pœnitentem, timor mortis perturbat me.* Excuſſo ſegnitiæ lethargo, aſſurgam divino Chriſti conſilio adhærens, dicentis: *Eſtote parati, quia qua horâ non putatis, veniet.* Ratio proinde dictat, Eccleſiaſtis expleatur oraculum: *Quodcunque facere poteſt manus tua, inſtanter operare.* Nullum tibi vitæ momentum excidat infructuoſum. Meritorum merces in cœlum præmitte. *Atrops*, cujus nomini ineſt immutabilitas, exiguum vitæ ſtamen concedere ſtatuit. Indocilis flecti, ſurda precantibus, ſententiam revocare detrectat. Lethum nos identidem prodit. Ergo quò minùs præoccuperis, vacuúſque meritis ſuccidaris illius falce, *quodcumque facere poteſt manus tua, inſtanter operare.* Hìc non poteſt non exclamare Divus Chryſoſtomus: *Malus ſervus non aſpicit opera ſua, ſed quid facit, quid non facit, aut quid credit: Sed cùm viderit de longè Dominum venientem opera perſpecturum, & fidem; tunc aſpicit opera ſua, tunc incipit feſtinare. Sed nihil ei proderit feſtinatio, quia multorum dierum negligentia, non poteſt unâ horâ expleri.* Quàm arridet Altiſſimo ſegnitia proſcripta, eliminata, exſorris, atque ſedula ſolicitudo, ſolicita ſedulitas, cum impigra vigilantia! Inquit Apoſtolus, *petra autem erat Chriſtus.* Ad hæc petra leporibus deſervit aſyli loco, penes Divum Auguſtinum: *petra aſylum leporibus.* O profunda myſteriorum abyſſus! ô divinæ ſapientiæ inacceſſa arcana! Cur Chriſtus leporibus duntaxat aſylum ſe præbet, non autem cæteris animantium? Reſpondet Divus Iſidorus: *Dicitur lepus, quia levipes, quia velociter currit, velox eſt animal.* Chriſtus leporibus eſt aſylo, *petra aſylum leporibus.* Quandoquidem deſidiâ marceſcentibus inviſus, exercitos amplectatur, ſupraque veloces miſericordiæ, ſui refugii, gratiæque chariſmata prolixiùs effundat. Ergo priuſquam mors appropinquet, *quodcumque facere poteſt manus tua, inſtanter operare*: Et tranſactæ retro ſegnitiæ damna, ſedulè, graviterque compenſato.

S. Luc. 12. — *Gen. 27* — *Cap. 9.* — *Hom. 52. in Matt.*

8. Rurſus homo, cui patet proditio, omni momento paratum ſe præbeat oportet, ad excipiendos crudelis aſſultus: ita tamen, ut nunquam imparatum, ſcarmatùmque (ſicuti multæ ſedulitatis, ac perſpicaciæ Mortales decet) aut offendat, aut aggrediatur, & invadat. Æmulemur avem onocrotalum; cum roſtro ſupino, quaſi accipitris hoſtis expectaret armatus aſſultus, indormit. Homo ſemper illibatâ conſcientiâ, manibuſque operi intentis deprehendatur, ſupinitatis ignarus; vel cubans lethum ruminator.

9. Inter naturæ admiranda, quæ detegit Albertus Magnus, fulmen in ſui rapit ſtuporem; dum nubium ſublimibus præceps deſcendendo, ſi hominem feriat oculis apertis inventum, velare illum compellat, ac vice verſa. Mors inſtar fulminis, Mortalium impetit capita. Si nanciſcatur apertis mentis oculis contemplationi ultimi finis, probiſque operibus, illico illos claudit; efficitque, illis adſcribamur, qui *dormiunt in ſomno pacis.* Sin deprehendat lethi fulmen oculis clauſis, ſegnibuſque, præſtat, ut reſerentur, intelligamuſque, quàm egregiè nobis impoſuerimus, Libitinæ recordatione ſuperſedendo. Hinc David Numini enixiſſimè ſupplicabat: *Illumina oculos meos, ne unquam obdormiant in morte.*

10. Philippus Secundus Hiſpaniarum Rex, cum quodam Literato colloquia miſcebat. Hic Regem talibus interpellat; utut ſupremus coleris terrarum Orbis Monarcha, nihilo ſecius tuæ ſortis, fauſtitatiſque Invidiâ minimè tangor. Qua de cauſa? Subnectit Rex; quoniam (effatur Sapiens) triplici bono gaudeo, cujus dulcedinem paſſim Regibus libare, ne dicam perfundi, negatur amarè. Amici me fidelis neceſſitudo delectat, tuum latus, ô Rex, aſſentatorum coronâ ſtipante. Veritas perennè meis auribus ſe læviter inſinuat, qua nil pretioſius; dum Principum auribus extorris, Aulæ valedicere, optato deſtitui, viduarique contubernio compellitur. Singulo mihi mane in Horizonte aurora conſpicitur, quæ pulcherrima, longeque amœniſſima noſcitur omnium mundi rerum; quam ſuſpiciendo ſuſpicio, & commendo; Reges autem tam amabili ſpectaculo nunquam lætantur, ſomni curſum ad uſque meridiem prorogantes. Cur ergo, deſides Narciſſi, ſomni otio indulgetis? Cur ſalutifera gratiæ lumina, citra operationis fœnus, effluere ſinitis? Clamat Regius Vates, *illumina oculos meos, ne unquam obdormiant in morte.* Poſtquam Altiſſimus plurima Mortalium ſcelera Ezechieli
Cap. 8. denudârat, dixit, *videbis abominationes majores.* Facinus, cui ritè multando, iratæ Divinitatis fulmina unà vibrentur omnia! *Et ecce ibi mulieres ſedebant plangentes Adonidem.* Narciſſus moralis attendat, coram extincto ſedere! *Sedebant.* Immortalis Deus! Mortem ſcimus certam, & immunes deprehendimur, vacamuſque quum apprime exercitos, occupatiſſimos nos probare debemus. Inclinato te, reſes Narciſſe, ad noſtri Moralis Fontis marginem: *Hic* (tibi inſuſurrabo Apoſtoli Jacobi mutuatâ ſententiâ) *com-*
Cap. 1. *parabitur viro conſideranti vultum nativitatis ſuæ in ſpeculo: Conſideravit enim*
23. *ſe, & abiit, & ſtatim oblitus eſt, qualis fuerit.* Ingeminabo cum Job in tuum emolumentum; in fontis ſpeculo te ad unguem explorato: Quoniam *viſitans ſpeciem tuam, non peccabis.* Ego pariter, mihi conciliaturus novum robur, ad decurrendum Secundæ Partis ſtadium, hujuſce Fontis margini defatigatus innitar, reſpirandòque recreabor.

FINIS.

NARCISSUS
Ad
FONTEM;
Pars Secunda.

RPJCB

NARCISSUS AD FONTEM.

Pars Secunda.

PROOEMIUM.

QUISQUIS *prærupto ſolitarii ſcopuli acumini inſidens, ſubter æquoris effuſi planitiem obtutibus excurrit, fontem nonnullorum milliarium autumat. Sin concava pinu, tumidis carbaſis, alto ſe credat, vaſti Oceani fluctuantem immenſitatem, contracto ſupercilio dimetitur. Accuratior inquiſitio magnitudinis, imperii, potentiæque, quæ lethum in terricolas exercet, omninò nequit inſtitui; quàm ſingulos Mortalium ſtatus cogitationum alis pervolando: Quippe cùm nullus occurrat tributo ſubtractus, generatim communis hoſtis omnipotens audiet, atque timebitur. Mortis regnum quàm maris ſpatioſiùs offenditur; quandoquidem ſuis limitibus & Pontum, & Solum, & aërem cum igne circumſcribat, contineat, complectatur. Attamen illius regnum plenè maris æmulatur naturam; videlicet periculum, proditionem, naufragium, remotâ quacunque exceptione, ac diſcrimine cujuſvis perſonæ, ſive Monarcha, ſive bubulcus ſit, qui ſulcat undas. Homines navigare compelluntur, hocque executioni mandant phaſelli miniſterio. Phaſellus exigua navis eſt, cujus crepido tam eſt aquæ contermina, uti ad omne veſtigium jamjam ſubmergenda videatur. Illa phaſellus tegmine caret, ut cætera navigiorum haut inſtructa eſt; ſed undique pervia, cœli pluviam frementiſque maris aquam ſinu excipit. Jam aër obnubilatur, ſtrident tonitrua, fulmina ſerpunt, aqua ubertim decidit. Non eſt ſalutis locus, non eſt aſylum in illa contentis; omnes indiſcriminatim madefiunt. Verba Jacob*

ad Ruben: Effuſus es ſicut aqua; *Thecuitis:* Omnes morimur, & ſicut aquæ dilabimur: *mihi in memoriam revocant, aut nos lethal aquâ intinctos, aut lethum aquam eſſe. Illa diluviat ſingulos, quis erg in phaſello expers reperietur offenſa, læſionis? ah! dum hujus telluris thea trum ſuâ in firmitudine ſempiternum apparet, quidam accedunt homines quidam recedunt, haut ampliùs reverſuri. Quemadmodum illuceſcente no vâ die, vetus evaneſcit, nullatenus illâ reduce:* Generatio præterit & generatio advenit, terra autem in æternum ſtat. *Æquâ lanc nedum quos recenſuimus in Prima Parte, defunguntur, ſed novis inhian ſtragibus, Libitina alios quoque evitat, ſat furori victimas ſternens. A univerſalem moriendi neceſſitatem, lachrymas Mortales effundunt, & iraſ cuntur, ignari, caſſum contingere furorem viribus denudatum. Natur imbecilles occurrunt, quamvis in operando talis minimè videatur. Aqu repugnante ingenio efficaciſſimos recipit ardores. At abeunte agente, pri ſtina forma nativæ ſedi reſtituitur, & quemadmodum hactenus, frigi da manet; Ex Numinis Omnipotentia cœnum vitam hauſiſſe perhibe tur: verùm diſſociatâ animâ, ad deforme nihilum revolvitur. Hinc Re nerus affirmat, Reges Nabathæi in marmoreis Mauſoleis nequaquam fuiſſe tumulatos, at in ſordido lætamine: in quorum Regio funere h flebiles voces reſonabant, ac obſtrepebant:* Pulvis pulveri, fimus fim traditur. *Cùm igitur humana conditio, tantâ imbecillitate prædita de prehendatur, cur nos ſuccenſemus letho, tam lacertoſo, ac forti, quod que ab uno ad alium univerſi angulum, ſuum extendit imperium? va na proinde ira, quam haut potentia ſtatuminat, atque fulcit.*

2. *Hìc ira ridiculiſſima, lachrymæ nil proſunt, prudentia deficit induſtria fruſtratur. Mortem deriſuris unicum ſupereſt remedium, pro ba vita, quod ab ipſiſſima diſcimus morte. Zeno Philoſophus Apolline interrogavit:* Quid mihi agendum erit, ut rectè vitam inſtituam *Oraculum tale reſponſum edidit:* Mortuos conſule, & ab iis, qui

ſit faciendum, diſce. *Hinc Turcarum Himani, publicas calcantes vias, probæ notæ ſpeculum geſtare conſueſcunt; quod obviis objicienda effantur:* Inſpice, & vide, quid ſis. *Nam in vitæ jactura, empyrei lucrabitur æternitatem, quisquis rectè vitam inſtituens, ſe nihilum reputans, per ardua enitendo, ad pietatis apicem graſſatur, ac contendit. Mortis neceſſitas ritè conſiderata, frænum injicit, unde retrahamur à lubricis, revocemur à lapſu, eripiamur reatuum gurgitibus, nec non in libertatem aſſeramur, ac vindicemur. Quis autem elabitur letho?*

3. *De morte, de ejus natura, qualis eſſet, an peregrina, diſſerebatur; cùm Antiſthenes geminum humi circulum effinxit: quorum unum corpus adumbrare, altero animam deſignari interpretabantur. Illud enim in pulverem reſolvitur, unde originem & traxit, & derivavit; hæc quoque ſuum ad terminum aſpirat. Quivis circulus cum ſuo principio deſinit. Omnis homo mortis ſubjacet legi. Sol in ariete, calore, quem ex accenſis emittit cornibus, flores erumpere cogit, eodemque dehiſcere, tandemque flacceſcere. Quæ elementa Mortalibus vitam inſtillant, eoſdem & enecant, ac veluti teneri flores, pedetentim pallore lethi ſparguntur, donec omninò jaceant. Singulis itaque defungendi onus incumbit. Itaque in poſteriori præſentis Operis Membro, lethi memoriam ingerere pergo; ne quis ſibimet imponat, dum offendit, nullum Mortalium ſtatum, atque profeſſionem, rigidiſſimum lethi tenorem effugere. Opus breve contingat, quoniam brevis agnoſcitur vita. Narciſſi nomen illius inſcribitur fronti; nec aliud ſonat quàm flos: Flos, inquam, audit, quo vix quidpiam fugacius. Laborato, Lector, placido diſcas quieſcere letho.*

SYLLABUS CAPITUM
SECUNDÆ PARTIS.

Cap. I.	Medici ad Fontem.	Pag. 1.
II.	Politici ad Fontem.	25.
III.	Hypocritæ ad Fontem.	48.
IV.	Aulici ad Fontem.	68.
V.	Aſſentatores ad Fontem.	91.
VI.	Mercatores ad Fontem.	112.
VII.	Mechanici ad Fontem.	129.
VIII.	Hiſtriones ad Fontem.	144.
IX.	Venatores & Piſcat. ad Font.	162.
X.	Nautæ ad Fontem.	181.
XI.	Plebeii ad Fontem.	200.
XII.	Luſores ad Fontem.	218.

MEDICI
AD
FONTEM.

CAPUT PRIMUM.

IMPIGRE', alacriterque ſolvitote Mortales, anchoram tollite in Bogucam Inſulam contendendo; auram illam ſpirare maturate, melliflui cœli alumni, nullis funeſtatam næniis, nec horridis lethi prætextis involutam. Herboſo in ſinu illius æternæ, nec non amœniſſimæ regionis fons perennis aſſurgit, nativorum ſapphirorum limpitudine, ſolidos rotantis cœli ſapphiros provocans: ſupernorúmque corporum æmulatus virtute, ſuis undis ſeſe mergenti, aſtrorum incorruptionem, quæ cœruleis affiguntur ſphæris, pollicetur. Illius ſe lymphâ abluentes (ſuffragante Euſebio Noribergenſe) *ſenes jam mortuis vicini, rejuveneſcunt.* Haut peculiare Arabiorum cinerum munus celebraverim, renovari Phœnicem: & aquæ Bogucæ hujuſmodi jactant renovamen. Quidam in occidua, rugoſaque ſenecta, hoc ſaluberrimo ſuperfuſus humore, & per aliquot dies vitalem potans aquam, virilibus reſtituitur viribus; jamque quà floridus, quà lacertoſus, pancraticè vivit, ad ſecundum Hymenæum tranſit, prolis numeroſitate ditatur: *& hunc ſenem dicit ſe vidiſſe Petrus Martyr.* Nihilo ſecius ſi quem deterreat periculoſa tam longinqui itineris diſtantia, & antequam diſcedat, exantlandarum ærumnarum recordatione fatiſcat; vel noſtris in oris, ac plagis, alienæ opis indigo tam opportunum, quàm præſentiſſimum paratur remedium. Igitur trajiciendo, appellendóque ſuperſedeas, etiam, etiam-

l. 6. c. 54.

que ſuadeo. En Paracelſum, arcanorum ſagaciſſimum inventorem, qui *lapidem Philoſophorum* enſis capulo reconditum geſtat. Scientiâ turgidus, ad Divini vocem oraculi, *conſtituiſti terminos ejus, qui præteriri non poterunt*; protinus in ſacrilegum degenerans, blaſphemias evomere minimè dubitat, accinctuſque Superum eludendo decretum, vivacitatis ſuæ ultra centum, ac viginti annos prorogandæ ſatagit, molitur, maturat. At Paracelſus anno ætatis ſuæ quadrageſimo ſeptimo, ſupremæ neceſſitati facit ſatis. Dum improvidus ad oſtium, præque foribus Libitinam præſtolabatur, per feneſtram ingreſſa erudivit, ſibi granum quoque, nondum in ariſtam inoleſcens, in herba ſuccidi. Diſruptum Parcæ filum, qui connectendo foret, inventus eſt nemo. Paracelſus haut amplius veſtigium promovet, quem exanimem bajuli tumuli cimmeriis invehunt, umbris aſſociant. Ergò vel peritiſſimi Medicorum fato concedunt; caſſa Medicina occurrit; fabuloſi Bogucæ fontes. Singulos manet interitus, adverſus cujus venenum, nullum creſcit antidotum. Imperator Adrianus, Auguſtum decus, irrito conatu medicaminum, verſatorumque Medicorum ſpe lactabatur, cui futurum gaudii fructum expectatio defloravit; teſte annexâ ejus ſepulchro Inſcriptione: *Turba Medicorum perdidit Cæſarem.*

2. Medicina, ô medentes Narciſſi, iis præſtantiora, quæ Numen indulſit Eliæ, veſtro compoſito nullatenus ſuppeditare valet. Pallii percuſſione diviſum Jordanem auſpicatò tranârat: Admiratione caret, aquas obtemperâſſe, ubi humanitati flammæ copulabantur, fœduſque ſanciebant. En igneus currus, ſupra currum Thesbites. Vix abludebat à Sole, dum ſuper flammeas rotas, denſas nocturni horroris, lethi videlicet, tenebras propulſaturus, coruſcantes ſtimulat equos: Ad terreſtris Paradiſi immortalitatem volando, ceu triumphator dimicantium elementorum, ignem deferebat, omnium ſupremum, ovantis alligatum quadrigæ: ſibique ſecuras intelligens furias accenſas, per calcatas pergebat ad Olympum. Qui, retundendis minarum aſperitatibus, adamantino armabatur pectore, in medio incendio, ſtipatuſque flammarum ſatellitio, ardendi ſe prorſus probavit ignarum. Immò cùm Elias quantus zeli ſuccendebatur ardore, qui ignis ignem combureret? illæſus ibat, aëriſque Salamandra, in Phœnicis ludibrium, inter aromatici rogi flammas,

ſemet

ſemet cinefacientis, volabat. Cur autem Elias pallium haut ſecum detulit? dilucidare laborabo venerandam hujus arcani caliginem, luminoſâ tædâ ſententiæ Divi Baſilii: *Quid tantopere te commovet mortalem mori? & quid aliud in tam fragili, & volubili mundo, quàm mutationem iſtam expectabas? an non vides, quantæ paſſim fiant, & quàm crebræ enerationes, & corruptiones? cœlorum orbes in continuo ſunt motu; elementa invicem mutentur; Sol, & Luna, & cæteri Planetæ vagantur. Si igitur tantæ columnæ commoventur, quid ſperandum erat de homuncione mortali, & caduco?* Ab Apoſtolo quoque Paulo lumen mutuare juvabit: *Statutum eſt hominibus ſemel mori.* Ex hac communi defungendi neceſſitate ratio eruitur, cur Elias pallium depoſuerit. Eluceſcit inſuper, ſi contingat, quendam grave negotium è theatro revocare, hunc ibi chirothecam relinquere, quo minus alius ſuam occupet ſedem. Inquit Elias; ego, ſi diſcedo inter flammas illæſus, revertar denuò, dum Mundus ardebit. Evado ceu Sol in curru: Sol itidem præcipiti vertigine in occaſum tendit. Igitur moriturus redibo. Hinc pallium relinquo; locum mihi ſervate, ſolique modicum, ubi tumuler. In paradiſo terreſtri degebat ævum, ubi nulla regnabat elementorum pugna, ubi virebant herbæ, quemadmodum olim Numinis plantaverat manus. Harum vis herbarum Eliæ deſervit, quem cœleſtis gratia dirigit, atque paſcit. Attamen & illum lethum expectat; cujus ſibi conſcius, locum ſibi ſervari ſuſpirat: quoniam *ſtatutum eſt hominibus ſemel mori.* Vos autem, ô Medici, veſtrarum in herbarum ſuccis ſpem locatis, vos ægri fiduciam ſolertiæ illis habetis. Quoniam autem vos ingeniorum monſtra commendatis, ac ſuſpici caletis, perpenditote, inter *orimur*, ac *morimur*, ſyllabæ diſcrimen intercedere. Dicite mihi, amabò; *Quis eſt homo, qui vivet, & non videbit mortem?* Mortis fulminibus haud Thesbites ſe ſubtrahet, utut paradiſi coronetur deliciis, undique vitam ſpirantis. In ſæculi theatro uſquequaque mortis occurrit imago, moriendique neceſſitas urget.

hom. 5. de mor. Jul.

3. Totus mundus mortis eſt regia, & microcoſmus illius ad inſtar, quot conſtat corporis membris, totidem portas ingreſſui lethi reſerat. Mors ingreditur per caput, vitamque per apoplexiam eripit; per oculos mediis ulceribus, ſuffuſionibus, ophthalmiis, lippitudinibus; per aures ſurditatum, ſuppurationum, apoſtematum,

 paroti-

parotidumque miniſterio; per naſum polypis, ſanguineiſque fluxibus; per os cancris, torturis, ac aphthis; per linguam reſoutionibus, ulceribus, tumoribuſque; per gulam anginis; per frontem tumoribus; per tempora contuſionibus, muſculorumque læſionibus; per humeros laxationibus; per manus tumorum moleſtiâ, chiragriſque; per pectus pleuritis, peripneumonia, aſthma lethum invehunt; per brachia arthritis; per latera ilia; per ſtomachum inappetentia, cardialgia, pica; per ventrem colica, cum vibulo, & dyſenteria; per lumbos inflammationes; per jecur apoſtemata, hydropiſis, icterus; per pulmonem ſanguineus ſputus, phtyſis; per lienem hypochondria, ſcirrhus; per nervos reſolutiones, ſpaſmus; per oſſa caries, fractura, reſolutio; per pedes podagra; per cor, humanæ vitæ perennem fontem, furibunda mors ingreditur, armataque palpitationibus, ſyncopis, ſinopſychiis, cardico corporis ſalutem deſtruit, ac opprimit. Hinc Statius,

in Theb. *Mille modis lethi miſeros mors una fatigat.*

Deplorati Adæ filii, inauſpicata Protoplaſti germina! vitæ noſtræ juges ſtruuntur inſidiæ, noſtrum compoſitum agmina crudelitatis obſident. *in Solil.* O lethi ſævities acerba! *inopinata mors mille modis quotidie homines capit.* (ratiocinatur Hipponenſis Antiſtes) *hunc namque febribus, illum opprimit doloribus; hunc conſumit fames, illum ſitis extinguit; hunc interimit laqueo, illum dentibus beſtiarum; hunc trucidat ferro, illum veneno corrumpit.* Lucia M. Aurelii Imperatoris haut degener filia, acûs cuſpidem pectori candidiſſimi animatis ſibi nivibus tenelli infigente infanti, expiravit. Conſulem Rufinum interemit tegmen pectinis, quod venerandum pupugerat caput. Sophocles paſſi racemi grano extinguitur. Diodorus Philoſophus præ erubeſcentia, Diagoras præ hilaritate conceſſit in fata. Jubilum Chilonem Lacedæmonem, Dionyſium Syracuſanum evitavit. Marius, Theodoricus cum Ludovico Pio efflârunt animam timore perculſi; Nerva verò, Matthias Hungarus, Wenceslaus Bohemus excandeſcentiæ gratiâ. Inſuper Seneca reducens ad calculos, omnem animi perturbationem, mortis in corpore ſeminarium exiſtere, exclamavit enthuſiaſmo percitus; *quæ latebra eſt, in qua non intret mors?* dumque ingre-

ingreditur, obvia quæque demolitur, ac deſtruit.

4. Mundus perennè ruinis involvitur, noſque ſupra ruinas habemus antiquas, cum iiſdem ruituri. En, Medicæ Facultatis Profeſſores, axioma in Timæo veſtri decantati Philoſophi Platonis: *Mundus eſt quidem nunquam, ſed fit ſemper.* Hinc appoſitè pergit Ficinus: *Quoniam perpetuo motu, temporeque peragitur, ideò ſemper fieri judicatur: quatenus verò fit, non idem eſt, perinde ac ſi in torrente, jugiter fiat, reſtituaturque imago mortis, ſemper quidem in ipſo fieri ducta, nunquam in eſſe conſiſtens.* Frondex mortis imago, arboribus undique veſtiti, cryſtallinis in undis limpidi fontis oſtenditur; qui ejus lambendo pedes, adverſus ſuæ ſortis humilitatem ſecum murmurat. Modica in frigida moles montis ſuſque deque converſi conſpicitur. Quoniam autem ſuperficies reddit imaginem, denuo renovatur, recenti perpetim undæ adventu ludentis. Haud ſecus ſe mundus habet. Hoc in Morali Fonte, Medici Narciſſi, vos ad unguem explorate. Ubi in præſentiārum ingens tantorum turba virorum? ubi Acrones, Oribaſii, Diſippi, Hermogenes, Ariſtogenes? quò receſſêre Galenus, Avicenna, Hippocrates, Æſculapius cum Nicomacho, Themiſonéque? *in imagine pertranſit homo?* veteres Medici velut fluminis evanuerunt imago; neque mitior exitus Neotericos manebit. Quod cùm luculenter innoteſcat Franciſco Planckh, in Aula Sereniſſimi Bojariæ Ducis, ac Electoris, Medico Cubiculari; facilè medentium uni conſpectiſſimorum (qui dignus Archiatris aſcribi) tanta pietatis teneritate decumbentibus adeſt, uti tam ſolatio, quàm auxilio ſit ſuæ commiſſis fidei; non corradendis opibus mancipatus, at largam à cœlo mercedem expectans, quam eidem fœnerariâ redhibitione vaticinari licet, penitiùs ſuſpirare: quod ego illius ſuffragiis reſpirans, præſertim expleo, in arrham gratitudinis quantas maximas grates rependendo. Primates Medicorum, ſuccúmque notum habeo, quibus cordi, alienæ incolumitati conſulendo, propriam perennare famam, nominiſque celebritatem; in quos quadrat oraculum Iſaiæ, *erunt quaſi terebinthus, decidentibus foliis.* Terebinthus etenim, quamdiu foliorum pompâ, nec non viroris apparatu luxuriat, una præcipuarum arborum ſuſpicitur. Sin frondibus denudetur, truncum ſapit apprimè horridum, teſte Divo *c.12. ex* Baſilio. In vobis, Medici Narciſſi, floret ingenium, acieſque judi- *lect.70.*

cii, veſtriſque ver genis, ſtipantibus vernat roſis? mox *eritis quaſi terebinthus, decidentibus foliis*: quoniam *ſtatutum eſt hominibus ſemel mori.* Tunc haut erit artis Medicæ, in fovea marceſcenti huic arbori viriditatem, vigoremque reſtituere. Quid ergo buccis ſapientiam veſtram inflatis crepare contenditis, Medici Narciſſi!

cap. 38. 5. Medicinam creavit Altiſſimus. En Eccleſiaſtici ſuffragium: *Honora Medicum propter neceſſitatem; etenim illum creavit Altiſſimus. A DEO eſt enim omnis medela, & à Rege accipiet donationem. Diſciplina Medici exaltabit caput illius, & in conſpectu Magnatum collaudabitur. Altiſſimus creavit de terra medicamenta, & vir prudens non abhorrebit illa.* Huic veritati ipſiſſima natura aſtipulatur, ac declarat. Spectare eſt, indulgentis naturæ beneficio, ſcorpio idem herbam; cujus ſemen venenoſæ ſcorpionis caudæ ſimile docet, toxici perniciofam peſtem enervando, lethalibus illius morſibus folia mederi. Caltha pupillæ præ ſe fert imaginem, quam purgat. Dentaria dentem æmulatur, quem ſolidat. Hermodactylus digitorum eſt ſimilis, quos ſanat. Proſequitur modò Salomon: *Nonnè à ligno indulcata eſt aqua amara? ad agnitionem hominum virtus illorum, & dedit hominibus ſcientiam Altiſſimus, honorari in mirabilibus ſuis. In his curans mitigabit dolorem, ut unguentarius faciet pigmenta ſuavitatis, & unciones conficiet ſanitatis, & non conſummabuntur opera ejus.* Adamo ſcientiam hanc infudit Altiſſimus, cujus & memoriam, & traditionem diluvium abſorpſit. Quis igitur poſtmodum nos docuit, vivam in olla viridem includere lacertam, addito generoſo mero, ut potum hunc jejunus ſumendo tabidus ſanetur? quis theriacam componendo, orientis, occidentiſque campos compendio copulare docuit Andromachum? Quis ſcyllâ acetum componere inſtruxit, reprimendæ in ventre flatuum primæ generationi, modicum quotidie de illo ſumendo? Quis erudivit, pimpinellam frigidâ calidâ emollitam, nonnunquam continuæ febri mederi? Quis denodavit, Lyſimacham inſigne remedium haberi adverſus inextinguibilia peſtis incendia? reſpondet Hippocrates, & Strabo; *Origo Medicinæ eſt ab experientia; experientiæ occaſio eſt à neceſſitate, incrementa dedit conſuetudo.*

6. Poëtæ, floridi Parnaſſi felices habitatores, Apollinem Medicinæ decantant Authorem, utpote ob montis ſublimitatem, cœlo magis

magis contermini. Solem videlicet innuebant, cujus beneficio jus, ac virtus herbis communicantur; quas appellaverim humanæ vitæ ſubſidium, in quarum viriditate Salutis ſuæ ſpem locavêre Mortales. Æſchylus, qui etiam in Parnaſſo exarat, Prometheo Medicinæ primas ultro defert; nonnulli Ægyptiorum Mercurio, alii Iſidi. Homerus Chirurgiæ inventorem Chironem, Achillis magiſtrum ſuſpicit, quem honorem Pindarus Æſculapio, ejus diſcipulo, aſcribit, cujus ope panacea quoque inventa dicitur. Haut degeneres filios Æſculapii ſe ſe probavêre Machaon, & Podalirius; dum, exardeſcente bello Trojano, non obſcura dederunt peritiæ ſpecimina. Deinde ſexcentorum annorum intercapedine, demptis Pythagora, Democide, Hierophilo Chalcedonio, orbata duce Medicina cœcutivit. Cùm rege Artaxerxe Longimano, Olympiade LXXX. emerſit Democritus Abderita, & Hippocrates, qui Solis inſtar genuinæ Medicinæ tenebras diſſipavit; quo auſpice refloruit, & ſub gemino ejus filio Theſſalo, & Dracone. Olympiade CLXXVIII. Aſclepiades in ſcenam prodiit; qui pronunciavit, *Hippocratica medendi ratio, morti meditatio eſt*: novamque ſectam excitans, Scholam aperiens, inauditam methodum ſtabilivit, recenteſque regulas. En! qui viri eximii, inter ſe ſe diſcrepando, ad Medicinæ radices, ac fundum pervenire neſciunt; ſed palpando ſatagunt conjicere. Evolutis illis temporibus eminebant Galenus, & Avicenna, velut fulgidiſſima Medicinæ ſydera; quibus doctiſſimis magiſtris paſſim Orbis acclamabat. Haut ignoro, Golzè ætate noſtra famigeratiſſimum, in Patavino Studio Lectorem ſuper Avicennam, tandem medendi arti miſiſſe nuncium, his verbis, amicos vitâ ſpoliare relu&ctor. Ægrotus nullum medicaminis genus adhibebat; at omnia artis ſubſidia reſpuens, naturæ imbecillis deliquiis, duntaxat bellariis, ſive bucellatis ſaccharo conditis ſuccurrebat, Cretico vino intinctis; quem æmulatus Joannes Viſhinghius, Mindanus ejuſdem facultatis, ac Univerſitatis plurimum utilitatis enervatis languidi ſui corporis viribus attulit: fortaſſis utroque illud explente proverbio: *Is Bonus eſt Medicus ſibi, qui fuerit modicus cibi.* Dubio procul, divina Providentia opportuna nobis media paravit; at virtutem ignoramus herbarum, ut & infirmitatum naturam, haut rarò ad phlebotomiæ patrocinium, cùm pernicioſam demonſtrat effectus, confugientes.

7. Me-

7. Medicorum torrens aſſeverat, ex nativo calore concoctionem proficiſci. Communibus ſuffragiis refragantur nonnulli Veterum, recentiorúmque; horumque coryphæus Jo. Baptiſta Van Helmont, hujuſce Philoſophaſtros deridet; quoniam tranſeunte metaphora in rei ſubſtantiam, vera culina conſtituitur ſtomachus. Ille ſic argumentatur: Piſces naturali calore carent; & quamvis voraciſſimi veniant, attamen concoquunt. Gallinam ſupra hominem cumulatiore calore non eſſe præditam, liquet: hic nihilo ſecius crudum haud digerit granum, nec aurum, aut vitrum, dum illa nullo negotio hæc in ſordida excrementa tranſmutat. Ergo non caloris beneficio iſta inſtituuntur; hocque agens, circa ventriculum ſuam regionem, atque ſedem nanciſcetur: *quoddam fermentum digeſtivum, conſiſtens in vitali aciditate ad tranſmutationes potens.* Inſuper argumentatur Paracelſus, quòd cùm homo microcoſmus occurrat, etiam microcoſmi ritu, ſuos illi ventos congruere debeamus confiteri: hique ſunt flatus. Ventum Septentrionalem locat in lumbis, Auſtrali domicilium definit in umbilico, Orientalem in dextra, Occidentalem in læva ponit. Progreditur Helmontius; cùm alii quoque flatus reperiantur, nimirum & ſupra, & infra alvum: quam ſedem occupabunt quintus, atque ſextus ventus? proinde, ô Paracelſe, *ſanè non fuiſti illorum ventorum fidelis Æolus.* Cui Medicorum fides adhibenda? vero verius occurrit, Medicos cimmeriis opinionum obrutos, hallucinari, queis duntaxat probabilitatis lumen affulget. Sed Divi Bernardi aphoriſmo erectas aures præbitote; *mors non moribus, non ſapientiæ, non ætati denique parcit.* En Divi Pauli ſententiam, *ſtatutum eſt omnibus hominibus ſemel mori.* Laboratis de claudendis letho foribus, at præſtat Senecæ oraculum haurire, *eripere vitam nemo non homini poteſt; at nemo mortem: mille ad hanc aditus patent.* Et veſtræ, & alienæ vitæ longævitati perenne ſtudetis, in quos rurſus Seneca laxatis invehit habenis; *totâ vitâ diſcendum eſt mori.* Et alibi, *nullius rei difficilior eſt ſcientia, quàm vivere.* Hinc concludit Divus Bernardus; *ſemper fuit mihi ſumma Philoſophia, cogitare carnem meam poſt mortem.* Meus autem Joſephus Silos hoc expendens, Medicorum unicuique inſuſurrat;

In Teb.

Ludere quid jactas telum penetrabile mortis,

Fataque

Fataque Pœonia perdomuiſſe manu.
Nil Coo juvere ſeni argumenta medendi:
Tandem Phillyrides viſus & ipſe mori.
Fallere cùm nequeas lethum; ut poſt funera vivas,
Ne pigeat tumulum viſere ſæpe tuum.

8. Deceret Medicos hæc prærogativa, ſanctitatem ſpirare; illis enim ad amuſſim, ac ſupra cæteros, humanæ miſeriæ conditio perſpecta eſt. Cur ergo ad ſpectaculum quotidianum tot ægritudinum, quibus Medici ſatagunt, ad ſanctimoniam ſe componere negligunt, ac pietatis exercitationibus indulgere, vacareque nullatenus maturant? vobis accidet, ô Medici Narciſſi, quod & aliis, *qui* *Ora. in*
ſubitò rapti ſunt ſicut paſſerculi ab accipitre; ut uſurpem Divi Ephræm *eos, qui*
verba. Juvabit ad calculos reducere illud Philonis Hebræi: *Nonne* *dorm.* *L. de*
ſanitas incerta, infirmitatibus obnoxia? robur morbi expugnabile per *Joſ.*
occaſiones plurimas? ſenſuum integritas humoribus vitioſis facilè corrumpitur? Nunc formandi pulcherrimi dilemmatis, campus patet ampliſſimus. Aut agnoſcitis, aut non agnoſcitis hanc Philoſophicam veritatem. Si agnoſcitis, cur vitam vivitis incurii, neque noviſſimum finem examinando, animæ ſaluti ſtudere ſuperſedetis? è regione, ſi non agnoſcitis, ecquid perfricatâ fronte vos Medicos jactatis, eruditorum ora non erubeſcitis; cùm non primoribus labiis ſcientiam deguſtaſſe, à limine ſalutâſſe expediat, ſed ex fundo penitus hauſiiſſe? ergòne mercede infirmorum animas negotiamini, quòd impunè in mortalium corpora deſævire non dubitatis, crudeliores lanionibus, carnificibuſque? quid Parcis Poëtarum figmenta forcipes aſcripſerunt, quum Medici præſertim noſtræ vitæ ſtamina recidere lætentur, ac audeant? ô præclara, quam profitemini, ars! ô nobile ſtudium!

9. Incurioſos alienæ ſalutis, ineptoſque Medicos, medendi facultatem profiteri, ultimam fatuitatis lineam attingit. Dum enim pharmacum porrigunt, capiſtrum injiciunt, quique ſanatum acceſſerant, trucidant. Immortalis Deus? quibus hos ſugillabo diris. Job ſe inviſentes amicos, dum incumbebat fimeto, talibus allocutus dicitur verbis; *priùs vos oſtendam fabricatores mendacii, & cultores* *Cap. 13.*
res perverſorum dogmatum. Illos bracteatos, fucatos, perſonatóſque

appellat amicos, nomine, non re tales; qui crebriùs pulſum palpando, palpant ægroto. Rurſus eoſdem arguit mendorum, ac hæreſis: Cur autem? En ſeptuaginta reſponſum; *vos eſtis Medici injuſti, & curatores malorum omnes.* Quaſi idem ſonaret Medicus, perverſorumque dogmatum cultor. Clemens Alexandrinus luculenter eſ-
7. Stro. fatur; *num ergo quiſque ægrotans, & ut curetur opus habens, non admittit Medicum propter eas, quæ ſunt in Medicina, hæreſes?* Quædam Medicorum opiniones tam malè olent, ut perſpicuæ reperiantur hæreſes, non quoad fidem, ſed intuitu Medicinæ; quatenus non Chriſti, ſed Hippocratis, Galenique repugnant dogmatibus: unde ex incuria, ignorantiáve, ſub ſalutis colore, morbis incrementum adjiciunt, innoxios, inſonteſque evitant, denaſci compellunt. Quiſquis ergo ſuffertim haut verſatus eſt in medicâ facultate, tali munere fungi gravetur. Cæterùm veterator callidus, & alienam deſtruat ſoſpitam, & ægrotantibus oberit, & oppignoratam fidem non redimet, dum excadit reſtitutionis reus, qui fuerat voti, decumbentes argento emungendo. Eniti in magiſtrum, nodoſum admodum accidit; Quia *ars longa vita brevis.* Modò Tertullianus; *Hierophilus ille Medicus, aut Lanius, qui ſexcentos exſecuit, ut naturam ſcrutaretur; qui hominem fodit, ut noſſet, neſcio, an omnia ejus interna liquidò explorârit, ipſa morte mutante, quæ vixerant.* Nedum difficilis ſcitu deprehenditur Medicina, ſed inſuper nullam ingenuè apud nos regnare, citra Numinis revelationem, haut inficior; eſt enim mei juris, ac inſtituti, veritati ſtare, ut decet mentis integritatem. Liquidò conſtat, cui ſtudemus impenſiùs, occurrere caſſam ex integro. *Itaque dudum* (ſcribit doctiſſimus Helmontius) *mecum reputâvi, artem medendi, meram impoſturam, à Græcis introductam, donec tandem Sacra meliùs me inſtruerent . . . . Ipſe fretuſque ſpe, me aliquando ex mera Dei gratitudine, poſiturum ſcientiam Adepti, mihi perſuaſi.* Modò experimento doceor, naturam eſſe medicinam; illa, non Medicus, ſanat infirmum, qui naturam potiùs lædit ac aggravat. Quidam aſſerunt etiam, vulneribus mederi naturam. Sic Franciſcus Valleſius, Philippi ſecundi Medicus, ſic ratiocinatur; *ſuturæ non ſanabunt vulnera, niſi natura agglutinet; neque repoſitio oſſis erit ſatis, niſi natura firmet articulum ligamentis; neque ſciſſio conferet, niſi natura pellat malum, quod ſuberat.* Sin quis à ſua vanitate remo-

te removeri reluctetur, hocce Joannis Fabri argumentum eluctetur; *Vidi morbos ferè omnes incurabiles, & ſi aliqui eſſent curabiles, id naturæ debebatur, & non artis medicæ miniſterio, operæ, & auxilio. Exſpectanda enim eſt in cura morborum omnium criſis: ſi criſis ſit exſpectanda, ergo totum curationis opus naturæ eſt committendum, non Medico, & arti! quia criſis eſt ſolius naturæ, non Medici, nec artis. Medici autem eſt curare morbos ante criſim, & ſine criſi, alioquin nihil agit, & ſi agat, & non curet, naturæ eſt nocumento, & plus nocet, quàm juvat.* Audi, quiſquis es, germana Oſvaldi Crollii ſenſa; *Non enim Medicus eſt, qui morbum profligat, ſed natura ipſa (quæ eſt interna Mumia, ſeu Balſamum internum) malum ſibi ipſi adverſum omne expellit, ſi, deficientibus propriis viribus ejus internis, externis viribus illi ſubveniatur à Medico, ſuo miniſtro; quamvis ſæpe optimum medicamentum ſit, nullum adhibere medicamentum, & operationem ſoli Archæo, ſeu arti naturæ committere. Interna enim corporis natura plures morbos pellit, quàm Medicus cum ſua medicina.* Vanam ergo, caſſamque deprehendimus artem medendi; aut ſaltem incertam, obſcuram, intutam, dubiorum labyrinthis involutam, ſuis in viis impenetrabilem. Naturæ beneficio debetur, non Medici miniſterio, morborum evacuatio; quis profligâſſe, propulſâſſe, naturæ fuerit.

10. Laborioſum vobis contingit, Medici Narciſſi, integræ veſtræ profeſſionis metam attingere. Mortis autem Philoſophiam, vobis in ictu oculi diſcere datur. Pulſus incolumis, vegeti, robuſtique, unius horæ ſpatio, quatuor millibus, ſexaginta quinque vicibus pulſat, atque reciprocat. In exoticis febribus multoties multiplicat per ſextum; in acutis autem atque malignis paſſim per quintum; proinde intra unius horæ curriculum, vicies mille ſeſe repetit, ſupra trecenties viginti quinque. Huic animadvertendo, quantum otii requiritur? Quot capita deſudârunt? Quæ ſolertiæ ſupellex non fuit adhibita? Improbus labor, pertinax ſtudium, nil intentatum reliquit, nulli pepercit ritui, ullo non ſuperſedit molimine. Nihilo ſecius liquet, tam ardua non eſſe ſuſcipienda, inſtituenda minimè venire ad hauriendam cognitionem, lethi ſubſidiis perennè nos interitui eſſe propinquos, quod millies unâ horâ, nobis medendis falcem rotare conſuevit; ita ut antequam appetant

noctis tenebræ, ſingulis diebus ſuo furori mortalium faſces victimet. His autem exanimatis, & vos aſcribemini, ab omnium triumphatore fato, citius quàm vobis perſuadeatis. Hanc fortaſſis cataſtrophem ſcientiæ veſtræ præſtigia, faſcinationes, nec non obſtetricantis philautiæ calliditas vobis ſubtrahunt; quos excæcatos in foveam impellunt. Vóſne latet, in Ciceronis villa propè Puteolos, fontem emanâſſe, infirmis oculis proficuum, viſúmque acuentem? Hinc illi Libertus epigramma non dubitavit inſculpere, cujus hanc habeto clauſulam.

Nimirum locus ipſe ſui Ciceronis honori
Hoc dedit, hac fontes cùm patefecit ope.
Ut quoniam totum legitur ſine fine per Orbem,
Sint plures oculis, quæ medeantur aquæ.

Hoc epigramma Plinius ita commendat, *dignum utique, & non tantum ibi legi.* Allubuit huic inſerere Operi prætacti fontis epigramma; ne in meo mortali Fonte fons Medicus deſideraretur, & quid illi deeſſet. His aquis oculos ne tædeat abluere, conciliandæ opi ad luculentiùs perſpiciendam terricolarum conditionem; cùm enim ærumnarum nos reliquias amariſſimis lacrymis defleamus, neceſſum ſit, tumulo ſervemur, ad ſepulchrum noſtræ vitæ curſus collimat, ac tendit. Itaque non epiphthora mors exhibet, antidotum œcumenicum.

11. Alexander triumphalibus redimitus lauris attingens Indiæ confinia, quid cuidam foret inſtituendum, unde coleretur ut Deus, illos Gymnoſophiſtas rogavit. Reſponſum ediderunt, *Si ea fecerit, quæ fieri non poteſt, ut homo faciat.* Vos Medici de mortalium grege cùm agnoſcamini, vitam impertiri minimè valetis; quoniam *mors, & vita in manu Domini.* Qui proinde, quà mendaces, quà ſuperciliosi, tam vobis, quàm aliis vitæ uſuram ſpondere nullatenus erubeſcitis? Naturâ mortales fragiles obviant, quorum principium, ac finis, cinis. Hinc nullius medicaminis ſuppetiis, huic communi ſcoriæ, vermiumque corruptioni ſubtrahentur. Hoc primum hominis alimentum agnoſcitur: quo, ceu humore tenellæ plantæ, adoleſcit, atque fovetur. Ex diametro actum videtur putrefactionis antidotum;

tum; quippe caro in eo immerſa, aliquamdiu corruptionis eſt expers. Sin quis microſcopium adhibeat, putidiuſculus explorator, lac, acetum vermibus offendet ſcatentia. Quis igitur, ac qualis deprehendetur paſtus, quum pabulum verminoſum peccet, laborétque pernicie? Scordium, herba odorifera, corruptionem arcet; perhibeturque multa corpora belli deſideratorum, eidem inhærentia, ſervata fuiſſe. Quid autem futurum erit, cùm eadem herba ſiccabitur, omnique virtute ſpoliabitur? Cum Seneca ingeminandum ſupereſt, repetere venit; *Homo eſt vas quaſſum, & fragile; eſt corpus in omnem fortunæ contumeliam projectum.* Et urget neceſſitas illud Platonis mutuandi; *Vita noſtra ſicut flamma ſtupæ, à minimo vento extinguitur.*

12. Hac ferrea ætate duo potiſſimum invaluêre, præſagium, ac ſomnium, unde futuri tenebricoſi lumen coruſcans ingeritur. Augurium ganitûs, auſpiciumque, quod à volucrum volatu depromimus, à præſagio veluti genere comprehenduntur; quod audit animæ impulſus, quæ, inſitæ nobilitatis ergò, externiſve commota ſignis, id divinat, quod naturaliter ignorat. Fortaſſis Lydorum Rex Crœſus, Filium ſuſcepit, qui poſt ſex menſium curriculum à nativitate, vocem liquidò articulans, jam jam imminentis calamitatis fatale præſagium extitit, uti monumentis Plinius conſignavit. Forſitan quæ luſcinia, naſcente Eſther, juxta Sabianum, ingreſſa cubile, ad incunabula ſuaviter modulabatur, augurabatur auſpicatam illius fortunam. Fortè columbæ circumvolantes Semiramidem nutrituræ, læto purpuræ, diadematiſque auſpicio illi fuêre. Septem aquilæ, quondam in Caii Marii conſpectæ ſinu, forſitan illi nunciabant ſeptima vice Romæ Conſulatum. Philomela in ore infantis Steſichori cecinit; apes mellificârunt in Ambroſii labiis, in ore Pindari, Platonis, aliis in Divi Petri Nolaſci dextera favos ſtillantibus: Forſitan ad deſignandam unius Poëſin, alterius eloquentiam, aliorùmque ſcientiam. Concinnè Fulgoſius pronuntiavit, è Platonis ſinu Socratem aſpexiſſe egredientem candidum olorem, ſui melos ſuavitate replentem terrarum Orbem. Memorat Dionyſius Halicarnaſſeus, Servium Tullium dormientem, circa caput coronâſſe flammam, in Prognoſticum animi generoſi, nec non Zelotis erga Rempublicam. Sic aquila, quæ, penes Hiſtoriam Sabellici, Aurelianum ex incuna-

bulis eripuit, in aliud cubiculum deferens, illi Imperium prænunciavit. Fortitudinis, Generoſitatiſque præſagium extitit, Curium dentibus armatum oriri, cui deinceps impoſitum Dentati cognomentum. Zoroaſtis in riſum ſoluti, cùm primam lucem adſpexit, hilaritas index fuit excelſæ indolis. Immortalis Deus! cùm ergo mortalium ſinguli lacrymarum rore madidi vitam auſpicentur, nonné certum futurarum calamitatum præſagium, lethíque inevitabilis illis ingeritur? Vix in lucem emiſſus infans, lachrymis impenſiùs indulget, mente præſaga malorum, vel clauſis oculis impendentes ærumnas prævidens, ac mortem. Natus loquendi reperitur ignarus, fortaſſis quo minus ſe defunctum teſtetur in ipſo vitæ limine, atque crepuſculo. Priuſquam cœlum Solemque intueatur, lacrymarum torrentem effundit; quaſi cœlum, ſtelláſque gravetur aſpicere, quarum malignis aſpectibus fulminandus venit.

13. De inſomnio nunc nobis ſermo inſtituendus, cujus diſcutientes naturam, aut Angelicum, aut Dæmoniacum, certè naturale deprehendimus. Angelicum, quod in quacunque temporis circumſtantia, veritatis candori reſpondet, ac conſonat, futuri nobis cognitionem affert, utpote divinæ revelationis. Huc collimat Sol ſyderibus adoratus, quem ſibi ſomniârat Joſephus. Hîc ſpectat
L. Eſt. c. 10. arbor Nabuchodonoſoris, fonſque Mardochæi; *Parvus fons, qui crevit in fluvium, & in lucem, Solemque converſus eſt, & in aquas plurimas redundavit.* Dæmoniacum ſubinde impletur, nonnunquam imponit. Incompertum eſt, ſomnium Philippi Macedonis fuerit dæmoniacum necne; cùm etiam Olympias ſomniavit, ſe fulmen ſuâ alvo geſtare: quod præſagium extitit naſcituri Alexandri, roboratum auſpicio geminæ aquilæ, quæ Palatio imminebant; quarum una Orientem verſus, altera ad Occidentem vibravit volatum. Quid memorem Aſtyagis inſomnium, ex Mandanes utero vitem germinare, quæ totius Aſiæ ambitum obumbraret; quod ubertum inclyti Cyri prognoſticon agnoſcebatur. Octaviani Auguſti parens, per quietem ſibi viſa eſt propria viſcera ab aëre circumferri, ac per totum terrarum Orbem diſſeminari; rurſuſque ſomniavit, Solem ſe parituram. Cicero pariter ſomniavit, ſtellantibus Sphæris à Jove Octavianum præ Capitolii foribus demitti, cujus manibus dein flagellum imponeret, ut reverà nobilitatis inſoleſcentis flagellum ſe ſe probavit.

probavit. Juſto Patritio Romano quieſcenti, purpura objecta fuit, quæ ſuâ flueret alvo: Fuitque Juſtina, Valentiniani Imperatoris ſpectatiſſima conjux, integerrimaque Princeps. Agariſta, Xanthippi uxor, Leonem ſe parere ſomniavit, fuitque Pericles: Ut superſedeam aliorum exemplorum farragine. Dubio procul hujus farinæ ſomnia, expletæ veritatis præſagia fuêre. In ſuſpenſo tamen eſt, an Angelica, Dæmoniaca, aut naturalia extiterint.

14. Naturale ſomnium niſi effectum, profecto confuſum eſt. Illud effectum jure meritiſſimo appellaverim, quod proficiſcitur ab internâ Paſſione animi, corporiſque; perennéque veri cognoſcitur index: quod proinde Medici gnaviter obſervant. Quidam ſomniavit, teſte Galeno, alterum ſuorum humerorum in ſaxeum degenerâſſe. Verùm exiguâ intercapedine paralyſi laboravit. Crebriùs febribus æſtuans, atque correptus, incendia, flammaſque ſibi videre videbitur in ſomnio, quoniam febris calor venas occupat, accenditque ſanguinem. Amor, ac odium huic fidem aſtruunt. Unus dormiendo interficit, blanditur alius. En præſagii veritatem! Eſt & ſomnium confuſum, cui ſemper vanitas accumbit. Quippe excitata in phantaſia ſpecierum, imaginùmque varietate, quis quieſcendo tam abſona combinat, componit, ac cogit, ut omnem eliminantia connexionem, ſomnium vanitate reſtagnans conſtituant: Queîs quiſquis ſe devovet, ſubſannandum ſe propinat. Morum derideo fatuitatem, quibus volupe nocturna interpretari mendacia, chimæraſque mentis dormientis, in veritatis argumentum inflectere; ceu futuros eventus frivolis venari daretur. O Lucida vini vaporibus obſcuratarum mentium præſagia! Nonne in mero, mera vanitas? Quod commercium dentium, qui excidunt cum parentum interitu? In his id cavillor, id vitio verto, quoniam cauſantur opus naturæ. Rurſus quid Homo volans, in imagine ſomnii, ſuæ Fortunæ præcipitium adumbrari, neutiquam animi pendet! Cur levi conjectura veritatis pondus pendit? Cùm ego affirmantes audivi, in ſomniis ferro veſci, longævitatem portendere, plumbum tangere, vitæ brevitatem; abluere manus anxietatum argumentum exiſtere; geminam aſpicere Lunam, honores indicare: Tunc in cachinnos effuſus efflavi, numquid ignorantiæ deliria ſugillaverim, fabulas cœcutientis Artemidori, Cardani ſuperſtitiones?

15. Sum-

15. Somnio verò mortalium vita ſimilis habetur, aſtipulante Philone Hebræo; *Somnium eſt vita hominum; nam ſicuti in ſomniorum viſionibus videntes non videmus, audientes non audimus, mente inaniter ſine ullis veris objectis pingente ſibi ſimulacra rerum non exiſtentium, tanquam exiſtentium: Eodem modo, & vigilantium imaginationes ſomniis ſunt ſimillimæ, veniunt, abeunt, occurrunt, refugiunt, priuſquam comprehendantur, avolant.* Autumat Medicorum Collegium, in promptu habere præſentiſſima medicamina adverſus omnia ægritudinis genera. Triumphaturi de letho, illi ſperant ſæculorum catenam connectere, prorogandæ mortalium vivacitati. Verùm enim verò ſibi ſimulacra pingunt rerum haut exiſtentium, ſibique repugnantium, quæ executioni nunquam mandentur. *Somnium eſt vita hominum.* Hinc Sophar Jobi dixit, *qui eum viderant, dicent, ubi eſt? veluti ſomnium avolans non invenietur, tranſiens ſicut viſio nocturna.* Somniis autem effectis fides haut neganda venit. Sibi perſuadere, intrinſecus nobis adhærere noſtrarum calamitatum originem; nos quatuor Elementis conſtare, quorum primis qualitatibus mutuò pugnantibus, noſtrum deſtruatur compoſitum, ſomnium approbabo, cui veritas reſpondeat, juxta tritum: *Statutum eſt hominibus ſemel mori.*

l. de Jos.

cap. 20.

16. Repeto, nobis inſertam eſſe noſtræ perniciei cauſſam, auguria, auſpicia non ab avibus, at à nobis ipſis derivanda venire. Superſtitionem olet, noctuæ cantum, lethi augurium haberi. Illa cadaverum ſe probat amicam; cui olfactus tam acutus eſt, ut illorum fœtorem quàm longiſſimis paraſangis percipiat. In homine letho propinquo, ſenſuum integritas humoribus vitioſis facilè corrumpitur; ac jam jam extinguendus fœtorem longè latéque diffundit, halat, ac ſpirat: qui, cùm ad adſtantium nares minimè pertineat, attamen innoteſcit noctuæ, quæ naturæ propenſione accedit, corruptionis inhians graveolentiæ. Proinde non noctuæ opus putandum, id præſtante augurio, lethique causâ, quæ nobiſmet ingeneratur, quoniam compoſitum morti ſubjacet: *Statutum eſt hominibus ſemel mori.* Vos Medici, qui veſtram artem eò decoris, atque faſtigii proceſſiſſe jactatis, uti à primis incunabulis ſplendida, progreſſu ſplendidior, modò ſplendidiſſima fulgeat: præſtate, vernantis amœnitas roſæ nunquam flacceſcat. Homines naturâ fragiliſſimos

ſcimus,

ſcimus, roſæque ſimillimos. Herba, vulgò, Pollionium, quam Moſchus, & Heſiodus ſummis laudibus efferunt; ludentis Floræ amœniſſimum Spectaculum, Pomonæ delicium, iris Aprilis, plantarum Proteus, hortorum chamæleon, prati Mercurius, eadem die plurimas colorum ſpecies induit. Ubi primùm diluculavit, albeſcit; Sole meridiano rubeſcit, quo occiduo cærulea apparet, tandemque pallida ſiccatur. Arachne, ſi ver foret texendo, in his foliis identidem quid novi moliri videretur. Mortalium vita de die mutatur. Ægrè homo juvenis audit, cum momento maturus, illico ſeneſcit, fatoque concedit. Pietatem, Domine, pietatem Jobus ingeminabat. Deſine irarum, in meorum mendorum multam, gladium evaginare ne matures; *Contra folium, quod vento rapitur, oſtendis potentiam tuam, & ſtipulam ſiccam perſequeris?*

17. Cuſtoditurus immortalem noſtræ vitalis frondis virorem, Joannes Van Helmont, Medicus haut pœnitendus, deſudavit. Dormiendo reperit arborem vitæ; ſomniiſque fidem adhibens, ſequentia monumentis conſignavit; *Reſolve fragmenta ligni Cetim, cum pari pondere liquoris Alkaheſt, in vitro ſigillato, ſub tempore fovente. Et infra ſeptimanam videbis totum lignum in liquorem lacteum migraſſe. Mox verò circa quindenam ſupernatat diſtinctim duplex oleum, quod in menſem uſque augetur, & ſeparatur dilucidius. Oleum verò tum ſeparatur ab aquâ per operationem manualem; tum diſtilla aquam in balneo, & liquor Alkaheſt primævo ſui pondere manet in fundo. Oleum verò tum ſeparatur ab aqua toto trimeſtri, lento tempore foveatur, & totum oleum aſſumit naturam ſalis, & ſeſe permiſcebit aquæ, eſtque ens primum Cedri.* O inanem ſomnii larvam! ſuam verò infelicitatem, ſe operam, oleumque perdere, ipſiſſimus teſtatur Helmontius. Audite Medici. *Meritò ergo improperent mihi Scholæ: tu miſer, parvæ notæ Homo, magnæ Ambitionis vir, ſenex paradoxe tardus veniſti, ut cum tuo Cedri encomio, mundo obtendas nebulas. Herbariis noſtris notæ ſunt ſtirpium Hiſtoriæ, ac vires. Tu verò, ut inauditum commentum de vita noſtra oſtentes, inſanire cum cedro paradoxus pergis. Eja ſi cedro tanta ad vitam ſit poteſtas, cur Reges omnes non longævi? Unde novus hoſpes advenis? Profer literas, & experientias, quibus credi vis. Ut enim Juriſconſultus rubeſcit ſine lege loqui; ſic Medicus, citra experientiam. Negare enim non potes, quin decocta frondium, nucleorum, ligni, cor-* Cap. 141.

ticis, radicis, vel reſinæ cedri, vitam continuatam jam dudum prodidiſſent. At nihil horum liquet per noſtros herbarios. Tu ergo occulto modo præparationis deterres, ſtylòque tetrico artis fumi vendulæ, mentitum myſterium Cedri involvere optas. Quod, depoſitâ larvâ Alkaheſticâ (aſſumpta duntaxat ad occultandum tuam inprovidam temeritatem) ridebunt literati penè omnes, qui non patiuntur ſe abduci in nova placita per ſomnia, aut fictas ecſtaſes. Helmontio partim improperant ſenſati, cujus fidei derogant, abrogata hujuſmodi medendi methodo. Vitæ arborem per mentitas ecſtaſes expiſcatum ſe ratus, in urna modicus jacet pulvis, lethi præda. Quàm inclytiſſimus hic Medicus Belga nunquam oraculum hauſerat Romani Stoici; *Nullius rei difficilior eſt ſcientia, quàm vivere.* Et alibi, *tota vita diſcendum eſt mori.* Poſt vigilatorum laborum catenam, immortalitatem ſe vinxiſſe rebatur Opuſculo, cui titulus *Arbor vitæ,* Plutarchus exclamat, *poſt mortem non opuſcula, ſed opera penſanda meminerimu*.

18. M. Antonius Ægyptias Pyramides ſpectans eructavit: *Omnia tempus devorat, omnia conſumit; Sola Gloria laborum noſtrorum cum tempore intercidere non poteſt: hæc, ut in æternum duret, vitæ eſt anteponenda.* Ita Gentilitatis cimmeriis obrutus ratiocinatur. Vos autem, medentes Narciſſi, quêis Evangelicæ veritatis Lumen affulget, ignoratiſne, germanæ Gloriæ choragia ſuſcipi, quæ poſt præſentis vitæ funus immortalitati ſuos parturiunt alumnos. Illam autem operum, quæ in hac vita perpetramus, pretio mercamur. Inter quæ ſibi principem vendicant locum miſericordiæ exercitia. Quò vocat pietas, eundum, imò properandum. Non ergo cumulandis opibus inhietis; & ſi contingat vos vocari ſuſpiriis, rei familiaris anguſtiis laborantis ægroti, Medicam porrigite manum, ut ut mercede vacuam, retractari veniatis. Sanatum Centurionis Filium accedere maturat Chriſtus; *ergo veniam, & curabo eum*: Piſcatoris ſocrum propriâ manu ſanare non dedignatur; *Socrus Simonis Petri tenebatur magnis Febribus.* Tota die piſcinæ languidos inviſit, hydropicis, paralyticiſque ſe commiſcet; accerſitus ad decumbentem Reguli Filium, accedere reluctatur, cui ſanitatis munus largitur eminus; *Vade, Filius tuus vivit.* Hinc exemplum depromere licet; indiſcriminatim tam pannoſo, quàm purpurâ involuto Medicum adeſſe debere. Verùm, quot veſtri deliquium Studii, ecliptica ſolertia

lertia, extenuatæ charitatis ardor propemodum extinctus, evitat? Igitur paradiſi gloriam iteratis homicidiis, aggeratiſque cædibus venari conceditur, impetrare licet? Philemon Philoſophus ita lamentabatur: *Medicis, & Advocatis occidendi data impunitas videtur; quinimo merces etiam tribuitur.* Senator ille Romanus Cynicæ mordacitatis ſale perſtrinxit Medicos, lepidè effando: *Medicos ad defunctorum funera non accedere, eò quod vereantur, ne, ſi fortè morti cauſam ex imperitiâ dediſſent, ex cadaveris ſanguinoſo defluxu id detegeretur.* Hinc ortum illud Proverbium vero verius; *Medicè vivere, eſt miſerrimè vivere, & ſumma Medicina eſt, non uti Medicinâ.* Ægro Arragoniæ Regi nil profuêre medicamina, quem ſuum melancholia captivum opprimebat. Attamen pervolvendo in Curtii Hiſtoria Macedonis geſta, excuſſis triſtitiæ nebulis, ſerenitati mentis reſtitutus hilareſcebat; Cujus hoc extat oraculum, *abeant, & valeant Medici, & vivat Curtius meæ ſanitatis reſtitutor.* Nimirum ſumma eſt Medicina, nullam ſciviſſe. Quidam inſuper animadvertit, Medicos equidem pharmaca præſcribere, non autem ſumere. Hinc facetoſus luſit;

Accipit oblatum Medicus, dare non ſolet aurum;
Pharmaca dat Medicus, non ſolet accipere.

Bahuſius autem argutiùs eloquitur;

Sic cum non faciant Medici, quæ plurima dicunt,
Nonne Phariſæos dicere jure licet?

Omnino Medici ſturnos æmulantur. Sturni, ſi coacti erumpente aurora, ad has ſcintillantes purpuras volabunt, matutinam tempeſtatem potiſſimùm præſagiunt: Si ad Solis occaſum commovebuntur, tempeſtas continget ſerotina, prolixaque; quod & portendunt, poſt primum volatum reduces, perennè ſturnorum volatu pernicioſo. Quid autem Medici præſagiunt, ad Collegium formandum unà contendentes? Aut lethi, aut calamitatum tempeſtatem annuntiant, in periculoſo, prolixòque morbo. Funeſtum ſemper eſt Medicis. Inde decerpere eſt prognoſticon, mortis Virgâ ſtemmatum arboribus, tam coctos, quàm crudos excuti. Adultis datur intelligere, in meridie ipſis Solem occidere poſſe, dum in floridâ

juventute, matutino tempori veſpertinum præceps copulatur. Senibus denudatur, Aſtrologorum horoſcopis fidem ſubtrahendam, Chiromantiam caſſam occurrere; Cujus prognoſtica, tametſi ſubinde veritati conſentanea, laribus attamen funeſta calamitatum invehere præſagia. Adrianus Cæſar, expediturus ſe hujus farinæ tricis, poſtquam ipſum incurabilis hydrops invaſerat, atque poſſederat; vix Hermogenem Medicum adventantem aſpexit, cùm illico locum ſub mamma digito deſignavit, ubi virus applicari deſtinârat, quo minus prænuntiatæ ab illo tempeſtati cogeretur immorari.

19. Quis autem alius hiſtoriæ clypeo, contra ſibi improperantes, muniendi ſatagit. Galenus revocando à lethi barathro, Antoninum Pium, cùm Imperator bis ſex liquefactas gemmas, ingentis pretii abſorbuit (novem millionibus conſtitiſſe perhibetur) ad hauriendam ſalutem; Diadema munus accepit, affirmante Antonino, *Antoninus Imperator Romanorum, Galenus morborum.* Verùm enim verò vobis, Medici Narciſſi, parum, aut nihil ſuffragatur allatum exemplum. Siquidem meditanti mihi veſtram artem, Antoninus, atque Galenus tumulatus occurrit. Ergo defungendum eſt Medicis, ac ægrotis. Hinc ut rapidu fulgur evanuit quàm inclytiſſimus Dioſcorides; Cujus inſtitit veſtigiis Philippus Acarnan, utut Alexandri Macedonis electus ſuſpiceretur Medicus. Viſi ſunt umbræ vanæ, Philoſtratus Siculus, Menecrates Syracuſanus, Agapius Alexandrinus; Quorum noviſſimus artem medendi in theſaurizandi inſtrumentum inflectens, nudus attamen in foveam intruſus eſt. Quotquot in hanc mundi ſcenam prodiêre, licet literarum ſupelectile ad miraculum, invidiamque cumulati, depoſitis mortalitatis exuviis, fato conceſſerunt, nullo illorum veſtigio manente.

Mors nemini parcit.

Mors ruit, & velut maturas meſſor ariſtas,
Omnia vulnifica falce cruenta ſecat. — *Juven.*

Et ſapientiæ primates, Apollinea Capita naturæ ſolvêre tributum, letho nemini morigerante, cujus ſarcinas bajulat omnis. Hinc Divus Auguſtinus: *Reſpice ſepulchra, & diſcerne, ſi potes, victum à Rege,* — *l. de na. & gra.*

ge, fortem à debili, pulchrum à deformi: memorare utique naturæ, ne extollaris. Qui poſteritati ſapientiæ monumenta reliquerunt, monumentis conduntur exanimes. Medicis *Scientia inflat*: Lethum igitur ruminaminor, renunciando faſtûs ampullantis baſi. Quid prodeſt immori famæ ſuperſtiti, cùm moriendi neceſſitas urgeat. Ne turgeatis ſcientiæ bullâ, omnium ignari. Si mundus multis lenocinetur, Mors deteget, quid ſitis. Lipſius doctrinæ luminibus radiantiſſimus, cubitum procedens, id ſemper ingeminabat; *Ad lectum, ad lethum*. Rogatus quidam Philoſophus, promeret de letho ſententiam, deque vitæ brevitate, *tacens in orbem ſe gyravit*. Deſinit circulus ubi incepit. De humo formati revertemur in humum: cui explendo ſufficit momentaneus corporis Gyrus.

20. Adæ filii fremendo huic renituntur evidentiæ, his vocibus exclamando; numquid ego de ſtirpe Adami reperior? Cùm igitur protoplaſti tam humanitas, quàm originalis culpa ſuum in hæredem fuerit transfuſa, cur magis, magiſque particeps haud conſtituar longævitatis? natus annos nongentos triginta exceſſit. Forſitanve in filios ſe crudelem, novercamque natura probabit? nequaquam; etenim Geneſeos decurrenti paginas occurrit, Mathuſael Parcam pepercisse ad uſque nongentos ſexaginta novem annos. Noë autem, ut ut diluvii jactatus incommodis, attamen vivacitatem ſuam prorogavit ad nongentos quinquaginta annos. Sem ante ſexcentos annos ſupremæ neceſſitati minimè fecit ſatis. Heber hinc evolavit expleto ætatis anno quadringenteſimo ſexageſimo quarto: Et cùm prolixam longævitatis catenam mihi texere liceret, ſexcentos alios commemorando, prolixitati tamen parcam, conſultum duco. Hæc evomunt lamenta Adæ poſteritas.

21. Verùm, erectas mihi præbete aures, qui naturalis Philoſophiæ ductu, in divinorum myſteriorum abyſſum penetrare contenditis, quique in inacceſſorum contemplationem vos ingurgitatis. Ne labyrinthicis quæſtionibus, mæandris atque ambagibus vos involvatis. Non ego ſuper illo oraculo Jobi verba faciam, neque putidiuſculè venabor, cur *numerus menſium ejus apud te eſt*; *conſtituiſti terminos ejus, qui præteriri non poterunt*: At cum Abulenſe, ſuperſedendo formali ratione divinorum arcanorum, ad humanæ rationis præſidia confugiam. Noſtra temperatura, à qua pendet incolumitatis, longævitatiſque

tiſque felicitas, toto cœlo ab illa priſcorum diſtat: Quoniam cœlo delicatiore geniti in flaccidis vaſis molliter ſanguinem fluere, ſerpere, penuriam oſtendere fatemur. Adjice, nativi caloris igne nos indigere, laborare penuriâ, humidùmque radicale peccare præ impuritate, in quam effrænatè effundimur. Olim etiam regnabat temperantia, cùm ætate noſtrâ in opiparis menſis luxus triumphet, ſedem figat, Cereris, Bacchique apparatibus ſpumemus in Venerem, tam ſalaces, quàm abdominis mancipia, nullâ recurrente præteritæ frugalitatis imagine, veſtigioque. Rurſus ætas primitiva abſolutam poſſidebat rerum omnium cognitionem, imbuebatur lapidum notitiâ, fontium, vegetabiliumque vim callebat, ex omnibus ſuppetias mutuans. Impræſentiarum autem exulat hæc ſcientia, evolâſſe, evanuiſſe comperimus. Haut inficias ibo, recenſita ad calculos eſſe revocanda. Nunc ad cardinem noſtri argumenti. Num tibi hujus vitæ curſus videtur prolixus? At *mille anni tanquam dies heſterna, quæ præ-*
In Joa. tract. 101. *teriit.* Inclamat Redemptor, *Modicum & videbitis me.* Divus Auguſtinus, *Modicum, hoc eſt totum ſpatium, quo præſens pervolat ſæculum.* Quod ſtatuminat Pſalmographus, qui integrum vitæ curſum ſignificavit particulâ *Nunc. Dominus cuſtodiat introitum tuum, ex hoc nunc, & uſque in ſæculum.* Divus Joannes Chryſoſtomus ſuper memoratam periocham; *Hìc quidem certè omnem vitam ſignificat, in his enim vita univerſa conſiſtit: Nempe in ingreſſu, & exitu; & id volens apertius ſignificare, ſubjungit, ex hoc nunc, & uſque in ſæculum*; illud *nunc*, quàm paraphraſis præſentis vitæ brevitatem declarat, paralogiſmo carens, proinde vix tempore excandeſcentiæ, perpendes fatuitatem, ſibi longævitatem ſpondentium.

22. Finis autem hujus *nunc* clavis æternitatis eſt, noſtri principium infiniti; Quin imo clavus noſtræ fortunæ rotam ſufflaminans, ut aut
In Pſ. 17. in ſummo, aut in imo jugiter detineamur: *Æternitas* (philoſophatur Divus Auguſtinus) *in verbo quatuor ſyllabis conſtat, ſed in ſe ſine fine eſt.* Ergo finis hujus *nunc*, ò medentes Narciſſi, vobis ad trutinam expenſum, frœnum injiciet, quo minus committatis in Numen, atque commereatis, cui enixiſſimè cuncti cupiamus, ſuperis chariſmatibus perdensè nos perpluenti. Hìc quadrat Oris aurei oraculum: *à culpa natæ ſunt duæ filiæ, triſtitia, & mors; quæ duæ filiæ hanc peſſimam matrem deſtruunt.* Quemadmodum qui vermis procedit à ligno,

gno, ipſum lignum rodit; ita triſtitia admiſſorum, lethique cogitatio culpam deſtruere amant. Hinc Doctor Gentium; *triſtitia enim, quæ ſecundum Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur.* Libitina ex ſemet contra ſemet-ipſam, veneno retundendo antidotum extrahit, velut ex Scorpione; *Qui ſibi ipſe pulcherrimum Medicamentum eſt*: Teſtatum reliquit Cornelius Celſus. Quis autem noſtrûm ruminatur interitum? Artis peritia, oculatiſſimæ copulata ſolertiæ, ad uſque occiduam ſenectam vos auſpicatò perduxit, jam ſupremæ gradum ætatis æqua lance ſecunda attigiſtis alite: Tandemque ſuffulti baculo, curvati ſingulis momentis inevitabilem ſepulturam aſpicitis. Cornelius Gallus veſtris obſtrepit auribus; *l. 5. c. 24.*

- - - - Sed prona ſenectus
Terram, à qua genita eſt, reditura videt.

Proni lethi nuntios auditis, & fidem negatis; *Senis obſtinatio audit nuntios mortis, & credere non vult eis. Caſus nuntiat mortem latentem: Infirmitas apparentem, ſenectus præſentem.* Exclamat Hugo à ſancto Victore. Dediſcite hallucinari, larvam detrahitote fucatis, & licet Doctores ab Olimpiodoro erudiri nullatenus erubeſcatis; *Sicut hydria juxta fontem attrita, aqua non perit; nec evaneſcit, ſed in fontem evertitur; Rursùsque cùm quis voluerit aquam, poterit haurire de fonte: ita Corpus noſtrum in fontem ſuum (terram videlicet ipſam) redit. Quando autem Author ille voluerit, qui ab initio illud plaſmavit, rurſus haurietur.* Nunc Ezechielis voce ancillante, qui convocavit extinctorum putrida lipſana, manes, ac umbras; Inclytum Hippocratem ſepulchro evoco, accerſo. Oculis, ſodes, luſtrato ſolum, in ſolo mortales, quos aphoriſmorum ubertate locupletâſti: Quid tibi occurrit? Non ſolùm Daniel templi pavimentum cinere conſperſit, ſed mors inſuper univerſum cineribus obduxit. Per cinerem, perque pulverem vibro lacrymoſos obtutus; *Et video veſtigia virorum, & mulierum, & infantium.* Aſiam ſedulus explorator oculis decurrere geſtio, Europam obſervo, in Africa terricolas venari tento, in America detego nihil; neque ſuccus, neque fœx mortalium occurrunt. Tot viventium greges uſque ad id ætatis vitalem auram ſpirantes, quò receſſêre? Qui triumphârunt, temporis tyrannide triumphantur. Qui cathe- *l. 4. De cla. anim.*

thedras illuſtrarunt, Academias novo cumulaverunt ſplendore, lyceis affulsêre, ingeniorum phœnices commendabantur; Modò implumes inveniuntur, haut ſe emergunt, à rogo vindicare ſe invalidi. Florentes dotatiſſima forma adoleſcentulæ, ſpecioſiſſimi infantium, jam occumbunt, unà cum lacertoſis; Dum omnes ad unum effecti corruerunt, labendòque, ceu Nabuchodonoſoris Coloſſus, in pulverem migrârunt, *contrita ſunt pariter*: Ac ſi nunquam extitiſſent, frigidos inter cineres duntaxat *video veſtigia virorum, mulierum, & infantium.* At, ô Hippocrates, neque veſtigia deprehendis: Injurii Saturni edacitas cineres diſſipatos devoravit, illorum neque cinere, neque veſtigio, neque memoria apparentibus.

In Pſ. 62. 23. Acquieſcite, Medici, Divi Auguſtini effato; *Ad hoc naſcitur puer, ut dicat majori; quid hîc agis? neceſſe eſt, ut qui ſuccedunt, & qui naſcuntur, excludant eos, qui præceſſerunt.* Hanc verò Philoſophiam ignoratis, ſpe cumulatæ ſcientiæ, quam poſſideatis, caſta lumen intellectûs offuſcante; Quæ medicinalia ſubſidia pollicita, in faſcinatione roborat incautos. Ignorantiæ tenebras Libitina diſſipabit; Ac ſicuti non quælibet herba alimento deſervit, at idonea ad omnia medicamina prorſus habetur: Æqua lance non omnis cogitatio facit ad illuſtrandam mentem, ſicut quævis lethi cogitatio collimat ad informandam mentem, impertiendumque lumen cœcutienti. Noſtro proinde in morali Fonte, ad unguem vos explorare ne pigeat: Ex limo plaſmatos vos deprehendentes, perpenditote, diſſoluta corporis compagine, in terram vos migraturos. Epictetus exclamat, *Uno, eodemque ubere vitam, mortemque ſugimus.* Divus Paulus intonat, *Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori.* Ergo lethum claſſicum canit. Peritiſſimi cùm emineatis Medici, imparavit nullatenus offendamini. Ex Evangelii præſcripto, probis operibus inſudate, iratæ Divinitatis fulmina avertite, ſupremamque diem haut invitâ Minervâ præſtominor, adſtipulante Seneca; *Vir fortis, & ſapiens non debet fugere ex vita, ſed exire.* Sin Æſchinis oraculum arripere allubeſcit, in promtu eſt; *Mors Medicus malorum eſt.* Immenſum igitur faſtu ne attollamini.

POLI-

POLITICI
AD
FONTEM.

CAPUT II.

1. UNiverſum ſcelerum occupat, poſſidetque tyrannis; juxta Evangelicum Beniamin, *totus mundus in maligno poſitus eſt.* Quoniam autem veſtigium ægrè moliris, quin impingas, atque ceſpites, quòd præ lubricâ regione labendi neceſſitas urgeat; Ideo peropportunum duco, quominus allidas ac corruas, ingenii ſagacitatem, perſpicaciamque ducem accerſeas, quæ Politia paſſim audit, oculatioris prudentiæ primigenia filia. Hinc uranoſcopo ſimillimum hominem dico, quoad Politicum agit. Illud etenim nomen ſonat *aſpiciens cœlum*; Quatenus Politicum decet à cœlo derivare, quod æmuletur. Solitarius eſt piſcis, qui carnibus quoque paſcitur, tantaque vivacitate viget, uti vel exenteratus moveat ſeſe. Alieni appetens, neque ſui profuſus, piſcium longè voraciſſimus, utut ingurgitatus ſaturari nequit, tam prolixè indulgens eſcis, donec ingeſtas egerat. Oſſeâ appendice, ad os promimente armatur (*apophyſin* dicunt Græci) unde cæteris piſcibus ſtruit inſidias, illique redundat in commodum: Quod autem noſtro deſervit argumento, fuerit, uno duntaxat oculo inſtrui in capitis vertice, jugiter elevato, vigilique ad denudandos humidos labyrinthos, algoſas inſidias, quæ medio implicantur in æquore. In mari ſuo ſe adumbratum colore ſedulus explorator offendet; Undis etenim inconſtantior, ſexcentis viciſſitudinibus ſubjacet, aſpirandiſque fortunæ ſuffragiis elatus, mox novercantem amariſſimè deflet: Quique, appetente luce, cunctis ſuſpiciebatur, inclinâta jam die deſpicitur. Illi brevia ſuperanda veniunt, cœci inſidorum amicorum ſcopuli, ut minùs nodoſum accidat Propontidis, ubi maximè in

arctum coit, ac ſtringitur, anguſtias penetrare, Symplegadúmve ſcopulos, trans Boſphorum Thracium, in ipſo Ponti Euxini oſtio, modicâ inter ſe diſcrepatum intercapedine. Proinde, ceu uranoſcopus, Politicus prudentiæ oculo oportet invigilet. Politiam autem prolixiùs commendat Angelicus, donec a probitatis recta minimè deflectit, quamdiu æquitatis cancellis circumſcribitur; Qua duce præfixa operationum meta attingere conceditur. Oppidò *rectæ Politiæ finis eſt feliciter vivere*, eodem ſuffragatore. Hinc *Politiæ regimen duo exigit, rectam rationem, & prudentiam.* Progreditur docens; *Quemadmodum ferro rubigo, ligno vermiculi, ac teredines adnaſcentes perniciem adferunt, ſic ut etiam cuncta externa nocumenta effugiant, ab iſtis tamen, quæ adnata habent abſumuntur; Ita cuilibet Reipublicæ, pro naturâ ipſius quædam adnaſcitur, & adhæret peculiaris malitia : Utpote Regno tyrannis, Ariſtocratiæ Oligarchia, Democratiæ beſtialis Chirocratia: Ut fieri nequeat, quo minus cuncta temporum curſus mutent.* At flagitioſiſſimi Adæ filii corrupêre tam nobilem virginem, proſtitutam, poſtergatâ conſcientiâ, in technarum inſtrumentum inflexerunt, vaframentis ancillari cogentes ſimplicitatem in duplicitatem convertendo: Ut duntaxat inſtar Caiphæ, *expedit* expendatur, non autem *licet.*

Pol. l. 6.

2. Hos ergo ſpurios Politicos, ceu tot Narciſſos, ad Fontem invito; Ut in undis ſuum agnoſcentes naufragium, declinare maturent, media mortis recordatione, ad portum appellant, dum lethum propriâ ſuggerit ruinâ. Neque extra chorum ſaltavi Caiphæ, *expedit* memorans. Uni Regni conſervationi intentus pronuntiavit perfidus: *Expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* Multa ante ſæcula id Regius Vates mente præſumpſerat, nimirum *expedit*: Atque ſub Chriſti ſpecie perſonatus eructaverat: *Verbum conſtituerunt adverſum me.* Repetit Hipponenſis: *Quale verbum iniquum? Occidamus, & noſtra erit hæreditas. Stulti, quomodo veſtra erit hæreditas, quia occidiſtis eum? Ecce, & occidiſtis eum, & veſtra non erit hæreditas. Occiderunt Judæi Chriſtum, ne perderent locum. Illo occiſo, perdiderunt locum. Vir in iniquitate vitæ ſuæ non confortabitur.* Inconſulti Hebræi! Quos tenet corrupta Politia. Haut vobis arridet fortuna, ſecundat eventus, ô Adæ filii inſaniores patre. Adamus evaſurus in Deum, Deo ſe probavit injurium; Quem

Pſal. 4.

Quem vos interficitis, quo minus deſit occaſio, aditus obſepiatur migrandi in mortalium inauſpicatiſſimos. Ne regno ſpoliaminor, regnantem evitatis. Quibus laqueis conſtringitis innoxii Chriſti membra, veſtris natis catenas connectitis. Latio furori, cœlo vindici miniſtratis arma, dum clavis illius transfigitis artus. Appetens, ac imminens veſtris excidium capitibus, uberem threnorum ſegetem amariſſimo Jeremiæ paſſim ſuppeditabit: *Quomodo ſedet ſola, civitas plena populo: Diſperſi ſunt lapides ſanctuarii in capite omnium platearum.* Quippe à nobis interempto Numine, quid ſuperbum ſtat templum? *De excelſo miſit ignem.* Alma Sion in cinerem, favillamque migrabit. At, utut Roma ex Troiano incendio ſuos derivet natales; Jeruſalem Romanis combuſta, redivivus Phœnix ſuis haut emerget cineribus; *Dedit me Dominus in manu, de qua non potero ſurgere.* Dum perdendi Chriſti tempori inſidiantur Hebræi, dum lætitiâ triumphant, inundantur gaudiorum torrente præ propinqua præda, victimâque; Romanorum fulminibus corruit Jeruſalem, humano cruore fumantibus plateis, dum tecta perflammantia inextinguibile ſerpit incendium: Ex cujus proſtratæ cadavere Romanis tantum roboris pullulavit, & acceſſit, ut menſuram humanam ultra putes, niſi quòd magnitudine laboraverint ſuâ. Id proinde Hebræis contigit, quod aquilæ, quæ ſagittâ, cui plumas miniſtrârat, ſauciatur: Quandoquidem *prætextum ſumpſerunt* (Teſte Euthymio) *occidendi Chriſtum, ne à Romanis internecioni traderentur: Quia verò occiderunt, internecioni traditi ſunt; Et quæ fecerunt, ut effugerent, quia fecerunt, non effugerunt.* Omnes captivi, mancipia ducuntur, quotquot ſuperſtites occurrebant, internecioni deſideratorum Hebræorum, qui ad undecim centena millia numerabantur. Quem, amabò, tanta non flammet fatuitas? Hoc in ſanguineo Fonte deprehendere licet, Narciſſi Statiſtæ, quò collimet Politica, quis Politicos maneat exitus, lethi neceſſitatem eludi nequire; Cujus præſcripto ſecus atque veſtris cabalis, veritatem accumbere comperimus. Perdilecta Darii conjux fato conceſſit: Democritus Philoſophus leniturus in calamitoſo marito, doloris acerbitatem, neve recens recrudeſceret vulnus; Extinctam ſe revocaturum ad vitæ munera ultro pollicetur, dummodo tres perſonæ reperiantur, quæ atratis amictibus, ob conſanguineorum funus, unquam

in Joan. 11.

quam

quam ſe non involverint. Tota quà latè patet Perſia revolvitur, nec unâ exploratoribus obviante. Tunc Democritus: *Vides ò Rex, quàm inevitabilis ſit fati neceſſitas: Nefas eſt deflere, quod nefas eſt evitare.* Ita Lycoſthenes, ita Julianus ſuis in epiſtolis. Cum veſtris hallucinamini maximis (hoc haut horreo vocabulum, utpote peculiare Politicis, prægnanſque) Statiſtæ. Ambagioſæ fruſtrantur cabalæ, fati neceſſitas inevitabilis eſt. Quò dirigit arcum, ſcopus eſt certus, vulnuſque comitatur ſagitta. Corroſæ mergentur opes, naufragâ quondam vitâ. Coacervatas tam certa quàm mors inopina ventilabit.

3. Politicam Magnates profitentur, illi tenaciùs adhærent, tametſi Primatum haut ſit. Nullis ambagum involucris involutum animum denudare, labyrinthicis non implicari, machinationum duplicitate, mæandriſque nullatenus velari, Regium apprime pectus decet. Nobilitas æmulatur illa ſydera, quæ ſoluta ſcintillant in firmamento, ſecus quàm quæ in lucidâ viâ lacteæ nebula confunduntur. Roſam ſi commendes apis hoſpitaliſſimam, etiam vituperabis ſordidi ſcarabæi contubernalem. In nobilis corde virtus habitet, exulet vitium oportet; Sedem figat prudentia, ſolium erigat ſimplicitas, eliminetur adulterina Politica, duplicitas abſit, quominus obſit. Nefas enim duco, machinationibus ad ſuum genium alienum arbitrium contorquere, nec non ab invitis extorquere culpanda. Ut igitur Primas adſcribatur probis, Divis Conſiliarius, ut uterque valedicant Politicis, qui humana divinis miſcendo, ſacris profana, imis ſumma poſthabendo, ſuſque deque cuncta vertunt; atque per calcatam pietatem, crudelitatem cumulant: Sepulchrum adire me tædeat, atque lethi documentis imbui, uti Politicæ pariter vanitas eluceſcat, quæ labes, nec non eluvies tam Orbis, quàm urbis. Eva Numini ſimilis videri affectans, neque ſubdita, divinum poſtergavit præceptum, ceu libertas, majeſtati, imperioque copulata palato deſerviret, pomo ex politices lege veſci non dubitans. At *quæ libertatem ſuam* (ratiocinatur Arnoldus) *excuſſo à ſe Creatoris Dominio, ſuperbè ambierat, ſub viri conſtituitur poteſtate.* Id, quod æquâ lance Politici Patriarchæ Joſephi fratres dicuntur experti. Hunc præ ingratitudine venundedêre, ne ſibi domi-
Hom. 21. in Gen. naretur; Verùm *quem ideo vendiderunt, ne adorarent, adoraverunt;*

quia

quia vendiderunt, teſtatur Divus Gregorius. Hoc perpetrato, animadvertens Altiſſimus ſpuriæ politicæ ſuggeſtionibus, in Protoparentibus corruptam poſteritatem, hoc appoſuit medicamen: *Ephrem*, ait, *coram illis jugulatas eſſe pecudes, ut eorum coriis nuditatem ſuam ipſi operirent: Denique ex ipsâ morte, ipſi quoque mortalia habere corpora intelligerent. Evenit anima in ipſo divortio potentius agitari, dum ex majori ſuggeſtu enunciat.* Archangelus Michael, prima cœli lux, fulgidiſſimum ſidus, Adæ cuſtos Angelus, beſtiam proſtravit; dumque decolor vulneris ſanguis fidem aſtruebat, annorum roſas mox exſiccari, vitæ noſtræ torrentem in noſtram fluere perniciem: Adam, ac Eva cognoverunt, homini, jumentóque mortem eſſe communem; *Unus interitus eſt hominum, & jumentorum*: Deſtiterúntque ſententiâ, nec ampliùs aſpirârunt ad ſuprema ſubſellia, Deos coli ſuſpirantes. Quin imo lachrymarum fontes effundentes, queis ſilices cavabantur, ſcindebantur ſaxa, valli, ubi latitabant, lachrymoſum nomen fecerunt, audit quippe *vallis lachrymarum.* Hoc documentum haut familiare extitit Politico Regi Siciliæ Carolo, aut reſpuit, ſepulchris ſingulorum obtutibus perviis; Hinc inter mortales, arcanis maximis gravidum circumtulit caput, caput conſtituens, cogitationum, quàm coronæ pondere onerari. Tandem cum morte colluctans, qui reluctabatur ſuperis illapſibus, pupillis obductis lethi larvâ, haſce cygneas voces, immerſus lachrymis effudit: *ò Vanas hominum cogitationes! Ah, miſeri: honoribus delectamur, & cœlum negligimus. Nondum cœpi vivere, & jam cogor vivendi finem facere. Eadem me neceſſitas involvit, quæ viliſſimum mendacium. Vale igitur terra, vale. Sed, ah utinam liceat dicere, ſalve cœlum!* Sunt Stulta ſæculi oblectamenta oculorum præſtigium, bracteata fraus, fucata larva. Redolent matutinas viſiones, grande nihilum, ceruſſatum rete, chimæram, aureos laqueos, Sirenes ad exitium dulces; Quis inescati in tumulo uſque ad extremum detinemur judicium, oculorum lenocinio mundus in flore eſt. Igitur Divus Baſilius, quandam mortalibus exhibiturus hujus technæ imaginem, naturalem Salomonis ordinem ad ſpiritualem intorſit. Haut dixit ut Sapiens; *tempus naſcendi, & tempus moriendi*: Sed auſpicatus eſt *tempus moriendi*; Quoniam vita non abludit à morte, eſt etenim vita mors perennis. Deinde ſubnectit *tempus naſcendi*, quòd

Mog. Bar. de parad. ter.

Luc. Marin. de reb. Hiſp.

Hom. 13. exhor. ad bap.

immor-

immortali vitæ naſcamur. Hinc Politicis agnoſcere eſt, ſuccum, fœcemque mortalium æquo Libitinæ pede pulſari, parcere nemini, eâdem involvi neceſſitate primates, qua vappos, ſemperque novercantis fortunæ deliramentis, nobis acerbitates, amaritudineſque cieri, creari, gigni.

4. Lacedæmonibus extitit ſolemne, infantem natum quinque dies imponere exiguæ rhedæ, perque cubiculi pavimentum gyrare. Tunc propinquiores conſanguineorum recèns nato munera offerebant, inter quæ polypus numerabatur, ut refert Lyſias, hanc rationem adducens: *Quia infans veluti polypus eſt: Eſt autem polypus piſcis, qui ejus rei, cui ſe applicat, colorem induit.* Quorum familiaritate parvulus fruitur, mores induit. Hinc quidam Magnatum propria pignora educanda committunt nutritiis, qui politices præceptis imbuti, ac propemodum innati, teneris mentibus inſtillent, per debellatos hoſtes Imperii limites extendere, pares opprimere, quò impetretur, unum duntaxat regnare, quemadmodum in cœlorum ſublimibus Sol ſolus eſt. Deplorati, dicam Atheiſtæ, quàm Statiſtæ, dum inani ſpe lactatis germanâ prudentiâ lactandos! Proh dolor! Cùm Deus ſit, qui, teſte Sapiente, *transfert regnum de gente in gentem*: Pietatis, haut politices ſuffragiis dominia obtinentur, ac conſervantur. Michael Balbus linguam acuit in Leonis Armeni Imperatoris opprobria, quem inſuper Imperii culmine devolvere ſtatuit. Leo ex Politices præſcripto (vulgò venit Ratio ſtatûs) æmulum è medio tollere tentat, jamque capite captivus damnatur. Carnificibus ignem admoventibus reo torquendo, Theodoſia Auguſta Imperatorem affatur, ac objurgat, abſtineret horrore tragici ſpectaculi illius diei lætitiam funeſtando, quæ profeſtum, & pervigilium colebatur humilis natalis Dei humanitatis ſpolia aſſumentis. Leo nihilo ſecius, ſuadente politica, ceu aſpidis causâ, pulſatas Principis aures obturante, emolliri detrectat, arietatus haut expugnatur. Michael compedibus implicatur, quarum claves apud Leonem deponebantur; Papiæque cuſtodiendus traditur. Theocriſto ſeditionis flabello, Michaelis fautores in palatii ſacellum irruunt, recedentiſque ad altaris aſylum Leonis cervicem obtruncant, quem capite diminutum hac illac raptant, Michaelem Balbum, detractis catenarum ſarcinis, throno imponunt: Quem multorum arma-

armatorum ſatellitio ſtipatum ad Divæ Sophiæ deducunt, ubi Patriarchæ coronatus, inauguratur, ſalutaturque Imperator feſtiviſſimæ multitudini, jubilantibus tubis, obſtrepentibus tympanis, tædis præ gaudio ſcintillantibus: dùmque lucent, concrepant, clangunt, cœlum impletur hilaritate. Hìc ergo confunditur trucidati Leonis politica, hìc deficit ratio Statûs. Si quis ergo me judice certet, pannoſum purpurâ decoro anteſtare pronunciabitur. Nil eſt humana ad divinam Politicam, humilis ad ſublimis maximas. Quò minùs pauperculis innoteſcit Politicæ calliditas, eò magis vaframentis ſuccenſent. Ignari inſidioſæ humanitatis, haut imponunt mellita per blandimenta. Oderunt fallere, qui neſciunt invidiam alere. Illorum pectora famæ fames haut ſolicitat, infamiam in quempiam impingere dedignantium. Cenſûs expertes, vectigalibus non gaudentes, uſuris haut aggravant. Nil ſuper terram poſſident, quoniam os veritatis efflavit, *ipſorum eſt regnum cœlorum.* In alterius poteſtatem Leonis Regna evolarûnt, dum Politicæ clavis figere maximè laborat, ludente in humanis divina Providentia. Appoſitè Divus Auguſtinus, *Magnitudo Imperii Romani non fortuita eſt, nec fatalis: Prorſus divinâ providentiâ regna conſtituuntur humana.* Non ergo politicis machinationibus inſudandum, regnis ut inhies, rerumque potiaris, quæ cœli munera venereris; Cujus largitas & diademata, ſceptraque diſtribuit. Qui mortalium ad arbitrium fluere præſumat, quicquid in votis eſt, & indulgentis cœli chariſmata, putet ſuæ præmium induſtriæ, atque debita ambidextro Numini decora, in ſui artificii plauſus inflectat, ſibi alienas arrogans laudes? Leoni Politici ambages necem molitæ ſunt, & Politici acies ingenii probroſum novit ſtruere fatum: Ergo exclamat Seneca; *Non eſt res magna vivere, magnum eſt honeſtè mori.* Cujus echo Lactantius ita fatur, *Ita vivere hominem oportet, ac ſi poſt horam eſſet migrandum.* Vix in lucem editi, mutamur in alios, ut fructus ex flore in pomum acerbum, ex acerbo in maturum, ex maturo in vermibus obnoxium, ac putridum, ac tandem in nihilum: Ita ut facilè evolutâ horæ intercapedine condamur in tumulo. Ecquid ergo modicùm ſpirantibus prolixa eſt cura, momentis tranſvolantibus rapiendorum? Num ad Monarchiæ apicem in ictu oculi datur aſcendere, num illuc momento eniti conceditur? Qui proinde Adæ filii empyrei ad hæreditatem

non

non aſpirant? Cur omnes nervos intendendi non ſatagunt, ubi abdicato terrenæ gloriæ ſtudio, deſiderio cœleſtis inflammentur. Nunc ſcitote Politici, ex lethi contemplatione genuinam Rationem Statûs hauriri, à qua proficiſcitur probà Politica; Quæ docet ſuarum ſatagere rerum, videlicet, animæ ſaluti prorſus invigilare.

5. Orbis ſapientem commendat Politicum: Sapiens autem ſapienter audiret, quoties inter fatuos numeraretur, qui Apoſtolo arrident: *Nos ſtulti propter Chriſtum*: *Quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus. Placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes*: *Stulta fecit Deus ſapientiam hujus ſæculi.* Porrò illuminatè dixit, ac punctum acu tetigit. Quæ verò ſpecies dementiæ eſt, ad quam iteratis conſiliis nos hortatur Apoſtolus. Illam eſſe exiſtimo, qua laborabat ille in ſtultorum Hoſpitali Thomæ Garzoni, qui, vitreum ſe ratus, ne frangeretur, ſubſellio ſe ſenſim imponebat, incedebat pedetentim; nactuſque amplectentem ſe, clamorem vibrabat ad ſydera, ceu ſuæ reſolutionis periculum ſubiret. At moraliter loquendo, fatuitatem minimè ſapit. Quid pretioſa, ſacræque reliquiæ vitris obducuntur, ut ſubtrahantur ſordidis pulveris incommodis, & tamen ſpectari poſſint. Anima, utpote pretioſa, vitreo circumſcribitur vaſe; *Habemus theſaurum in vaſis fictilibus*: effatur vas electionis. Altiſſimus animam pœnitudine tactam revelavit Joanni, ſub ſpecie vitrei maris; *Et in conſpectu ſedis tanquam mare vitreum, ſimile cryſtallo.* Explicat Hugo Cardinalis; *Per mare anima pœnitens, & compuncta pro peccatis ſignificatur, vitreum propter fragilitatem, vel vitreum propter mortis recordationem, vitrum enim fit ex cineribus, & omnis homo eſt in cinerem reverſus.* Caret ergo deliramento, neque dementiæ labibus inquinatur, ſe vitreum agnoſcere, quoniam vitro fragiliores, cineréque compoſiti ſumus. Ob quotidianas ærumnas ad ſaxa allidentes, crebriores experimur lapſus atque veſtigia moliamur, nec non promoveamus. Ægrè unum eluſimus impedimentum, quum recens occurrit, novum erumpit, priore gravius. Quilibet, quoniam vitreus habetur, quoties fatalem falcem Libitina rotat, reſiſtendo impar, frangitur, fractuſque illabitur horridæ foveæ gremio. Cæteris autem nos fragiliores ſugillo, Narciſſi Politici, apprimè novercantis fortunæ patentes aſſultibus: Rurſus ſublimium negotiorum molem, machinamen-

namentorumque faſtigium potiſſimùm naturæ fragilitas atterit. Potiſſimum ergo rationem arripite, cur ſupra reliquos vos vitreos autumetis; Expeditque fatum jugiter ruminari, tumulum, humanum vitrum in cinerem reſolutum, quorum perennem recordationem ſtomachari detrectetis:

Imperium, populòſque regit mens provida: Morti
Dicere, quis legem, quis dare jura poteſt?
Quiſquis fræna tenes regnorum, urbeſque miniſtras,
Si neſcis, propior pulvis, & umbra tibi eſt.
Te livor, perditque timor; Premit anxia cura;
Te rerum moles conficit, & perimit.

Ita meus ſuaviſſimus Silos. Hæc autem moralis acerbitatis lux, inter veſtrorum Politicorum aphoriſmorum ambages obruitur, atque confunditur; ò vos, qui Provincias curatis, regnorum fræna tenetis, ad Imperii clavum ſedentes: Lepores æmulamini, queis cùm obtuſus ſit viſus, non acer, aut acutus, obductis vigilant palpebris, apertiſque dormiunt oculis, vel in ſomno ambiguos turbulentarum cogitationum eventus ruminamini: Interdiu verò ad radiantiſſimum Evangelici Solis lumen, atque fulgorem, velatis inceditis pupillis, haut ſepulchrales lapides intuendo, ad quos ſingulis veſtri pedes allidunt momentis, ceu fatale pulſantes oſtium, quò pateat aditus. Haut me fugit, in Inſulis Balearibus tantam regnare leporum fœcunditatem, uti proſpecturi propriæ incolumitati, militares ſuppetias accolæ ab Auguſto implorarint, ſi Jonſtonio ſtandum, & acquieſcendum. Probè fateor, Libyam illorum altricem exuberantem, candidos quoque nutrire; Quorum plurimos Arcadiæ invectos ſpectavit Pauſanias: Qui tamen vix Ithacæ recepti, deſpondent. Ah! univerſus orbis, utrumque hemiſphærium, velut clima, Ithacæque ſolum eſt lepori, ſic homini. Vix mundo pedem intulimus, cùm inſtante fato expellimur, ceu nunquam incoluiſſemus, ſemperque calamitatum iliades inſtaurantur. Nihilo ſecius hujus veritatis radiis illuſtrati caligant, oculos velant, labyrinthicis politices involucris inerrantes, queis ſe ſe expediendi ignari, cunctam lethi recordationem expectorant, ac eradunt. Dediſcite dementiam, hancque de-

ducitote conſequentiam: Quid de Rege, deque ſentiendum Politico præ divite, cùm Divus Auguſtinus Chriſti contemplatus Aſcenſionem eructaverit; *Oſſa intra ſepulchri anguſtias paulo ante concluſa, Angelorum cœtibus inferuntur*? Ubi ubi, quibuſque circumſcribetur anguſtiis homuncio, vermis, fœx, cùm ille, *quem cœli capere non poſſunt*, propria ſtringat oſſa *intra ſepulchri anguſtias*? Præſtat ergo, Vos perpendatis elinguibus permixtos cadaveribus in arctiſſima fovea, obſitoſque ſqualore, nullâ permulcendos voluptate. Sic intra tumulum, infra ſublimitatem veſtram fuerit, periturorum viſco agglutinari.

Ser. 3. de Aſcen.

6. Nullus dubito, ò Narciſſi Politici, quin Polyandrium ingreſſi, defixiſque pupillis in illis lethi ſpoliis; Haut incertus ſum animi, ingemino, quin ad horridum illud ſpectaculum calculos revocaretis pro virium facultate, renuntiandòque coronis, quarum Regnis bracteatarum efficiendarum ſatagitis, præ contemptu illas appellaretis divites capitis dolores, gemmatas vertigines, aureas chimæras, rotundas larvas, perſonatas calamitates, ſphæricas technas, illuſionum circulos: Et eſto, circulus æternitatis ſymbolum habeatur, hi tamen ephemeri deprehenduntur. *Vidi, & ecce oſtium apertum in cœlo*, ſonat Apocalypſeos periocha. Quid autem aſpexiſti Evangeliſta, Apoſtole, Propheta? *Ecce ſedes poſita erat in cœlo, & ſupra ſedem ſedens: Procedebant viginti quatuor ſeniores ante ſedentem in throno.* Deinde perculſi formidine *mittebant coronas ſuas ante thronum.* Cur caput debito diademate ſpoliare? Ergòne tam probrosè projiciuntur coronæ, nec contemnuntur? Quid hoc conſilii eſt? Divus Hieronymus hujus ænigmatis accedit Oedipus: Numquid legitis *in medio throni, & quatuor animalium, & in medio ſeniorum Agnum ſtantem, tanquam occiſum*? Occiſi ergo agni ſpectaculum extitit cauſa, *per hoc mortem intuentur, & contemplantur: Quid mirum, ſi regium Decus projiciant.* Omnis oppidò Politicus, omnia ſceptra cum purpureorum paludamentorum caudis in faſcem colligeret, perpendendo Hugonis Philonis oraculum; *Nihil terribilius morte, nihil crudelius; Nimirùmque ad aſpiciendos homines cæca, ad audiendas preces ſurda, ad omnes mortales, citra ullius exceptionem, perimendos immiſericors, atrox; neque bonorum, neque malorum habens rationem aliquam.* Veſtræ cabalæ, veſtra molimina, inſtar oraculi reſponſo-

Apoc. cap. 4.

rum,

rum, vobis certum annuntiant interitum, & intelligere ſuperſedetis. Philippus Macedo, quid ſibi foret inſtituendum, occiduàmque ſenectam, ſuam prorogaret vivacitatem, oraculum conſuluit: reſpondiſſe perhibetur, *Vita quadrigas.* Hinc toto Regno rhedas eliminatas voluit. Inſuper montem Quadrigam in planitiem redigi mandavit; At oraculum fuit expletum, cùm Philippo violentas manus Pauſanias injecit, qui quadrigam miro artis opificio geſtabat enſis inſculptam capulo. Quidam ad hoc reſpiciens factum, ſeu facinus, tale documentum depromſit; Si tibi cordi eſt metam ſupremæ ſenectutis attingere, *vita quadrigas, ſed Veneris; Venus quippe, juxta Poëtarum opiniones, quatuor cygnis vehitur.* Penes autem Divi Bernardi placitum, laſciviæ quadrigam rotæ bis geminorum vitiorum trahunt. Ducitur ergo *ingluvie ventris, inhoneſtate ſodalium, mollitie veſtium, otii ſoporiſque reſolutione.* Quiſquis hujus mollis quadrigæ te locas otioſis commodis, atque deliciis, fatuum redoles. Venus ad oras Cypri ab æquoris ſpuma ſuos derivat natales. Hinc citra prudentiæ ſal ortam deteſtor, ut filia ſalis extiterit.

7. Quoniam cygni, Venereo alligati currui, mentionem fecimus, iter ſternit ad obſervandum in Aldrovando, cygnum ſui funeris muſicum, ſuorùmque mœſtum juſtorum Cantorem, imminente jam fato in querelam erumpere, ac funebre ſibi carmen canere tam dulce, ut volucres ſuavitate raptæ, proprii cantus immemores appareant. Eſt enim æquum, ipſiſſimo Cantore vitam amittente, audientes halitûs uſu ſpoliari. O inverſus temporum ordo, indigeſtaque ſeries! Ad mortis hyemem modulatur olor, cùm ad Veris appulſum, cùm luxuriantia prata rident, frontèſque virore veſtiuntur, ex naturæ præſcripto ſit avibus proprium in cantum prurire, linguæ habenas laxare. Quidam attamen opinantur, cygnum letho propinquum vocem ſolvere, quoniam quædam capitis pennæ cerebrum illi transfigant, ſicque melos extorqueri, planctùmque, ſeu potius eſſe planctum neceſſarium, haut ſpontaneum melos. Id ipſum in Politicorum exceſſu contingere mihi videtur: Siquidem quas turbulentas cogitationes, acutas ideas, ſpinoſa machinamenta geſtant in capite, cerebro ſibimet infigent, cordi, nec non animæ; Cùm veritati conſentaneam Alcuini ſententiam commendem, *mors ſi tardantem converti inveniet, ad tormenta deducit eum*: Quem ego eliſum, deploratumque dete- *Cap. 14. de vir. & vit.*

deteſtor. E regione ſi acquieſcendum ſententiæ, ſpirituum univerſitatem circa cordis ſedem coire, cogique, uti cygnus præ dulcedine canendo pereat; Hanc proborum Politicorum mortem jure meritiſſimo ſuſpexero, de quibus Tullius, *ut cygni prævidentes, quid in morte boni ſit, cum cantu, & voluptate moriuntur: Sic omnibus & bonis, & doctis eſt faciendum.* Proinde Socrates hoc appoſuit reſponſum roganti Platoni, num hinc æquo animo migraret: *In juventute benè vivere, in ſenectute benè mori laboravi; atque ita interiori cruciatu, ſeu dolore non afficior, nec mori recuſo: nam cum vita honeſta fuit, mortem cum hilaritate expecto.* Eadem fax Braſillum Philoſophum accendit, ad hilariter amplectendum fatum, honeſtæ vitæ palmarium. Diogenes Laërtius illius jucunditatem exaggerat, noviſſima verba expirantis adducens; Cùm effuſus in riſum, oreque ad hilaritatem compoſito, ſe inviſenti mœſto Senatui fidem aſtruxit ſui læti obitûs, *primò, propter bonæ conſcientiæ teſtimonium; Secundò, quòd tantos viros ſuam mortem lugere videret; tertiò, quòd 60. annis Reipublicæ, & aliis prodeſſe ſtuduerit; quartò, quòd cultum, quem debuit aliis, præſtiterit ſemper: Denique ſubjunxit: Ergo mihi hodie vitam exordiri videor.* Probæ conſcientiæ teſtimonium ni deſideretur, & officia non officiant, & laborent probè vivere, ſtudeantque cœlo arridendo, germani Politici celebrabuntur.

L. 1. Tuſc.

In vit. Phil.

8. Cùm igitur Politici rectitudini militantes, in itinere roſis, jubiliſque conſperſo animam exhalent, iniqui dirigent eam per mœſtitiæ, deſperationis, atque ruinæ ſemitam. Non neſcio, Davidem inter Doegque nullum intercedere parallelum. Ille, ut paſtor gregi præerat: Hic ſtrenuus ſtrategus Cadmea ſtipatus ſegete triumphabat. David mutarum ſylvarum ſegregatus habitator agnoſcebatur; Doeg ſuſpiciebatur publicus Saulis aulicus, conſummati Politici ſibi arrogabat præconia. Hinc Saulum ſibi demereri laborans, illiuſque venaturus favores, Vertumnum, Protheum æmulabatur, quamlibet formam induentem; niſi majus Æthiopicum hyacinthum dicere, cœli faciem ſereni, nubilique, ſuorum varietate colorum reddentem. Quippe ſi mœſtitiæ torpor Regis obrepebat menti, tetricitatem callidus veterator ad unguem mentiebatur: Sin hilaritatis dulcedine perfunderetur, obſtupuiſſes in ſolatium effuſum. Proinde Saulem maligno ſpiritu poſſidente, velut inops quietis, viduatus lenimento, doloris acerbitatem abſorbendo imparem ſe ſimulabat. Il-

lius

ſius larvatâ miſericordiâ motus inquiebat; *Quærant ſervi tui hominem ſcientem pſallere cithara, ut pſallat manu ſua, & leviùs feras.* At quis erit nobilis Pſaltes? Ah ſceleſte Doeg, dum ſupra Mæandrum tortuoſis flexibus ſcates! Ah perfide, cujus lingua mendaciis cor arguit! David cur accerſetur ad pulſandam citharam? Nonne illi inviſum te profiteris? Qui proinde hoſtis invigilas emolumento? Cur evehis ad Principis benevolentiam, cur neceſſitudinem Regiam infenſo conciliare maturas? Lyranus perſonatæ amicitiæ larvam detrahit: *Quærebat, ut ſtaret in præſentia Saulis, & ſic à Saule occideretur.* Trinâ ſiquidem vice, caſſo tamen niſu, obſeſſus Rex lanceam vibrârat. Illum rurſus accire tentavit: at quia hanc telam ordiebatur avernus, Numen haut obſtitit, David Regio diademate decoraretur, Doëg inauſpicatò in fata concederet. Permiſit, paſtor tranſiret ad populi habenas, Belli ducem debellaret opilionis imbecillitas, quemadmodum Tiberii draconi contigiſſe fertur, cujus ferocis, lacertoſique vaſtam molem, eſto nondum eſſet extinctus, formicæ devorârunt. Appoſitè hoc exemplo veritatem manifeſtaviſſe Nicephorum Gregoram, in ſeptimo ſuarum Hiſtoriarum, ſat ſuperque elucecit: *Ubi Divina Providentia non commilitat conſiliis, actionibùſque hominum, tunc neque Vir conſultus, conſultus, nec fortis, fortis, ſed etiam ſapientiſſima conſilia inſipienter deſinunt, & generoſa maximè, & fortia facta turpem & infamem exitum conſequuntur.* Ubi ſanè profligatorum, cæterùm acutiſſimorum, votis haut cœlum aſpirat, nec ſecundat molimina, oleum, ac opera luditur. Litandum ergò ingenuitati.

9. Quàm inſudavit improba Jezabel ſpuriæ Politicæ dictaminibus? nònne turbulenta quæque ſuggerebat ſtatûs ratio irrationalis, ut alios luderet vaframentis, & altiùs imponeret? Identidem recentium larvarum ſuppellectile, velandis ſuis machinamentis inſtruebatur. Quò detur prætextatis moribus fœdari, bacchanalia vivere, genio indulgere, Prophetam Eliam, acerrimum æquitatis propugnatorem, athletam, ac pugilem, qui adamantino conſtantiore pectore vitiis diffluentis impudentiæ ſuccenſebat, ſtomachabaturque, vult eliminatum, evitatum; uti Naboth contermina vinea ſuo committatur viridario, in Aſtræam committere minimè veretur, dum juſtum poſſeſſorem lapidum imbre obrui mandat. Verùm, immortalis Deus! Aliud haut ſuppetit adminiculum, unde, citra alienam læſionem,

nem, liceat fundum copulare fundo? Num deſiderandus Naboth? nequaquam, exclamat Jeſabel; *Nam ſi vivente Naboth abſtuliſſet vineam* (explicat Abulenſis) *ipſe clamaſſet ad omnes de Iſrael, & infamaretur Rex.* Cur verò illum cum tota ſua progenie internecione delere? *Ut Rex liberius poſſet omnia poſſidere, quia occiſis filiis Naboth, non manebat aliquis hæres, & omnia bona erant Fiſco applicanda.* Quid hoc conſilii eſt, ut leones ſtimules, quibus dilanieris? Enſem acuas, quo transverbereris? Accendis cuniculos, qui te tumulent? Nonne deprehendis Propheticæ comminationis effectus tuâ diſponi Politicâ, tuiſque machinationibus congruos fructus rependendos? *In agro Jeſrhael comedent canes carnes Jezabel.* Quid inſtitues, jam jam imminente tuo capiti armato validè Jehu? hæc conclamata mulier, hæc calamitoſa Regina, quanta quanta agglutinabatur Politicæ, invalida ad triumphandum regiæ potentiæ ſubſidiis, ad venuſtatis patrocinium quantocyus confugit. O fatua! tene fugit, ſpeciei fulgorem fulguris inſtar evaneſcere, formæ dignitatem temporis puncto defloreſcere? Cur ergo per quid momentaneum fortunam firmandi, thronumque ſatagis perennandi? Expedit (inquit illa) fucati oris illecebris illaqueem, quem deinceps nanciſcar illius adoratorem, quod jam deperiit. Nuntiate, Jehu appropinquare, protinus *depinxit oculos ſuos ſtibio.* Quo peracto animoſa adhæſit patenti feneſtræ, *ut placeret in oculis Jehu, & acciperet eam in conjugem, vel concubinam.* At perditam Politicam fefellit eventus, quæ retia texere novit, capiendis muſcis duntaxat idonea. Quoniam Jezabel indulſit aſtibus, conſuluit ſpeculum, inconſultam ſe probavit; Quippe Numen *apprehendit ſapientes in aſtutia eorum, & conſilium pravorum diſſipat.* Nil Jezabeli profuêre ſtratagemata cum cabalis. En præcipitatam per feneſtram ex alto! Quæ ſuper alienam ruinam ſuæ felicitatis faſtigium attollere laborabat, jacet? Latrantem adverſus Eliam devorant canes. Colores, prætextæque ſimulationes, quibus inſidiabaris tempori perdendi innoxii, capite tibi ſtetêre. Periculum feciſti, quas machinata es machinas, exacerbatæ Divinitatis ultricibus fulminibus, nullo negotio deſtrui poſſe; Cœlitùſque concedi, potentes Politicos imbecillioribus debellari, à leone nec latum unguem abludere; Qui, tametſi formidabilis, fugitivus ſolo galli cantu conſternatur. Ni Cœlum adſit mortalibus, exorbitant; Nulli verò niſi probo præſtò eſt, & aſpi-

rat.

rat. Sozomenus maturâ conſideratione exercitus, regiamque poteſtatem perpendens, eructavit: *Mihi Deus videtur oſtendere, ſolam pietatem Regibus ſufficere ad ſalutem,& ſine hac nullius eſſe momenti exercitus, robur imperii, & reliquum apparatum.* Tantæ molis eſt, uni litare pietati, ut omne robur fatiſcat, nutet belli moles, illa niſi fulciatur, qua ſuccollante, inconcuſſa ſtant omnia. l. 9. hiſt. Eccl. c. 1.

10. Uſque adeò excœcantur Politici, licet cœlitus prohibeantur (non enim Numini inconnivens juſtitiæ oculus eſt) ut multos haut diſpar exitus manſerit, quàm Jezabel contigerit. Tullia, impellente propriæ utilitatis tyrannide, in extincti parentis cadaver carpentum invexit, gaviſa crudelis acclamari. Nero, humana effectus vipera, genitricis amantis viſcera laceravit. Achab ſuos trucidavit fratres. Phalaris in ſubditos immitiùs animadvertit, quàm pro humana teneritudine. Herodes Bethlehemiticorum infantium ſtragem edidit, nocens inter innocentes. Herodes infauſti meritò Politici nomen ſibi vendicat: Neceſſum duco, atque conſultum, ratiocinabatur impius, qui effrænes animi impetus cicurare neſcivit, ut ament cladibus inhiantes: Super numeroſorum lactentium ruinas, meum ſtabiliam Regnum. Juvat (affirmabant Bethlehemiticæ matres) nos ſuperſedere ſalvando infantem Jeſum, quò detur Dominantis furorem, offensàmque eludere. En ergo, qui amplectendo *expedit* Caiphæ, tàm hæ, quàm ille *expedit*, reperiuntur immemores; cum adhærendum veniſſet, dictaminibus, queis immaculati Politicorum fulgurantium ad gladiorum jubar, ridentes innumerûm infantium eclipſantur pupillæ: In vitam erumpendo exſiccati ſunt flores, ætatiſque lux ad auroram obſcurata eſt. Crudelitatis monſtrum ſub deſperationis larva palliatum, debacchabatur: Hinc Bethlehemitici infantes internecioni conſignantur, ac ſtragis horror totam funeſtavit regionem, quemadmodum nullam viarum cruor non inundabat: Mediæ luctuoſam inter calamitatem, impenſiùs lachrymis indulgebant, ignaræ, ſuos partus defungendo, certam ſibi vitam ſtatuere: Quoniam migrantes in empyrei Geminos, corruſcantes æternitatis inſerebantur zodiaco. Verùm enim verò mortalium oculis, ceu talpæ, ad cœleſte lumen caligantibus, neque propriæ prolis perennes deprehendendo ſplendores, frænum lachrymis injicere detrectabant, oris decus devenuſtantes injuriis unguibus, nec ſparſis, impexiſ-

pexiſque comis parcentes; In cujus caput tantarum calamitatum culpam derivabimus? Quo manârunt fonte luctuoſarum ærumnarum, quibus cruciamur, Iliades? impia ratione ſtatûs: In inauſpicatæ Politicæ multam, matres vix ortorum pignorum occaſum ſpectare adigebantur, nec non denatos natos in ipſo vitæ limine, atque crepuſculo, crepundiis ſubrogatâ inhumanitate. *Noluerunt* (effatur Divus Vincentius Ferrerius) *recipere Virginem gravidam, nec Joſeph Sponſum; nec etiam poſt nativitatem, viſis tot miraculis, voluerunt recipere Filium DEI, ut Herodi placerent; Ideò DEUS contra eas provocavit Herodem.* I nunc, mater Politica, dicitòque, *expedit.* Neque mitiorem ſortem, Herodem manſiſſe comperimus, ſuffragante Euſebio: *Herodem, poſt necem infantium perpetratam, in multas calamitates incidiſſe, morboque protinus vexatum eſſe, ſicque ad extremum uſque ſpiritum perſeverâſſe.* Omnia trucidatorum infantium vulnera, in quorum corpuſculis haut erat novo vulneri locus, coacta Herodem obſiderunt. Omnes matrum afflictiones tyranni lancinârunt viſcera. Quapropter vitalem ſpiravit auram, fatòque conceſſit quà deſperationis mancipium, quà vexatus, ac tormentis affectus.

Apud Baron.

Niſi mortales à Numinis penderent imperio, ad arbitrium ſuas operationes dirigere liceret, ut &, quæ magis arriſerit, probam, improbàmque calcare viam. Verùm *eſt DEUS in Iſraël.* Quocunque te convertas, illum obvium nanciſceris, quo plena occurrunt omnia, nullo dempto, normam nobis vivendi, operandique præſcribere dignatus, nobis peregrinis iter deſignavit quiſquis exorbitat, errat; quiſquis errat, reluctatur; quisquis reluctatur, ſeſe præcipitem agit. Nemo non ſpeculetur, ſuarum momenta cogitationum machinationibus jugiter impendat, diu noctuque invigilet ſubtilitatibus, conſilia dirimat. Sin illius cogitationes divinis repugnabunt præceptis, offendet extemplo, qui DEUS diſſipabit molimina, telas diſſolvet, plectet, occidet, æterniſque mancipabit ſuppliciis. In prætactis tragœdiis hanc veritatem expletam, nemo non deprehendet. Si verò Hebraicas faſtidiat antiquitates, ætate noſtrâ extorres, nuſquam gentium exercitas, aliis haut deploratas nationibus: illicò oculis objicio Gentilem. Exoticum eventum, inſolènſque ludentis fortunæ ſpectaculum celebro, Ælium Sejanum; qui natus Volſinii in Hetruria, Romæque ſupremæ felicitati faciens ſatis, prope lacum primam

mam lucem aſpexit, occubiturus flumini injectus, fruſtillatim diſcerptus. Sejus Strabo illius parens, Mavortis ſtudio florentem Tiberio Cæſari ſtetit; quem ſibi parem conſtituens in militiæ gradu (Chiliarchi munere tunc temporis fungebatur apud Prætorianas excubias) poſtmodum ſocium, atque collegam Imperii deſtinavit, & accivit. Tiberius carebat, quod prolixiùs in amicum largus effunderet; neque Romæ quid majus, quid magnificentius expectandum ſupererat: quem Senatu (teſte Senecâ) ad Senatum comitante, Sejani obſequiis univerſus Orbis intentum ſe probabat. Suadente ambitionis irritamento, jam jejunâ aviditate pronus eſt, ad imponendam tantæ felicitati coronidem, ac faſtigiatæ dignitatis apici, cui unus deerat Imperatoris titulus. Molitur igitur, quidquid ſuggerit cœcus propriæ exiſtimationis amor; quominus ab Imperatore primus colatur, quem ſibi ſecundum ſtatuere tentat. Ex Politices legibus immorantem vult deliciis Capreis, quò campus pateret texendæ ingratæ, nec non temerariæ conſpirationis. Quid autem impiorum, Politicorumque cœlo vindice contigit? quâdam die improvidus coram nonnullis hoc pectore evolvit, ſatius dixero, effutivit; Romæ Imperator ſum ego, Princeps Inſulæ Tiberius. Hæc autem lubricæ linguæ licentia carò ſtetit Sejano, Tiberioque pœnas dedit, cujus pulſaverat aures, oculóſque reſeraverat. Interim cujuſdam Sejanæ ſtatuæ caput fumare viſum eſt. Hancjubet conteri, venaturus originem; dumque diſrumpitur, ſerpens egreditur. Fortaſſis hic latitans ſerpens prognoſticon extitit Tiberii, qui clanculum Romam pervenerat, opportunaque mandata Conſuli Memmio Regulo, Gracinòque Laco Duci nocturnarum Vigiliarum diſtribuerat. Quas telas obſcuræ noctis beneficio ordiuntur Politici, ad lucem meridianam diſſolvit Altiſſimus, ac ad Solis ſplendorem: In Apollinis templo, videlicet Solis, Senatus confluxit; Cui Sejanus intererat, duntaxat purpurâ ſpoliandus, probroſarumque catenarum tractibus onerandus, Dione recenſente; eadem die captus eſt, condemnatus, capitali ſententiâ punitus: Anno ab urbe condita 785. Imperii Tiberii 18. à partu Virgineo 34. Deploratus Sejanus, omnibus viduatus amicis, quos ſibi beneficiis devinxerat, nihil ſuffragantibus Politicæ acuminibus, in ergaſtulo jugulatur, in Tyberim projicitur. Patris

funeri tres filiæ parentare coactæ ſunt lachrymarum, ſanguiniſque profluvio. Quæ deſponſata fuerat filio Claudii, carnifici deflorata eſt prope patibulum, trucidataque lymphanti multitudini. Omnes itaque periêre; Quorum corpora Gemoniis ſunt affixa ſcalis, ubi locabantur, ventorum ludibrium, infamiâ famoſa præſcriptorum capita.

12. In tantarum calamitatum barathrum deturbat, ac devolvit Politica, quæ poſttergatas divinas, humanaſque leges nil intentatum relinquit. Cujus & ſpecimen dedit Albertus Dux Frislandus, Comes de Valenſtein, Archiſtrategus Imperatoris Ferdinandi ſecundi. Politicæ corruptæ ductu aſpirabat ad Imperialis diadematis jubar, tam Deo, quàm Principi injurius, ac perduellis. Sed ecce, ſiquidem *eſt Deus in Iſrael*, nullibi tutus, vel ſuis ſupplantatus chariſſimis, ubi ſperabat aſylum, lanienam offendit, imperante Imperatore, ultore Numine inauſpicata acuti ſpari victima corruit. Conſonat ergò veritati: *Quæ ſeminaverit homo, hæc & metet.* O uberem Politicorum meſſem! ô amariſſimi dulcis Politicæ fructus! In Politicorum, ambitioſorumque, erudiendis turbulentis, Albertus in ſcenam prodiit tragico ſpectaculo; Campum aperiens Jacobo Lobrano, canendi ad Apollineam chelyn, luctuoſum Epitaphium:

Hoc jacet in ſaxo Albertus dum Savonas urget:
Non tamen eſt albo in marmore pura fides.
Cæſaris Imperium molitus Cæſaris arma,
Vertit in Auſtriacos Auſtria tela Duces.
Fulmen in Authoris recidit caput. Aulicus aula
Fidere, condiſcat fidere & aula ſuis.

In Homines probos, demorſos ſapientes ungues, à flumine non abludere cenſeo; quod modicum ſortitur initium, mediocres progreſſus, ſpatioſum exitum. Quoniam illorum vita ærumnoſa eſt, tamque vexantur ſiniſtris, ac detonantis fortunæ deliramentis, ut ægrè ex humo erumpere videantur, circa obitum evadentes in magnos. Si preſſius conſidero, ſceleſtos vento ſimiles offendo, cujus initium vehemens, unde annoſæ quercus eradi-

cantur,

cantur, nemora confunduntur, turres, ac urbes ad ruinam quaſſantur; evaneſcente vapore, invalidum maximè degenerat in exitum. Improbi, pœnam haut evolaturi, quos diris devoveo; in vita turgent ut bulla, in mortis articulo rediguntur in nihilum. Divus Auguſtinus mihi cachinnos extorquet, de illis ſic effando: *Spongiæ comparandi tumidi, non ſolidi, inſidiarum tortuoſis anfractibus cavernoſi.* Ubi nunc Doeg? Ubi Jezabel? Herodes ubi? quò Seianus receſſit? Quò Valenſtein? Eos Dei juſtitia pugno conſtrinxit, in Politicorum exemplum; qui, niſi reluctarentur hoc inſpicere ſpeculum, palinodiam oppidè canerent: Ut, cùm olim tortuoſis anfractibus cavernoſi fuerint, inpoſterum evadant recti, rectaque incedant haut exorbitando. Jacob filii, non fratres, at ſævæ tigrides, perdendi Joſeph inſontis ſatagebant, ceu purpureus fratris ſanguis, hæreditatis pyropos augeret, & ex unius funere, opibus cunctorum accederet incrementum; Tandem vendiderunt eum, ignari, ſibi comparâſſe probroſam ignominiam. Joſephus autem creatus *Ægypti* Prorex, Pharaoniſque locum tenens, illos ſuæ habuit ditionis. Ex Politicæ legibus ex legibus, è medio tollendi veniebant: Quippe cùm egeno inviſos ſe ſe probârint, quid in theſauris immerſum non tentarent, atque machinarentur? Dedignatur attamen ingenuus ille animus par pari reddere, labyrinthicis Politices anfractibus implicare ſe, propriamque ſublimitatem ad ima vindictæ demittere. Philo cauſam fratrum reſponſis adſcribit, nec aſſerere dubitat, hoc veritati reſpondere: *Duodecim ſervi tui fratres ſumus. Minimus cum patre noſtro eſt; Alius non eſt ſuper.* Ille naturæ ſolvit tributum, miſceturque cœmeterii oſſibus, edacis temporis cinericium trophæum: *Hoc de ſe ipſo loquentes audiens, tanquam mortuo, quid animi habere potuit?* Id ipſum executioni mandâſſet Amurathes Turcarum Imperator, quoties cogitationem ſuo defixiſſet in feretro; Quà generoſus miles, quà inſignis Politicus, quingentis armatorum millibus, Babylonem obſidione cingere meditatur, Regnorum ſuorum confinia dilataturus. In ſuſpenſo tamen erat, num præſtaret, Bajazet fratrem Conſtantinopoli confidere; Igitur periculum quoq; facturus, capaxne foret, ſe abſente, conflandæ rebellionis, Imperióque moderandi, talibus illum affatur: Mihi longinquo, te ſupremum belli ducem, ac locum tenentem ſubrogari placet: Affatim animoſitatis eſt tibi, mellitiſſime Frater,
 ut

ut per incompertos Chaldææ tractus copias trajicias, Euphratémque attingas, ubi urbis unius ſinu, integra provincia circumſcribitur? Reſpondit cordatus, ac audax: Nec illuc penetrare dubito quanta maxima generoſitate, nec triumphare deſpero; Ad hæc Imperator, ſuadente Politica, morarum impatiens, fratrem jugulari jubet. Amurathes, Amurathes, lethum haut perpendiſti, defuit, qui tibi inſuſurraret, *alius non eſt ſuper*: Cùm attamen intelligeres, avitos Monarchas, queis ſufficeris, in cinerem, vermeſque migraſſe. Fratrem interimere, tuæ tribuendum barbariei; Barbaries tuæ ſacrilegæ fidei ſoror extitit; Tua fides Politicæ ſe filiam probavit, cùm omnes Statiſtæ audiant Atheiſtæ, ſicque malè audiant.

14. Statiſtæ, ſi cordi eſt, amiſſam redimere fidem, mortem contemplaminor, ſordidumque pulverem, in quem reſolvemini. Oculus ſtat pro fidei ſymbolo. Hinc in Evangelio Gentilitas adumbrabatur in cœco à natalibus, quem Chriſtus illuminaturus, diemque viduis maritaturus pupillis, *fecit lutum ex ſputo, & linivit oculos ejus.* Rumpatur nux, ſi nucleus deſideratur, inquit Divus Bonaventura; *Sic Dominus nos cæcos per Dei, & noſtri ignorantiam, illuminat per lutum, unde nati ſumus, liniendo ſuper oculos noſtros; Ut priùs incipiamus nos ipſos cognoſcere, deinde ipſum illuminatorem noſtrum credendo proni adorare. Ex luto viſum recepit, qui ex conditione propriæ fragilitatis ſe ipſum humiliatus agnoſcit.* Lethi reminiſcentia, propriæque fragilitatis in fide nos illuminat, ac irradiat, denudatque ſynceræ Religionis exercitium. Alphonſus Arragoniæ Rex effabatur, *Romæ eſſe debuiſſe domum concordiæ ante Capitolium conſilii, in qua priuſquam ingrederentur Capitolium Senatores, amorem privati commodi, odia, ſimultates, & alios affectus malos exuerent.* Ego verò ſuper omnia, patentem maluiſſem ſepulturam illis objectam. Omnino deſpondiſſent animum ſe ſalvandi, niſi illibatis Politicæ præceptis adhæſiſſent.

de proc. rel. c. 18

15. Henricus Galliæ Rex, qui Politicæ maximas haut extrahebat Hiſtoricorum conſiderationibus, Principum apophthegmatibus, mortalium aphoriſmis, at uno Jovis capite, unde germanæ ſapientiæ Minerva proficiſcitur (ne aures veſtræ proficiſcantur Politici) vice horologii candelam adhibebat, viginti quatuor lineis ſignatam, viginti quatuor diei horas indicantibus: Hæcque diu, noctuque ardebat. Itaque oculis in illam converſis, paulatim propriam vitam

effluere deprehendebat, ac evaneſcere; maturoque ſcrutinio lethum imminens ruminando, ad illius lumen candelæ audiebat ſupplices, vel accuſatores, ſententias pronuntiabat, liteſque decidebat. Magiſtro ardenti hoc horologio, diſcebat ſuæ vitæ momenta digerere: Ad octo ſiquidem horas paſſim lectionem protrahebat, octo horarum ſpatium fundendis precibus indulgebat, temporis reliquo (octo ſupererant horæ) curando corpori, Regnique negotiis, haut exigui momenti, deſtinato. Diſcumbentis menſæ trinus imponebatur globulus: In uno Crucifixus eminebat, addito lemmate; *Cibus cordis.* Secundum occupabat liber, cui epigraphe: *Cibus mentis.* Tertio panis adhærebat, pani hocce dictum; *Cibus ventris.* Ex laqueari pendebat ſuper menſam alauda, cujus arcanam ſignificationem ſequens oraculum dilucidabat: *Cœlum cane, terram tace.* Alaudæ ſcimus inſertum, humi ſilere, ſublimè canere: Hinc Caſſiodorus anſam arripuit effandi; *Deum lauda, non ſicut alauda.* Siquidem elatus, auſpicatuſque Numinis decora celebrare, noli reverti ad ima, ut ſileas: Juſtorum quippe vita creſcit, non deficit. At non cuncti Dominantes Henrici prærogativis gaudent. Quidam inveniuntur reſides, alii voluptuoſi, nec deſunt obtuſi, quique tam animam poſtergent, quàm conſcientiam. Quid autem futurum eſt? Auguſtini oraculum libet uſurpare, ſub Numinis ſpecie perſonati; *Quæ poſt dorſum poſuiſti, ante faciem ponam: videbis fœditatem tuam, non ut corrigas, ſed ut erubeſcas.* O licentioſi, ò licentioſi! Baſſianus Antoninus Imperator, Populi Romani implacabili patebat odio, quòd privata commoda, ſub publicæ utilitatis colore per Politicam pravitatem promovens, callidus Politicus fratrem interemerit; Tunc Baſſianus Æmilium Papinianum, Præſidiariorum Ducem, qui, ob legalis prudentiæ lumina, ſummo habebatur in pretio, ſollicitavit, coram pleno Senatu tam indigno facinori patrocinaretur. Papinianus reſpondit: *multò facilius eſſe parricidium perpetrari, quàm defendi.* Quî verò veſtra tuebimini flagitia, coram incorrupti cæleſtis Judicis tribunali, profligatiſſimi Politici, quem fautorem vobis conciliabitis? Infauſti Politici, queis infenſam ſe denudat Politica. Labyrinthos aliis irretiendis contexentes, propriam illaqueant conſcientiam. Quiſquis Politicè vivit, Politicè tractatur artem arte fallente. Omne Politici verbum ambagioſum creditur, quoniam fucis illitum vene-

ni ſuſpicionem ingenerat. Hinc Auguſtinus, *juſſiſti Domine, & ſic*
In Conf. *eſt, ut pœna ſua ſibi ſit, omnis inordinatus animus.*

16. Abſalonem ſuſpendit in ramo per auream comam Politica. Præ regii palatii limine prætereuntes aurâ ſerenâ, comique affabatur ſupercilio, cur accederent. In omnes, viſceribus ſerpente dominandi cupidine, prolixam effundebat humanitatem; mentitus, ad ſolium duntaxat aſpirare, uti campus ſibi pateret ampliſſimus erigendorum oppreſſorum, ſedandarumque fortunæ procellarum, ſi contingeret crudelem inſurgere in innoxios. Cujuſvis genio blandiebatur, moremque gerebat, piſcaturus multitudinis benevolentiam, atque propenſionem. Quem comitabatur Clientum caterva, per eblandita ſuffragia altiùs eniti, graſſarique maturans; Davidis regimen vacillans, nutanſque teſtantem, ceu perfidiæ Galenus, languenti Regni corpori medelam afferre pollicebatur, ac robur. Affirmabat opportunam ſanguinis effuſionem; immitiſque chirurgus Patris caput truncare calebat, ſub colore ſubtrahendi corruptioni integrum Iſraeliticæ Reipublicæ corpus. Pendet igitur ex quercu, quò ducebatur iniquæ Politicæ cynoſurâ, flagitioſiſque cabalis. *Juſſiſti Domine, & ſic eſt, ut pœna ſua ſibi ſit omnis inordinatus animus.* Griphis, triciſque Abſalonis adinſtar, omnes implicantur Politici. Jumento inſidetis corpori, animam vehenti; *Ipſa enim caro jumentum animæ eſt*, affirmat Hugo à S. Victore. Currit animalis veſtra portio quandoquidem nec tantillum ſufflaminati, veſtram properatis ad metam, lethum, *vita præſens eſt curſus ad mortem*, adſtipulatur Divus Auguſtinus. Hoc in lethifero curſu, in aëre capillos ſpargere conſueviſtis, chimæras fabricando inanibus cogitationibus; Ut theſauros cumulando, honoris apicibus inhiando: Et ſi quæ ſunt alia delirantium ſomnia, ſimulacra, imagines. Talium vanitate machinamentorum, hujus farinæ ſpectris affiguntur quercui, quæ figurat affectum, amoremque ſæculi; illiſque pendentibus appropinquat Joab, tempus nimirum, mortis dux, trinâ armatum lanceâ, videlicet præterito, præſenti, futuro, quorum corda transfigit. Abſalon ſe ſubtrahere nequivit. Politicorum quilibet eundem æmulabitur; *Mortem nullum aſſero evitâſſe virorum*: Teſtatus eſt inclytus Poëta in ſua Iliade. Quot, amabò, quot abſtulit præteritum, quot rapit præſens? Ah futuri cuncti victima cadent

Tendimus huc omnes, metam properamus ad unam.
Omnia ſub leges Mors vocat atra ſuas.

Ratum habuit Sulmonenſis Cygnus: Cui Claudianus reſpondet in raptu Proſerpinæ.

Sub tua purpurei veniunt veſtigia Reges,
Depoſito luxu, turba cum paupere mixti.
Omnia mors æquat.

Alexander Macedo, non ſolum nec ætate, neque dominio adultus, ſed neque famâ, ſe ſe ſolicitanti, in Olympicis luſibus exercitatione recrearetur, reſpondit: *Da Reges æmulos, & curam.* At ad mortem omnes indiſcriminatim contendimus, Princeps, plebejus, dives, ac pauper, omnes æquante fato. Cuncti, inquam, properamus unam ad metam, doctus, ac idiota, Politici, ac ſimplices. Hanc ergo veritatem contemplare, Politice Narciſſe; Hæc autem contemplatio virulentis tuis cogitationibus antidotum miniſtrabit. Acerbum tibi bellum indicunt tuæ machinæ. Ignoraſne, Judith formoſam, ferocem Holofernem debellaturam, ſuum cineribus ſparſiſſe caput? *Poſuit cinerem ſuper caput ſuum.* Severus Imperator, ſeveræ, nimirum æquæ cultor Politices, ſibi ſepulchrum conſtrui curavit; In quo ſæpe ſæpius expanſus eructabat; *Tu, ò locule, virum capies, quem Orbis non capit.* Memoriam dicti Thomæ Mori refricare ne tædeat; Qui tam Aulæ, quàm Politicæ negotiis innutritus, fulgidiſſimum æquitatis ſydus irradiavit; Dicebat enim, ſtatim atque maternæ carceribus egredimur alvi, ad perpetuum lethi ergaſtulum nos properare. Nobiſque morantur ſatellites, nobiſcum carnifex habet. Egredimur enim condemnati, quotque molimur greſſus, rectâ collimant ad ſupplicium. Latiùs evagarem, ô Politici, verùm immerſi negotiorum Oceano, pronas aures dicenti accommodare non eſt veſtri juris. Durum, acerbumque contingit hortamentum ad lethi recordationem, Ævum prorogare, fortunamque promovere laborantibus. Obmuteſcere ſtatuo mihique ſufficiam Joſephum Mariam Maraviglia, Epiſcopum Novariæ; Qui ſupra luſtrum illuſtravit Univer-

ſitatem

in Prot. Ethico-pol. ſitatem Patavinam, diverſaſque Nationes erudivit adhuc Religioſus Theatinus. Nec mirum à Maraviglia calamo me ſubſidia mutuare. *Romanis etenim ars benè regendi, & Orbi imperandi à ſola virtute data eſt; Et Numa, qui ex Caſſiodoro primus extitit Politici regiminis inſtitutor, cùm ferocem populum ſub Romulo nullâ pæne lege, nullâ virtute, ſed tantùm armis, & bello tractari poſſe videret: Cicuratis pace animis, atque indito Religionis obſequio, unam omnibus excolendam virtutis legem expoſuit, unde Romana felicitas in reliquo temporum decurſu exorta eſt. Ipſe ſiquidem fidei templum erexit, quò vitarentur perjuria, & jura inviolata ſervarentur: Deo Termino tanquam juſtitiæ, & pacis præſidi, etiam conſtituit ſacram. Aliorum denique Deorum cultu, & veneratione omnium virtutum ſtudia civibus æquè, ac populis indixit. Noverat enim cum Iſocrate, quòd prima regiminis turpitudo, & calamitas eſt vitiorum labes, operumque fœditas, quibus ars imperandi ſolet contabeſcere; Et ubi Politicus director in corruptos defluit mores, ſtatim improbitatis triumphus efficiuntur cives, & omnis recti regiminis oritur deſperatio.* Virtutis Regnum nulla vitiorum labes, operumque fœditas invadat, ne vitiorum evadat triumphus delinquentium impunitas. Virtus, inquam, requiritur; Lethi verò contemplatio, fons, atque radix virtutis agnoſcitur. Virtus adoleſcentula, publicis haut exponitur radiis; Aſt ſuis involuta capillis, umbras inter, atque ſepulchra, ad modeſtiæ præſcriptum ævum degendo, faciliùs ſuis procis occurrit. Noviſſimè, Politici, cogitationum alis ad illam evolate, cordéque inventæ vos deſpondetote.

HYPOCRITÆ *AD* FONTEM.

CAPUT III.

1. RAtio poſtulat, poſt Politicos, Hypocritas in ſcenam dari; Qui præfixam ut metam attingant, ceu Politicam lar-

vam, Religionem in improbitatis incrementum inflectere non erubeſcunt, dominámque, ancillam compellant. Effluxit ætas aurea, vobiſque manſerunt ſordidiſſimæ fœces, ac ſcoria: Et quò celeriùs natura vergit ad occaſum, eò latius gliſcit, triumphatque humana malitia. Auſim dicere, nos perveniſſe ad abominationem deſolationis, noſtrumque ſæculum, ut ordine noviſſimum, ita confuſione primum, nil ab Hebraicis hæreditâſſe ſæculis, præter hypocriſin Phariſaicam. Mortales in omni temporis circumſtantia, propriis cæci malis, identidem inauſpicatò ſtructis ſibi technis indormiunt. Hypocritam ſugillabo picturam, quæ ſuperficietenus virtutis mentitur decora, cùm attamen ſub illis ſubtilibus coloribus tela lateat à vitio contexta. Navis eſt affixa littori ſolitariæ contemplationis. Sin alto intrudas, illique te credas, illicò naufragium incurres. Sulfureum redolet radium, fabrefactum fulgur, artis Philegram, quæ nomen oſtentat *filius tonitrui*, ceu Joannes atque Jacobus. Et quamvis nonnihil fortaſſis ſplendoris, ac ſonitus denudet, atque cieat; nulla tamen vi pollet, aut efficacitate ad ferienda corda, quemadmodum probatæ ſanctitatis fulgura: Cùm in hoc ſtudii potiſſimùm incumbat, ut auram, plauſuſque multitudinis inconditæ venetur, & obſtetricantibus byſſinis affatibus, acclamationes extorqueat: Quæ penitiſſimis cordis anfractibus, nullo pietatis periſtromate, nec non coronantium virtutum aulæis, ac ſupellectile fulgida ſordeſcit. A terreno ſtruthione nec apicem abludit, ſuffragante Divo Gregorio; dum reluctatur pennarum remigio ad cœlum librare volatum, ſed caſſæ Gloriæ ventum, ſolique bonorum præpetem poſſeſſionem colligere maturat. Penes Pierium Valerianum, malo punico compar habetur; Extrinſecus enim fucato veſtitum mendacio, haut raró grana recondit putredine tabefacta. Quid, amabò, hypocritæ ſunt? Reſpondet Oſeas Propheta; *Facti ſunt quaſi arcus doloris.* Ad unam metam collimantes ſagittam, aliò tendunt, arcùmque dirigunt. Nubes dixerim maximæ ſterilitatis vitio laborantes; dum opportunum ſpondendo imbrem, ſolvantur in nebulam, herbis atque plantis inimicam. Animatis ſepulchris comparandi veniunt, quæ externæ formæ præſtigiis ſpectantium oculos incantant, cùm tamen ſinu recondant viroſa cadavera: *Sic & vos* (ait Redemptor) *à foris qui-*

dem apparetis hominibus juſti, intus autem pleni eſtis hypocriſi, & iniquitate. Sanctitatem à foris ſpirantes, pietatis jubare radiantes, intrinſecus inveniuntur malorum Lerna, vitiorum cloaca, atque ſentina. Mellitam emittunt vocem, armati rapaci manu: In quos quadret Iſaaci oraculum; *Vox Jacob eſt, manus autem ſunt Eſau.* Tandem hypocritæ mihi ſunt civici pantheres. En parallelum.

2. Africanos campos in ſui luſus theatrum elegit natura; ubi pro libitu, inexpectatos ſuæ potentiæ partus producit, inque monſtris identidem quid novi monſtrat, expleto veteri proverbio; *Semper aliquid novi affert Africa.* Illos terrarum tractus, præfervidæ torridi æquinoctii temperiei ſubjecit, ut geminum diverſumque animal, ardenti cupiditate, quàm igneis Solis radiis inflammatum, tertiam animantium ſpeciem pareret; quæ, genitorum conſuetum tranſcendendo, incomperta monſtra mundo darentur. Hinc Libycas decurrit arenas, quà monſtruoſa, quà famoſa panthera, pardi, leoniſque quidem filia, ſed diſcrepans, à patre tam robur, quàm generoſitatem mutuavit; Mater pernicitatem olfactui copulatam eidem indulſit. Ab utroque verò differt, ac diſtat, pellem, aſtum, ineffabilemque ferocitatem ſi perpendas. Callidum, vafrumque animal, imponendo ſimiis, extinctum ſe humi jacere mentitur; accurrenteſque colluſuræ circa inimici cadaver, exanime ratæ exanimantur: præcipiti ſiquidem ſaltu in illas irrumpit, interfectas immundi ventris animato condit ſepulchro, prædæque dentibus parentat frendentibus. Nonnunquam (oris habitum excoecante deformitate) horridum caput virgultis obſtruit, frondibus inſerit, pelleque maculoſa ſtellarum ad inſtar, nec non fragrantiâ, quam halat, ſuſenſus cæterarum allicit ferarum, minùs ferarum, haud æquè ſurentium. Vix latebris renuntiantes, dum properant ad inſidioſa narium, oculorumque, ſolatia, ac delicias, in ſanguineum crudelis pabulum degenerant. Quis unquam ſibi perſuaſiſſet, ſub cœleſti pelle inferni animam latere? Nihilo ſecius obſtupeſcitis hujus ſylvarum Hypocritæ vaframenta. Neque pœnitudine tangor, Hypocritam ſugillâſſe: Quippe cùm Hypocritæ civitatum pantheres ſapiant, eò magis pantheræ nemorum audient Hypocritæ. A Redemptore alias didici ſimilitudines, qui dixit; *Veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.* Pantherarum ritu, ſe

mundo-

mundo mortuos ſimulant, fucatæ modeſtiæ velo lumina obducentes, collumque incurvare gaudent, ceu prorſus animæ muneribus viduatum: Cùm apprime illorum viſceribus ſerpant vivaces, effrænesque animi paſſiones; ac volupe ſit, per compoſiti inceſſu frequentata lumina, obvios quoſque catenare, in admirationem rapere, prædæque improvidorum inhiare. Horrendum vitii caput intra affectatæ, adumbratæque virtutis virgulta abſcondunt pellaces: pelliciunt pelle bracteatæ pietatis, intrinſecus lupis rapaciores, pantheris crudeliores.

3. O portentum in ultimam Thulem deportandum! indomita pantherarum cicuratur aſperitas, emollitur crudelitas; Aves ingenitam feritatem exuere docentur; feræ quadrupedes Erymanthi cupreſſu ſqualidi manſueſcunt; Africaniantherâ vice canis utuntur; quæ ſubſultim, non præceps, feræ veſtigiis inſiſtendo, niſi ocyùs prædam apprehenderit, irata ſubſiſtit, impaſtaque venatorem aggreditur, ſi cunctetur ſubjicere, unde accenſam evomat rabiem, latrantiſque in ſtomacho famis tyrannidem ſaturet. Ita Paulus Areſius. Spectavit Marcus Polus hominem, Trapezontem triduo pennatum exercitum quadraginta millium perdicum ducentem; quem pedeſtrem volucres volando comitabantur, quo inclinante jam luce ſoporato, circumdormiebant, velut domeſtici pulli coram gallina. Cicurandis igitur ſylveſtribus Hypocritis, utque vitii cultui nuntium mittant, reatuſque obſequio, ſalubrem, proficuamque lethi memoriam exhibeo, illorum pupillis oraculum Senecæ objiciendo: *quidquid egeris, tunc apparebit cum animam ages.* Quæ mors vos rapit, ac conterit ſub mundi ruinis, veſtrorum viſcerum propalabit tumorem. Mors vos in aërem reſolvendo, monſtruoſum vacuum veſtri cordis denudabit; quod virtute carens, bullâ turgidius ampullatur. Tunc apparebit hypocritarum inflatorum vanitas. Itaque à letho duntaxat Hypocritis medelam mutuare licet.

l.1. Prenos. 2.

4. Veluti cœlum fuiſſet, dum in riſum ſolvitur, ita amabile os Chriſti reſeratum eſt, dixitque dicta obſcurans ſuorum myſteriorum luce; *niſi quis renatus fuerit denuo, non poteſt videre regnum Dei.* Nicodemus ſubnectit, *quomodo poteſt homo naſci cùm ſit ſenex?* Cardinalis Hugo prorumpit; *ipſi videtur difficile ſenem in peccatis rur-* *Joan. 3.*

ſus revocari ad pœnitentiam; *& difficile eſt quoad ipſum*, *unde Jeremias* 13. *Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuam*, *& vos poteſtis benefacere cùm didiceritis malum.* Ineluctabile videtur, hypocritam malo callum obducentem, calculos revocare poſſe, ac denuo gratiæ reviviſcere. Verùm idem Nicodemus audiatur, invitâ, refragantéque Minervâ myſteria revelans; *Numquid poteſt in ventrem matris ſuæ iteratò introire*, *& renaſci?* Reſpondet purpuratus Doctor; *in fine auctoritatis innuit Nicodemus*, *quòd ſi debeat renaſci*, *debet in ventrem matris introire*; *id eſt*, *in conſiderationem ſuæ fragilitatis*, *& terrenitatis*, *& corruptionis*, *quæ eſt mater noſtra*, *ſecundùm illud Job*; *Putredini dixi*, *pater meus*, *& mater mea*, *& ſoror mea vermibus.* Mater noſtra tellus eſt. Hinc Brutus in ſuum commodum Oraculum interpretatus, ſapientiúſque quàm ſui conſanguinei, oſculum ſolo, ceu matri, protinus infixit, meruitque Romæ moderari. Hypocritæ renaſcituri priſtinæ integritati, pietatemve impetraturi, quam nunquam poſſedêre, cogitationis ſubſidiis intrudant ſeſe in terræ ſinum; Contemplari minimè graventur, ex telluris immenſitate modici ſe futuros participes, ſeptem, aut decem ad ſummum in imo tumuli palmis arctandos. Hic veſter cinis, ó Hypocrítæ, perennè præ oculis veſtris ſit. Haud oberit pupillis, aſt acuet, emaculabit, quò detur deprehendere ſpinas, præcipitium ineluctabile ſemitæ, quam calcatis, ſuavia ſuavia communi matri imprimere ne ſtomachaminor, quatenus origo ſtatim eluat, quod ſuperbiæ regnum affricavit, eraditote veſtris cordibus faſtum nefaſtum.

5. Tribulis veſtra ſpargitur ſemita, dum roſas conculcare cenſetis; *Quis oro* (ratiocinatur Divus Petrus Chryſologus) *niſi omnino ſtultus*, *planéque de mentis poteſtate dejectus*, *hoſtiles in ſemetipſum inferat manus*, *ſe dilaniet*, *diſcerpat*, *atque dilaceret*, *effera*, *ſupra omnem hoſtilitatem*, *barbarie? ſi neſcis*, *Hypocritæ id faciunt.* Quam conſequentiam Chryſologus deducit ex illo, quod inſeritur Evangelio Matthæi: *Cùm facis eleemoſynam*, *noli tuba canere ante te*, *ſicut Hypocritæ faciunt. Benè tubâ*, concludit prætactus Divus; *Quia talis eleemoſyna hoſtilis eſt.* Sibimet bellum indicit, hoſtiles provocat aſſultus, invitat ad palmam, claſſicum canens. Inpræſentiarum allubeſcit ſuperſedere narratione perniciei, quam animæ pariunt: Silentio tamen præterire dedecet damna, queis ſubjacet corpus. Regiam in illo-

Ser. 9.

in illorum cordibus gaudium erexit; & neceſſum eſt, geſtent in vultu tetricitatis inſignia. Appetitus gliſcit, fames vehementiùs rodit, attamen jejunant; *Exterminant facies ſuas, ut appareant hominibus jejunantes.* Aurum, argentumque effundunt, avaritiæ vulture illorum viſcera diſcerpente, dilaniante. Tormentorum oppidò longè funeſtiſſimum, urgente neceſſitate niti contra torrentem, & ad propalandum, quod non exiſtit, iteratò compelli. Hinc cum hiſtrionibus illos confert Baſilius Magnus; *Hypocrita, hoc eſt, hiſtrio, vocatur is, qui in theatro alienam perſonam ſumit, ut ſervus exiſtens, ſæpe numero Domini, & privatus Regis. Sic & in hac vita ad ſuos mores orcheſtras, atque theatrum exercent ii, qui alia corde gerentes, alia extrinſecus hominibus præ ſe ferunt. Ne obſcura faciem: Qualis es, talis appareas; Ne te in ſqualidi, triſtiſque formam convertas.* Undas ſcaturientes in Inſula Naxo, una Cycladum ex Ægeo æmulantur Hypocritæ. Generoſiſſimo à mero nil abludentes fluere credas, tradente Cardano, cùm vilis tamen ſola vini ſpecies inſit. Ad illas reſpiciens Propertius modulatus eſt;

S. Mat. c. 6. — *Ser. 2. de jejun.* — *l. 2. de ſubt.*

Et tibi per mediam benè olenti flumine Naxon,
Unde tuum potant Naxia turba merum. *Eleg. 12.*

Illos ego comparabo lacui Geluchelam, vaſto in Zorgai Regno fluctuanti; Cujus gyrus ſeptingentis milliaribus arcuatus, Siciliæ propemodum magnitudinem æquat. Marcus Polus ocularis teſtis, à prima Quadrageſimæ uſque ad noviſſimam, piſcibus exuberare aſſerit; reliquo anni decurſu omni prorſus viduatur ſquameo habitatore. Numquid tam effuſa aquarum copia, vel Regnis proſpicere poſſet? Fluctuans occurrit Hypocrita. Nonnullis duntaxat momentis ſpiritus durat. Mendicatorum verborum circulo, abſolutiſſimæ virtutis norma reſtringitur, atque circumſcribitur. Deinde diu, noctuque proprio lucro, alienæ ſtudemus ruinæ; dumque aliorum invigilamus exitio, proprium præcavere negligimus.

6. Satius, à ſpinoſo tramite deflectentes, cœmeterium verſus, letho duce, veſtigium per ſtratas roſas molirentur hypocritæ. Cùm infauſti, metam attacturi uberi frontem irroretis ſudore, multò ſuaviùs virtutis Germanæ ſemita, monumentique recordatio vos deducet

ducet

ducet præfixum ad ſcopum. Suis Evangelicus Rex imperat, *quoſcunque inveneritis, vocate ad nuptias.* Dedecet autem, plebis fœcem, nares cubito emungentes, regiis aſſidere convivis. At expedit expendere, quo loco Rex mandet, inveniantur, eliganturque; *ite ad exitus viarum.* Explicat Albertus Magnus, *illi, qui ſunt in exitu viarum, mortem ſuam jugiter proſpiciant.* Hi nati ſunt ad contemnendas coronas, regiarum dignitatum culmine digni, qui rerum po-
ſer. 74. tiantur; *& certè tales dignos ſe efficiunt, ut ad Chriſti nuptias introire mereantur. Quicumque enim mortis ſuæ efficaciter recordantur, ſtudent eſſe patientes, continentes, & obedientes.* Igitur, Hypocritæ Narciſſi, ſi vobis eſt cordi, ad dignitatum apicem aſpirare, nec non diteſcere; noſtro in morali Fonte explorate vos, profundum fundum intuentes, lethumque perpendentes. In tumulis genuina nidulatur fortuna, virtus alitur, anima locupletatur. Quæ dulciſſimam efficit mortem, dulcis ſit ſemita oportet. In memoriam quiſque revocet impudicum Monachum Leone Imperatore; qui per hypocriſis ſuffragia honeſtatem mentitus, fœtida ſuarum obſcœnitatum papavera, candore liliorum, liguſtrorumque velabat, atque palliabat. Cunctis ſanctitatis flos commendabatur. At cum morte luctantem in ſupremo agone deprehendit Divus Euthymius, ter deploratum. Animadvertit animadvertentem gravi tridente in expirantis impuram animam, Angelum horridâ formâ veſtitum: Quippe vix advolâarat, cùm illi ſpiritum immundum eruit, erudiendæ poſteritati, quàm acerbus hypocritas maneat exitus, quoniam inter vivos ſpinoſum iter calcare lætabantur. Ita Nicephorus. Quòd vitium ſi-
l. 14. lentiis obruas nolo, Numini perſpicuum haut erit? *Illi muta reſpon-*
c. 52. *dent* (fidem adſtruit Divus Leo) *ſilentium confitetur.* Putridum ſapit cadaver laſcivi anima; *qui fornicatur* (affabatur Clemens Alexandri-
2. *Pæd.* nus) *Deo eſt omnino mortuus, & à ratione, tanquam à ſpiritu, ut ca-*
c. 10. *daver relictus eſt.* Cadaver autem eſto multiplicibus linteis involutum, peſtiferos ſpirabit halitus, locatumque foveæ viſceribus, intolerabilem graveolentiam effundet. Hypocritis ſorditudinem nec exuere, nec velare valebit animæ obſcœnæ, mendacia prodente veritate fucis obruta. Editiſſimus agger ad fluminis ripas aſſurgat; exitum ali-
Hom. bi ſibi molietur, munimenta demoliens; *ſic malignitas ex una parte*
23. *in Matt.* *confuſa, alium ſibi aditum invenit*: Ratum habuit Chryſoſtomus.

Elu-

Eluceſcit, eſtque perſpicuum, affectatam oculorum modeſtiam aut verbo, aut manu, aut cordis ſuſpiriis, certè per animi turbatos motus agnoſci, aditumque ſibi aperire. *Nihil eſt opertum, quod non revelabitur, & occultum, quod non ſcietur.* Quale tandem tormentum, quod dedecus! Omnia patebunt, nec ampliùs occaſio dabitur noxam à ſe demoliendi. Omnia ſiquidem exarata libris conſignantur; quæ revelata non minùs pudorem, quàm terrorem incutient. Hypocrita Judas haut erubuit ora Chriſti, dum oſcula fixit; baſiando verò magis Magiſtro diſplicuit per hypocriſin, quàm per perpetratam proditionem. Ad noctis ac plantarum umbram, Sol Divinus orabat in horto Gethſemani. En Judam appropinquantem! Decet etenim noctuas inter umbrarum opacitatem incedere; Jamque Chriſtum medius amplexus inter ac oſcula, cordicitus invadit. Noctuæ rurſus jamjam extinguendis amant approximare. Chriſto fraus ſubolet, neque ſeverâ doluit triſtitiâ ſe prodi, ſed molliter effatur: *Juda, oſculo Filium Hominis tradis? Quaſi dicat*, explicat Divus Ambroſius, *propter te ſuſcepi, ingrate, quod tradis in hypocriſi.* O flagitioſiſſime mortalium, proditioni hypocriſim copulare non dubites?

7. Sacris circumſcribuntur Clauſtris quidam delicati pietatis milites, zeli pallio involuti, ambitione, tenacitateque ſubſuto; Proprio emolumento oretenus immerſi, mentitis hypocriſis coloribus, veris falſa, adamantibus abjectiſſimi vitri fruſta ſubſtituunt. Regnant inter Literatos minutiſſima menda, inviſibiles atomi, feſtivitatis, eutrapeliæque potiùs effectus, quàm effrenis ac impoſiti animi; quibus urbanitatis & amœnitatis alis viri perquam probi ad ſupremos dignitatis gradus, ad Præpoſiti, Præſuliſque culmen evolare maturant. Præſto ſunt hæc media ad gloriæ Capitolium carpentes, ex ſuperbiæ perdito præſcripto ſpuriæque Politicæ. Propriis ſiquidem meritis denudati, dignitatiſque baſi carentes, infremunt, acuunt linguæ jacula, armantur opprobriis pugnaciùs ad invidiæ cotem, adverſus graſſantes ad gloriæ apogæum: Quos ſugillant appetentiſſimos inanis gloriæ, quam ipſi maximè ſitiunt. Pannoſi videri quoque affectant, cùm attamen ficus quò magis circa labra lacera apparet, eò ſuaviori dulcedine refertam ſe prodat. Quæ ficus intorta pendet, maturitatis notam edit. Hypocritæ jam maturi in iniquitate reperiuntur; collum incurvant, hamum fabrica-

turi ad piſcandum dignitatem aliquam; Genua flectunt inſtar cameli, ut onerentur honoribus. O Juda Clauſtrorum! *Oſculo filium hominis tradis?* Quî pietatem ſceleſtus adulterâſti, quam tuæ probationis curriculo, intra Novitiati ſepes hauſiſti, imbibiſti, ſuxiſti? Intonat Jeremias Propheta, *quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis Fontem lachrymarum, & plorabo die, ac nocte?* Cur laxatis habenis invehere aves in mortales? Cur lachrymarum Oceanus, in quo penè arca Noe, quæ diluvii naufragium eluſit, pereat? Cur, amabò? *Omnes adulterati ſunt, cætus prævaricatorum.* Virtus adulterata, religio languet corrupta. Plantantur uvæ, colliguntur labruſcæ, vinea ſylveſcit. Omnium virtutum coloribus veſtitum Monaſterium, tuliparum hortum redolebat. Impræſentiarum tam venuſtâ picturâ in unum migrante colorem, vitii typum, tulipæ, nec non fœtidi papaveris icon, atque naturâ, indiſcretæ ſimilitudinis anxiùs rimantibus occurrit. Omnes adulterati ſunt; Et quoniam ab Evangelio prævaricati ſunt, de mentis poteſtate dejecti, proinde furibundum Numen hac illos ſententia fulminat, intonando: *ecce ego cibabo populum iſtum abſynthio, & potum dabo eis aquam fellis, & diſpergam eos in gentibus, quas non noverunt.* Ad cujus umbram confugiendum, quod adhibendum remedium? E veſtigio Jeremias ſubnectit: *contemplamini, & vocate lamentatrices, ut veniant.* Temet in hoc ſepulchrali Fonte contemplare, lethum mente præſumito, vitæ tuæ fragilis momenti memento, perpende in Damaſceno campo, in ictu oculi nativum tuum pulverem in carnem migrâſſe, ut ſubitanea metamorphoſi reſolveretur in pulverem. Contemplamini, cur poſtea, *vocate lamentatrices*, non autem eloquentiâ florentes Oratores, quò detur conglobatorum argumentorum fulminibus profligari vitium, triumphare virtutem? Reſpondet Rabanus Maurus, *quia Prædicatores, & Prophetæ, quaſi futura, & procul eventura tractantes, non audiebantur à populo: Idcirco lamentatrices veniant, quæ proximè præterita, & quaſi oculis objecta annuntient.* Lamentatrices accedant, quæ nuperrimè parentum, noſtrorùmque amicorum funera deflevêre; lamentatrices, quæ flebilibus, lachrymoſiſque ſuſpiriis, hactenus charorum agminibus parentabant; lamentatrices, quæ, propulſato faſtu, lethi neceſſitatem vobis intonent, priuſquam detonet in cervicoſos irata Divinitas. Hoc agnoſcite præſentiſſimum, præſtantiſſi-

tantiſſimum, unicumque remedium adverſus labem hujus ſæculi, ut omnino mortis obliviſcamur. Hinc Regibus Nabathæis admodum extitit ſolenne, familiareque, Reinero neque ſubleſtæ fidei, neque pœnitendo Authore, pectore, ceu peculiare inſigne, auream, baccatamque mortis imaginem geſtare, adjecto lemmate: *Mater bonorum, noverca malorum.* Familiaris inopiæ conſcientiâ, mortiſque cogitatione, ſi quis non depellatur ambitioſis auſibus, conclamatus audiat neceſſum eſt. Tam nobis propinquus eſt tumulus, uti ad omne veſtigium incidere in illum parati ſimus. Tuum exitum, te in mortis margine lubrico conſtitui paſſu, hypocrita contemplare.

8. Religioſi, queis apprime congruit contemplatio, Deumque laudum muneribus celebrare, acredulæ imitatores ſe probent, Italis dictæ *calandra*, recenſente Aldrovando; *quia vox ejus aſcendit quidem, ſed plurimum deſcendit.* In choro promas præconia Numini, menteque in cœlum erectâ, cogitationes in ſepulchrum demittas. Fama volat, Mariæ Hungariæ Reginæ fuiſſe aviculam, nomine *vitam*: Cui inditum naturæ indulgentiâ, quoties alicui mortalium obtutus ſubtrahit, alioque convertit, ejuſdem proximum fatum pronuntiare; Sin benignius aſpiciat, quadamque hilaritate, prolixam annorum catenam illi augurari. Præfatæ volucris oculum annulo inſertum Regina geſtare conſueverat; quem honeſtabat ſequens epigraphe: *Non gemma, ſed vita.* Sua veritati ſit certitudo. Religioſus Hypocrita finget equidem ſe antevertere Divi Dominici caſtitati, Divi Franciſci humilitati, paupertati Divi Patriarchæ Cajetani Thienæi, Divo Bartholomæo, centies interdiu, totidemque nocturno tempore preces fundenti. Aſt hypocriſis, cujus velo tuos involvis fucos, indignaque facinora, lethi non te ſubtrahet oculis, quin illius occumbas victima, perbellè modulante meo Joſepho Silos:

Virtutem ſimulas, bellè lavatus, & ora
Improba mentiris, vultibus arte tegis.
Quid latuiſſe juvat mendaci fronte? Latentem
Mors videt, & telo te petit illa ſuo.

Lynceis armata oculis, intima tui cordis penetrat, tui pectoris anfractibus illabitur, téque, protegente nemine, telo ferali petit. Perpende quì dies effluant, evaneſcat vita, ſpes arefacta marceſcat. Detrahe tibi pietatis larvam, pietatem indue, extorrem revocato virtutem, non tam habitu Religioſus, quàm opere, nec ora mentiaris compoſita, ſed compoſitum te ritè probato. Defungendum eſt, Ah! Quæ caligines vel in meridie tuis emergent oculis? Intellectûs vertigines, cordis aſſultus, conſcientiæ ſynđereſes, pœnitudo, quà ſerotina, quà intempeſtiva, commiſſa in memoriam revocabunt, ac ſphalmata, angent, arctabunt. Verùm Deus averruncat, quominus & ſupremum halitum Hypocriſis occupet.

9. Inveniuntur etiam in tribunalibus quidam miniſtri, qui togæ majeſtate decori æmulantur iridem; dumque extrinſecus colores aſſumunt, intus caliginoſis devenuſtantur vaporibus. Monti celſiſſimo, qui inter Cambalù, atque Catajam aſſurgit, ſimillimi reperiuntur. Viridantibus arboribus obſitus, & in cacumine amœniſſimus, viſceribus atra recondit ſaxa, ab accolis lignorum vice comburenda, quorum ingens eſt vena. Nonnulli togatorum viridi colore Aſtræam, juſtitiæ antiſtitam, obducere amant, litigantibus incorruptæ ſententiæ ſpem creaturi. At Hypocriſis ſubſellium occupans, quæ vicem gerebat viridis amictus; controverſias, ſæpius accuſatori prævaricatas, pro partium ſtudio dirimit, animam denigrando, velut carbonem, inauſpicatum infernalium flammarum pabulum. Caput inclinare ne gravaminor, Hypocritæ togati, ſalubreſque vobis Narciſſi, noſtro in Fonte germanam piſcamini pietatem, vitiorum commercio, aut confinio repugnantem. Hypocriſis fucatam redolet injuſtitiam, *injuſtitiam manus veſtræ concinnant. Concinnant*, quidam legunt *librant*; alii *ad regulam dirigunt*: Nimirum effatur Colada, *ad lingulam bilancium*. Concinnè dirigunt omnia, ceu à rectitudine deflectendi ignari, obſervat Regius Pſaltes. Hæc omnia tam artificiosè librata, deteſtabile veſtræ perfidiæ monſtrum ſugillo, diriſque devoveo. Proinde averem ru-
c.5.29. minaremini Evangeliſtæ Matthæi oraculum: *ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum; & ſi dextera manus tua ſcandalizat te, abſcinde eam, & projice abs te.* Qui contingere queat, denudat Divus Laurentius Novar. *Quia omne, quod bonum eſt, dexterum dicitur:*

Dexte-

Dextera ſuos retinet probatos, ſiniſtra æquè ſuos reprobatos. Ergo iniquitas lævæ dirigit, non dexteræ probitas. At crebriùs perſonata dextræ integritas, quàm ſiniſtræ improbitas operatur ac decipit; quæ labes ac corruptela totum propemodum poſſidet Orbem: Dum bilancem nolunt in æquilibrio Hypocritæ judices, præponderare, ad proprii menſuram emolumenti cogentes, dexterâ velatâ mentitæ virtutis chirotecâ, unde campus pateat ampliſſimus aliena ſurripiendi. Numquid hujuſmodi farinæ judices, Iſraelitarum aviditati Hebraicis in teloniis anteſtant? Quid non mortalia cogis pectora, auri ſacra fames, ancillantis Hypocriſis miniſterio. Togati Oratoriis affectant inſeri, piorum cædibus adſcribi, Eccleſias demiſſis oculis frequentare, inviſere, multitudinis confluvio percelebres; quò detur, ineſcatis improvidorum animis ſimulatione illibatæ adminiſtrationis, quæ pietatis collega; liberiùs, tutiúſque inter privatarum ædium parietes, indulgere perfidiæ, ac furta exercere. Talem affarer ô *Juda, oſculo filium hominis tradis?* Interpellatum urgerem: Inſontes condemnare non dubitas ſub ſpecie, coloréque æquitatis? Aliena rapere ſub ſpecie amicitiæ, conſervandique? Sub pietatis velo corporis jumentum ſaginare? Dionyſius Tyrannus Siculus, dedecet, inquit, Æſculapium, utpote Phœbi filium, barba, quam illius oſtendit ſtatua, cùm hic imberbis pingi ſoleat. O minus Deûm zelus! O exoticum Religionis obſequium! Attamen Hypocriſis invalida inventa eſt, quæ tyranni avaritiam palliaret, intenti invelendo proprio ærario ingentem auream barbam, qua Æſculapii ſimulacrum inſtruebatur. Hujus ſe probant æmulos, qui judices Aſtrææ bilanci præſunt, aurum ponderantes ſuis inferendum ærariis, gaudetis equidem partis per Hypocriſin, dignitate, toga, opibus. Quid autem futurum ſit, arripitote; *gaudium Hypocritæ ad inſtar puncti*, dixit Job. explicat Divus Gregorius; *in puncto ſtylus mox ut ponitur, levatur, nec mora ulla agitur, ut per exprimendam lineam trahatur. Sic Hypocrita præſentis vitæ gaudia, cùm tangit, amittit.* Deliciæ enormes, queis per ſimulatam pietatem affluitis, effluunt momento. Voluptates, quibus inundamini, momentis tranſvolantibus rapi offendetis, Theodoretum conſulentes, cur Monarchiæ Chaldæorum, Perſarum, Græcorum, Romanorumque fuerint cœlitus in ſtatua repræſentatæ, quam

Hom. de Poen.

l. 15. Mor. c. 3.

Nabuchodonoſori ſpectabilem objecit Altiſſimus. *Illud autem neceſſariò quærendum eſt, qua de cauſa in imaginem multiplicis hujus materiæ vidit compoſitionem?* Ecce rationem: *Imago figuram, ſed non res habet. Talis eſt præſens vita, quæ nihil habet perpetuum, nihil ſtabile.* Omnia fortunæ volubilitatibus involvuntur, atque labo-rant, nec quiſquam rerum viciſſitudinem remorando parem ſe ja-ctabit. Nutans fundamentum fuerit Hypocriſis; corruat corruen-te mundo neceſſum duco: Qui ſuapte natura vanus, ac fallax, Hypocritam quoque ſapit.

10. Tuis, Narciſſe Hypocrita, inſuſurrat auribus Jeremias; *terra, terra, terra audi ſermonem Domini.* Appoſitè repetitis vicibus ad ternarium numerum Propheta *terra* pronuntiat, ut intelligas de limo, ſeu terra, te plaſmatum, terreis ali te, in terram te rever-ſurum. Hanc veritatem hauriens Juſtinus Imperator, mandavit ſi-bi thalamum terrâ conſpergi, atque cinere, medius inter lachry-mas, atque ſuſpiria eructando: *Ecce nunc in pulvere dormiam, quo-niam pulvis ſum, & in pulverem convertar.* Philippus Macedo ſpec-tando luctam, labenteſque luctantes, quàm modicum ſoli ſpatium quilibet jacentium illorum occuparet contemplatus, efflavit: *O quàm minimam terræ partem, naturæ ſortiti, Orbem appetimus univer-ſum!* Senetii modò fatuitatem, Cynico ſale mordere juvabit, even-tis cuncta proprio uſui forent magna. Hinc affirmat Seneca, abſti-nuiſſe ficis, olivis, fragis, atque minutioribus; Mulieres haut pro-ceras immane quantum abhorrebat. Calceos induebat duplo ma-jores pedibus. Protenſa veſtium cauda ſolum verrere non vere-batur. Quid ſuperbis pavo, cur non demittis? Obtutum ad pe-dem ingenitæ fragilitatis? Quid magnorum amore teneris, cùm tibi extincto modicum telluris ſufficiet, ampullantemque ca-piet? Quiſquis Hypocriſis patrocinio, obſtetricante perſo-nata pietate, ad magna, excelſaque graſſari laboras, aſpi-ras (ſit clauſtralis, ſæculariſve) ad calculos revoca Plutarchi ſententiam, documentum hauſurus. Alexander Magnus, parentis veſtigiis inſiſtens, ardua quæque, duraque molliter tulit, aſperri-mos labores exantlavit intrepidus, quò ſuperatis Orientis Regnis, contendenti ulteriùs Indiarum aditus pateret, quò nominis cele-britate jam dudum penetrârat. Obſtrepentibus armis, prævia vic-toria-

toriarum acclamatione Rex Indicus pavore perculſus, imminenti belli fulmini inermis occurrit, comiter Alexandrum affando: *Provoco te non ad pugnam, nec ad bellum, ſed ad aliud certaminis genus. Si inferior es, à nobis beneficia accipe; ſi ſuperior, nobis benefacito:* Qua arte Regnum obtinuit. Hujus veritatis lumen tibi, Hypocrita, affulgeat; In mundum veniſti immundum: Si te immortalitatis munere, quoad animam, donatum offendis, benefacito; ſolóque redde modicum pulveris, qui tibi fingendo noſcitur adhibitus. Sin mortalem te liquidò deprehendis, *beneficia accipe*: Terra ſiquidem tibi ſepulchrum adornat. Hócque dilemmate edocto, intelligere eſt, corpus tuum nullatenus eſſe declinando pulveris injurias; Lethum Hypocriſin neſcit, diſſimulandi prorſus ignarum, pellucidè tibi declarat: Nullum mihi eſt togarum obſequium; ſuſquè, déque revolvo Miniſtros; eodem oculo cucullos æquè ac biretha aſpicio; inopinum tibi aliud agenti obrepam. Mundum deteſtor Hypocritam; quòd firmitudinem mentiatur, uſquequaque levis. Eſt verò tibi decori, incolatum tuum in illo prorogâſſe, neque pellacis vaframenta denudaviſſe. Proinde Fulvii uxor Fulvium deriſit & meritò ſuam cæcitatem objecit; & primates lapſibus patere. Narrat quippe Titus Livius, Fulvium uxori ſuæ ſecretum magni momenti, ſibi ab Octavio Imperatore concreditum, revelâſſe; Hujus communicatus Cæſar certior factus, fatuitate redarguit Fulvium; Hic hæſitationis Euripo fluctuans, præſtetne violentas ſibi manus injicere, ut opprobrii ſordes eluat, an vagus, erranſque in remotiſſimas Orbis plagas peregrinetur; conjugem acriùs increpat: hæc autem alacriter in maritum culpam derivat, effando; nulla tibi militat excuſatio, quoniam prolixi temporis decurſu, quo ſimul habemus, nondum tibi mea levitas innotuit; aut gnarus illius, mihi fidere minimè dubitâſti. Itaque tametſi tu reus inveniaris, culpam attamen in meum caput devolve, quæ pœnas luere non detrectat. His pectore evolutis, ſemet peremit; quam æmulatus Fulvius, cadaver obruit cadaver. Quantâ proinde levitate laborabit Orbis, muliere, mundi minimâ parte, ingenitam levitatem ultro fatente? Túque, ô mortalis, cui ſat ſuperque perſpicua eſt mundi vanitas, fidem haut ſubtrahis? An illum incompertum habes? larvam ego detraham. Mundus levis eſt, mundus vanus eſt,

mundus fatuus eſt; te inſanior eſt, dum hunc mundum lucraturus, per Hypocriſim, fingis, quod es minimè.

11. Filum deducamus in longum. In amplâ Mundi ſcena eodem tempore plures prodeunt actores. Hypocriſis vel ſponſam anhelantibus miniſtrat amictus. Quidam juvenis, ab incunabulis licentioſus, ac prætextatis moribus, quique pudicitiæ candori labes aſperſerat innumeras; cùm de ducendâ meditatur uxore, adumbratæ pietatis obſequiis duntaxat addictiſſimum ſe probat, adoleſcentulæ parentes probo filiam concedere ſtudentes, honeſto matrimonio junctam volunt. Hanc ille deperiens, ad Hypocriſis præſidia confugit; cui amoris accedentibus flammis, incenſus torquetur miſerrimè. O ſuaves amariſſimæ Hypocriſis fructus! Valerius Maximus monumentis conſignavit Hypocriſis hoc monumentum. Refert, Aololam, qui unà cum Panſa Conſulatûs munere fungebatur, ſupremum humanæ fragilitatis tributum ſolviſſe: Cùmque cremandus rogo inferretur, revixiſſe. Secundæ quoque vitæ uſurâ recreatus fuiſſet, niſi immodica flamma, quæ magis, magiſque gliſcebat, eluctari conantem prohibuiſſet, vivumque devorâſſet. Incredibile videtur eventum, cùm attamen compar recenſeat Plinius in Meſſala Ruffo, Lamiaque, qui Prætoris dignitate fulgebat.
L. 7. Dubio procul, Hypocrita, fato concedes: *ſtatutum eſt omnibus hominibus ſemel mori.* Amoris inter Hypocriſiſque flammas, qui reſurges ad gratiam, ad veniam, fugam præpediente pravâ conſuetudine? Abjurato impuro amore, ô Veneris mancipium, mancipato te cœleſti, tuumque pectus Numinis æſtu caleat: Quò verò accendatur, tumuli conſideratio ſcintillas, imò flammarum incendia, nullo extinguenda Oceano, ſuppeditabit. Mortales peregrino ſimillimi, ad omne veſtigium humanarum rerum ſcenam mutari conſpiciunt. Sponſam, cui conſueſceres, non tam amâſti, quàm hamâſti dotatiſſimâ formâ florentem. Modò futuram vermium eſcam, quæ tuarum fuerat flammarum, mente præſumito. Illa ex vivâ in mortuam degenerante, ex mortuo in vivum derepente migrato, cœleſtis qui ſceleſtus.

12. En recentes in mundi theatro actores! Etiam creditores, obærati cum mercatoribus Hypocriſis jugo cervicem inflectunt. In Laban perſonâ avaritiæ hypocriſin eluceſcere quis

animi

animi pendebit? Ab illo Rachel dotem Jacob exigebat, ac Liæ, *Tu verò noſti ſervitutem, qua ſervivi tibi.* Oppidò, tam prolixè, fideliterque præſtita ſocero ſervitus, largam remunerationem expectabat, nec diſparem vicem. At Laban hypocriſi magiſtra reluctans, quid ſuo detrahere ærario, facultatumque nervis, hoc edidit reſponſum: *Experimento didici, quia benedixerit mihi Deus propter te.* Plus vice ſimplici propitia, amicáque fortuna crinem enodavit flavum, abundantiùs, atque Jupiter Danaes ſinum, meos lares auro perpluens; cui aureo metallo abſolutiſſimum conſummatæ fauſtitatis ſimulacrum, ceu baſi, impoſuit. Proinde tantam largitatem, melliflui cœli chariſma ſuſpicio, quòd dignatum ſit, fœcundare ſuis benedictionibus ſterilitatem mendorum, quæ à nativitate contraxi. Tu, ô Jacob, inter probos Phœnix, mediatoris tibi meritum jure merito vendicas, hincque congruas Omnipotenti rependo grates; Quod ad te attinet, *Tu conſtitue mercedem tuam, quam dem tibi.* Subitné animum noſcendi cupido, cur in hunc tenorem Laban eloquatur, inquit Lippomanus? Idololatriæ cimmeriis cæcutiebat veterator vaferrimus; At avaritiæ ſtimulis pungebatur ad demonſtrandum ſe Numini Iſraëlis obſtrictum. Nónne mitis ovis apparet? Mox autem, ſibimet larvam detrahens, rugientem leonem, lacerantem harpyam, draconem devorantem denudabit, manifeſtabit, propalabit; *Forma verborum pietatem præ ſe ferentium, reverà proprio commodo proſpicit, & ſuas cupiens magis divitias augeri, impoſturis omnibus ipſum circumvenit.* Sirenis ad inſtar ad exitium dulcis, ſoporandi ſatagit quem perdat, cujus commoda labefaciant, multo circumveniens eloquio. Quippe Laban avaritiæ ſorbendæ impar, ſoporandóque odio, detractâ perſonatæ pietatis larvâ, ſtipatus armatorum coronâ, fugientis Jacobi veſtigiis inſiſtit, deprehenſum cruentam furori ſuo victimam immolaturus, nec non parentaturus vindictæ. Appoſitè proinde Divus Bernardus, inauſpicatorum vicem dolet, lymphante Hypocriſis tyrannide: *Non eſt apud Hypocritas virtutes colere, ſed colorare vitia quodam quaſi virtutum minio.* Et quamvis ex quadam indolis dulcedine, nonnihil probitatis eluceſcat, veluti fermentum, ſuffragante Beda, totam farinæ maſſam corrumpit: *ſic nimirum ſimulatio, cujus ſemel animum imbuerit, tota virtutum ſinceritate, & veritate fraudabit. Eſt ergo ſenſus! Atten-*

Gen. 30.

De La. Haye. in Gen. c. 20.

l. 4. in Luc. c. 52.

Attendite, ne æmulemini ſimulatores, quia veniet profectò tempus, in quo & veſtra virtus omnibus, & eorum reveletur Hypocriſis. Hypocritas Cain germen abominor, ſiquidem ſacrificium offerunt, non intentionem à vulpibus haut abludentes extinctos, ſeſe mentiuntur formidoloſos quoſdam lepores deprædaturi tutò. Sodomæ veluti mala, poſt incendium producta, extrinſecus candorem præ ſe ferunt, intus cinere replentur, ac fumo. Unde! qui pietatem ſpirant, uni ſimulant litare religionis obſequio, gratificari, morigerarique probis operibus; cum attamen cum Pharaone non repugnent interrogare: *Quis eſt Deus?*

13. Sanè prodigio minimè caret Sodomiticorum pomorum cinis. Nunc cinerem, qua ſcatetis, hypocritæ Narciſſi, vellem expendatis ad trutinam. Quippe veſtræ hypocriſis malo momorſo, præter marcida quæque, in tumulo nihil occurret. Haut proderunt corraſæ hypocritæ divitiæ. Lucra, queis inhiat uſura, caſſa reperientur, ac invalida; quis etenim, mundo per lethum renuntians, quid opum ſecum deferat? Maricæ nemus æmulatus; quo quidpiam peregrinis invectum extrahere, nefas ac religio erat antiquis. Dedecet ita veſtram vos animam lacerare. Ab Auguſto ſubactâ Peruſciâ (narrat Suetonius) exercitus debacchando inſolentem edebat ſtragem. Tunc inauſpicati cives impetrandæ pietati, lachrymas inter atque ſingultus exclamabant: *Moriendum eſt.* In voſmet armata deſævit hypocriſis. Ergo clamate, *Moriendum eſt.* Omnes defungendi neceſſitas urget, omnia ad foveam collimant. Quid hypocriſim juvat vita ficta, quam mors vera comitetur? Veſtris parcite animabus, *Moriendum eſt.* Si mihi vices Samuelis forent explendæ, talibus Saulem interpellarem hypocritam: nónne deprehendis, ô Saul, exigua, quæ ampla cenſes, greges, armenta, ædes, prædia, urbes, Regna; dum tu condendo teſtamentum, omnia tuis poſteris relinquis, folii anguſtiis recondita? Ob tam modica, & contemnenda, animam perdere non erubeſcis? Æterna fluxis poſtponis, caduca cum perpetuis commutas? Audite, populi, hujus Regis indignum facinus. Saul avarâ ætemeritate Numinis mandata frangit, atque violat, à Samuele promulgata: Cùmque deſtinârat lanienæ tam homines, quàm greges cum armentis, Regi Agag indulget, cujus avaritiæ conſecrat armentorum pinguiſſimam, pretioſiſſimámque

mamque ſupellectilem. Samuel zelo ſuccenſus illum increpat. Contumax hypocriſis pallio velata reſpondet, *implevi verbum Domini.* Deleti ſunt hoſtes, juſtaque Numinis vindicta, cruento navigat mari. Eluctatus invenior illuſtris Carmeli ſupercilium, ac iniquitatem, magis denudaturus, eſſe, qui Deo in excelſis obtemperat, quàm ut cuncta ſupercilio moveam. Gloriæ fornicem erexi, triumphalem arcum, in mearum palmarum notam, Numinis ambidextri largitate, quà ſatarum, quà demeſſarum. Raptis ſpoliis, eruo holocauſta cum victimis, unáque cor meum ſacrifico, litòque datori meæ victoriæ adverſus expugnatum Amalec. En alacris obedientiæ meritum! *Implevi verbum Domini:* repetit Samuel; *& quæ eſt hæc vox gregum, quæ reſonat in auribus meis, & armentorum, quam ego audio?* En recentem hypocriſin! Cum enim ex avaritia tranſgreſſus eſt, eructabat; *pepercit populus melioribus ovibus, & armentis, ut immolarentur Domino Deo tuo, reliqua verò occidimus.* Per ſtragem obediendo *implevi verbum Domini*: His verò parcens, ſacrificiis honorare laboravi. Quæ perſonata hypocriſis! Reges dedecet incolere ſtabula, repugnatque, Equitibus ſubrogatos greges, ac beſtias Regiam Majeſtatem coronare, illique aſſiſtere. Quæ proinde voces animalium in illius auribus reſonârunt? excellenter reſpondet Divus Gregorius: *vox gregum, & armentorum Amelec fama turpitudinum eſt, quaſi ſub falſæ virtutis ſuæ ſimulatione.* En hypocritam! *reconditum denudet, dicens: tu te proprio ore juſtificas! Sed immunditiarum tuarum turbæ, per omnium ora clamant.* Vitium revelavit hypocriſis. Peccatum diu latere nequit, juxta Geneſeos oraculum, *clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum multiplicatus eſt:* Inquit Ambroſius, *clamare videntur ſingulorum crimina; itaque excitatur Deus flagitiorum noſtrorum clamoribus, ut aliquando vindicet, qui libenter ignoſcit.* Utut aromatibus cadaver condiatur, fœtorem halat. Vox obſtrepit, cui, velut echo, cœli ſupplicia reſpondent Saul hypocrita ſibimet inviſus, ſuam animam exegit viſceribus, haut obumbrante adumbratâ Religione, perſonato zelo, bracteatâ pietate, lucro, opibus.

14. Mulieres impuris Sacerdotis Heli filiis ſolicitatæ: *Erant mulieres, quæ veniebant, ut purificarentur poſt partum*; ſub Religionis colore lupas agebant, ac ſcorta: queîs qui conſueverant, molebántque,

que, notos nothos ſuſcipiebant: quódque caput definio, erant, *quæ obſervabant ad oſtium tabernaculi.* Harum ex compoſito memini, prolixiùs deteſtaturus hypocriſim, ac ut eluceſcat, ſcytalæ ritu, in dorſo venuſtatem oſtendere, virus in corde celare. Cui fidem ut aſtruam, nimirum nil boni hypocritas poſſidere, ſed ſcatere malo, reſpiciamus ad Ceneroth etymon, quod interpretamur *quaſi lucerna.* Hinc in perfidia Regis Ceneroth, in Joſue armati, hypocritarum pravitatem deprehendere dabitur, affirmante Origene, ſequentia: *Mittit & in Ceneroth; interpretatur autem Ceneroth quaſi lucerna; non lucerna, ſed quaſi lucerna: Aliud eſt enim lucerna, aliud quaſi lucerna. Joannes lucerna erat ardens, quia erat Angelus Lucis. Quaſi lucerna autem eſt ille, qui transfigurat ſe in Angelum Lucis.* Figuranturque hypocritæ, quibus dæmonum arrident vitia, elogia Angelorum appetunt. Aëre paſti non nutriuntur, velut chamæleon. Famæ tubam inflant, collecturi plauſus perſonatæ pietatis adminiculis, ab inconditâ multitudine. Satanas, coruſcans fulgur quoad faciem, intrinſecus autem ferus draco; quoniam cùm *projectus eſt draco ille, ſerpens magnus*, tunc Chriſtus effabatur: *Videbam Sathanam ſicut fulgur de cœlo cadentem*: præcipitando radiis cinctus, ut evacuavit cœlum nobilioribus luminibus, abyſſum monſtris replens; æquâ lance hypocritæ ſimulachrum, typumque propoſuit, quæ à fulgore abludit, utpote fulgore expers, at quaſi fulgur eſt, mentitæ lucis ergò, fraudulentæ virtutis gratiâ: *Quod autem ait ſicut fulgur* (inquit Beda apud Divum Thomam) *vel præcipitem de ſupernis ad ima lapſum ſignificat, vel quia dejectus, adhuc transfigurat in Angelum lucis.* Quod autem cubile tam falſos manet Angelos, quod præparatur habitaculum? unà cum Satana illos expectat abyſſus. O virtus auguſta, nunquam anguſta! ô pietas alma! ſiccine haberis hypocritis? culpam ergo demoliri maturantes, germanæ pietati litate, quæ ſemper athletica, ſemper laureata triumphat.

Homil. 14. in Joſ.

15. Modò mihi innoteſcit Jobi ſententia, qui, licet patientiæ maximè mancipatus, attamen exclamavit: *Spes hypocritæ peribit.* Haud me fugit, Divum Auguſtinum effari ſuo in opere *de Gratia, & libero arbitrio*, mortuam ſpem non reperiri pro vivente in hoc mundo ita ut ſuo pendeat arbitrio, damnetur, ſalveturque uſque ad ſupremum vitæ halitum. Quì ergo *ſpes hypocritæ peribit*? audeat me huma-

humana progenies, excepto nemine, qui hypocriſi militet. Inquit Divus Lucas: *Veniet Dominus ſervi illius in die illa, quâ non ſperat, & horâ, quâ neſcit, & dividet eum, partemque ejus cum infidelibus ponet.* De eodem ſervo loquitur Div. Matthæus: *Et dividet eum,* Cap. 1 *partemque ejus ponet cum hypocritis.* Quem Matthæus hypocritam Cap. appellavit, apud Lucam infidelis audit. Hypocriſis mare fluctuans habetur, ſcopulis, lethóque ſcatens. Cor humanum, ceu navis naufragium in eo ſubit, projectâ ſpei anchorâ, extinctâque charitatis tædâ, in Atheiſmum, damnationémque incidens. Ergò appoſitè Jobus exclamat, *ſpes hypocritæ peribit.* Attamen perpendamus Salvatoris oraculum ad Diſcipulos: *Non veni vocare juſtos, ſed peccatores.* Itaque magis magiſque perplexabiliter Euripo æſtuo hæſitationis. Nónne Chriſtus advenerat propter ſuam Virginem Matrem? Nonne propter Joſephum, Joannem Baptiſtam, Apoſtolos, atque Sanctos? Nónne Sol, ſuorum radiorum prodigus, ab oriente ſurgens, montium cacumina duntaxat illuminavit, Lunæ ſyderibuſque ſuæ lucis participationem ſubtrahendo? Execrandam oppidò ſaperet hæreſim talis affirmatio. Cur ergo, *non veni vocare juſtos, ſed peccatores?* Præclarè Rabanus reſpondet: *non veni vocare juſtos falſos, qui in ſua juſtitia gloriantur, ut Phariſæos; ſed illos, qui ſe peccatores agnoſcunt.* Per ironiam juſti vocantur, teſte Divo Hilario, Hieronymo, Chryſoſtomo, Beda, & aliis. Hinc *ſpes Hypocritæ peribit.* Si Capharnai etymologiam ſcruteris, pœnitudinis campum ſignificare cognoſces. Attamen Salvator eam redarguit obſtinationis, *& tu* Luc. 10 *Capharnaum uſque ad cœlum exaltata, uſque ad infernum demergeris.* Unum probi nomen haut valet, niſi ipſa reſpondeat ſanctitudo, *ſpes hypocritæ peribit.* Demergetur hypocrita, qui exaltabatur. Abſalon interpretatur *Patris pax.* Aſt undique irrequietus paterno tecto Martem Bellonæ copulatum intulit; capillorum aurum Davidi ferrum parabat. Hinc attonatus eructavit Divus Iſidorus: *Mirum videtur in hiſtoria quemadmodum Patris pax poſſit intelligi,* L. 2. *qui Patrem bello eſt perſecutus.* Abſalon fato conceſſit, David au- Enar. in l. tem tam corporis, quàm animæ jacturam deploravit, *ſpes hypocritæ* Reg. *peribit.* Religioſi nomine inſigniri, intus non triumphante ſæculi c. 3. contemptu, ſed regnante ambitione; quando ingenuitas exulat, duplicitas lymphatur, deplorari eſt; *ſpes Hypocritæ peribit.* En Abſa-

lones ad quercum, Jezabeles in aëre. Quæ in ſuprema lucta erumpent ſuſpiria, quales inundabunt lachrymæ, dum aduncam falcem mors fulminans rotat. Scebeſti moriendo in crudelem evomunt lamenta, quòd enervis, & exſucca prævalidos ictus vibrare calleat. Aſt canibus ſe probant ſimillimos, inquit Plato, *qui lapides jactos mordent, ipſos autem, qui læſerunt, non attingunt.* Dum lamentantur adverſus lethum, petram mordent, non autem reatum, à quo jacta fuit. Hinc fortaſſis qui vitam duxit ambagibus involutam, fucis illitam, perſonatam confeſſionem deponet. Corda Pharaonum emolliri neſciunt vel inter immenſas æquoris undas. Inauſpicatiſſimi hypocritæ! Submergemini inter lachrymas, agoniſque ſudorem, attamen cor erit marmoreum. Mors vobis detrahet larvam, Numiniſque oculis latentem denudans malitiam, vobis objiciet veſtra deliramenta. Avida vermium agmina, in fovea jacentis corpus corrodent, dæmonibus animam immitiùs torquentibus; *ſpes Hypocritæ peribit.*

AULICI
AD
FONTEM.

CAPUT IV.

1. ASſociatus Eliæ à Galaaditis ſylvis ad Aulam molior veſtigium; eſto Divus Bernardus reſponderit, vocanti ſe ad turbas forenſes, curas, tricáſque civiles, plantas nemoroſis innutritas, in urbibus contabeſcere. Nihilo ſecius obvii Severo ſupercilio, torvóque oculo properantem talibus affantur ô Cine roſe Author ſepulchralis Narciſſi, gradum ſiſte, erectaſque præbeto aures. Defixis luminibus, intentâ aure, mente ſeverâ aſpiciebat, audiebat, percipiebat Diogenes Aſtrologum ter inſcium, mirabilia de cœlorum conſtitutione effutientem. Tandem tædio affectus, atque ſubiraſ-

ſubiraſcens erupit Philoſophus : *quam nuper è cœlo veniſti* ? Etiam Stratonicus temerarium objurgavit Magnanum, voci artique abſolutiſſimorum Muſicorum obloquentem : *non animadvertis, te ſuper malleum loqui* ? Fœtidos tractas carbones, ac calloſis manibus gravem ingeris malleum, & artis melodæ peritum te jactas. Dedecet, hominem in alienam meſſem falcem immittere, ſibique ignoti judicandi facultatem arrogare. Hinc Apelles frontem ſutoris his ferire non dubitavit, dum inaudita pingendi documenta producere non erubeſcebat : *ne ſutor ultra crepidam*. Tu verò quâ egreſſus aula, de aulicis verba facere laboras ? Haut tui fuerit muneris, incola cellæ. Clauſtra decurras, non Regias. Sermocinator de rubricis, non de lævigatæ urbanitatis illiciis. Monaſteriorum ruditati, ſimplicitatique, aularum depugnat acuta ſagacitas.

2. Non ego aularum tento calliditatem ediſſerere, non Aulicorum dogmata enucleare molior, quibus nunquam ſtudui; probéque fateor meum à veſtro ſtatu longioribus paraſangis diſtare, quàm ultimam Thulem à Battro. De veſtro ſiquidem loquor interitu, Aulici Narciſſi; quippe non ſecus quàm ego, de grege mortalium occurritis, lethi pabulum, eſca vermium. Volventi mihi Divi Pauli paginas occurrit, *ſtatutum eſt omnibus hominibus ſemel mori*. Hinc vos admoneo de neceſſitate lapſûs, quominus ruendo leviùs lædamini. Prope purpuram vitalem ſpiratis auram, quæ dum rubeſcit, auroram fauſtæ diei explicare videtur : Quis autem ignoret, quotidie ad veſperam flecti. Nuſquam quàm in aulis præcipitia regnare frequentiùs, nullumque reperiri fulcrum, quis inficiabitur ? Regia atria replentur illuſtri fortunæ curru, cui moderari neſciebant dejecti Phaethontes. Marmorea penetralium pavimenta, tam ſunt lubrica, quàm ſplendida; ut ibi crebriores ſint lapſus, quàm in cruento certamine. Ita ſuccedit volubili aulæ adhærentibus. Quo fulcro proinde veſtra firmabitur vita, hinc mundo agglutinata, qui perennè fluctuat, ruit, præcipitat ? *Mundus ecce nutat* (affirmat Divus Cyprianus) *& ruinam ſui, non tantùm ſenectute rerum, ſed fine teſtatur*. In aula ſpes fluctuat, reciprocantis fortunæ æſtu, cœcaque expectatione quàm plurimos pendere miraberis, per eblandita propenſorum ſuffragia ad altiora obrepere maturantes, ſpe, metuque vicem alternantibus. Attamen obſtetricantis fortunæ præ- *Ser. 8. de immor.*

ſidium

ſidium arrideat, ac decumani fluctu, ſævæque novercantis ſortis procellæ, in Alcedonia, malaciamque degenerent. Jam jam repentino largitatis turbine, vos ad cœlum favoris evehit generoſi Principis amor, effuſique pectoris indulgentia. Quî verò id accidat, arripitote: *Tanquam cinis, aut gluma, quam vis turbinis, cùm ſuſtulit ſummum ad cacumen, mox ad ima deprimit; mortalium ſic evehunt verſatilem vitam, malignorum procellæ fluminum in editum locum, atque falſam gloriam, pulviſque ſurſum decidit, manetque humi.* In hanc foveam incidat cogitatio, ſiquidem priſtinæ incolumitati reſtituendis, ô claudi Aulici, ſepulchrum cœleſtis reſerat Æſculapius: Solúmque attingentes, Antheo lacertoſiores reſurgetis, quæſtuoſa metamorphoſi. Hæc fovea Fons ſit, in quo vos exploretis, enervati Narciſſi. Hac in aqua morali avaras, invidas, ſuperciliosas cogitationes ſubmerſiſſe juvabit.

Piſid. in Pooem. de brevit.

3. Faſtu laborant Aulici, turgéntque ſuperbiæ bullâ; quandoquidem propriorum meritorum, malitiæve freti fundamento, ad faſtigia aſpirent. His tamen non obſtantibus, in illis, ceu in trunco, ſuperbiam, humilitatémque inſertas deprehendere eſt. En Janum vegetabilem. *Humilis viola, ad margines viarum effloreſcens, gaudet calcari, & atteri, pereundóque melius provenit; Ideo juxta ſemitas, & fontes lætiſſimum.* Quæ verò omnibus mortalibus communis ſemita? Mors. Joſue jam occiduus dixit Iſraëlitis, & David animam agens Salomoni: *En ego hodie ingredior viam univerſæ terræ.* Quis eſt fons? Ille humanæ conditionis, in qua homo conſiderando *vultum nativitatis ſuæ*, offendet extremas ærumnas, queis plaſmatus, atque componitur. Peculiare eſt Aulicis, ad omne ſubmiſſionis ſimulatæ, depravatæque ſe ſe componere. Hinc effecti ad effuſiſſimæ humanitatis normam Janos multifrontes redolent, Chimæras penetralium, aularum Protheos, palatiorum Acheloos; queis proſcribitur veritas cum ingenuitate; & verſipellium ſerpentum more, duplicitatem, mendaciumque, in propriis cordibus regnare lætantur. Hæc humilitas, utpote vitii filia, ſuperbiæque ancilla, probitate caret. Quoties te mortalem memineris, Aulice, laudabiliter faſtum depones: cæterùm tua humilitas ſpuria cognoſcitur. Vermium te futurum hæreditatem, ſi perpendas, ritè humiliaberis. Utque magis, magiſque proficias, quid de Principibus ſenſerit Gerſon, quos tu

L. 19. c. 8.

ambi-

ambitioſa obſequiorum pompa, & apparatu colis, percipito: *Alia vos, ô Reges, Aula deducit in ſepulchrum, vermis, putredo, tenebræ.* Idolum tibi conſtituis, tibi proponis, Aulice, quem veneraris Patronum. Hic autem cùm moriendi neceſſitatem nullatenus eluctetur, quid tibi continget? An te neſcis, num hoc ignoras?

4. *Si ignoras* (inquiebat ſponſus ad ſponſam) *ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi poſt veſtigia gregum.* Tui plenam notitiam ex triplici fonte haurire poteris. Primo dum Ariſtotelem conſulas, dicentem, *humanum fœtum in utero materno priùs vivere vitâ plantæ, deinde vitâ animalis, denique vitâ hominis.* Ob accenſæ concupiſcentiæ ardorem animâ tui generantis virtus egreditur, quæ ſibi ſemen præfigit ſubjectum, unde adhibito utriuſque ſexûs carnali complexu, cum congruis requiſitis deformis formatur embrio; donec ſucceſſu temporis fœtus animetur, ac Altiſſimus animam intellectivam infundat: Quæ informat, quod paulo ante videbatur animal ſenſitivum, ſoláque regnat, utpote principium operationum quà ſenſibilium, quà vegetabilium. En, homo, tuum primum principium, *ſi ignoras te.* Nunc verecundiâ ſuæ rubeſcant genæ, vultuque demiſſo, confuſus hæreas.

De Gen. anim. c. 3.

5. Perpende denuo, jam homo, tuum primum ſtatum, inauſpicatum futurarum calamitatum præludium. Manciparis arctiſſimo materni ventris ergaſtulo: viſceribuſque circumſcriptus, dementem æmularis obſtrictum. Spiſſiſſimis involutus tenebris halitum reciprocas; fæculento ſanguine nutriris, tamque peſtifero, ut ex illius attactu arbor veluti ſiderata exſiccetur. Tandem ex umbris emergis, ac proſilis è carcere, ingreſſurus majorem carcerem, mundum: *Si ignoras te*, agnoſcito te in balneo, ubi contractas abluis ſordes, ceu naturæ hæreditatem. *Si ignoras te*, te aſpicito, quoniam jam lumina patent; Quæ lachrymis antequam Soli reſeraveras; Imò cùm genuinos duntaxat oculos aperueris luci, centum lachrymis aperuiſti. Aſpice, quam auſpicaris vitam. Ah! vix illam hauſiſti, quum deteſtaris, ac propemodum reſpuis, luctuoſis vagitibus.

6. *Si ignoras te, egredere, & abi poſt veſtigia gregum.* Progreditur Nyſſenus: *Poſtquam vitam tranſmiſeris, & in mortis ſtabulum incluſa fueris, timendum, ne in gregem hœdorum adſcribaris.* Divus Ambroſius autem concinniùs: *Abi poſt veſtigia gregum: Per greges Regnum intelligimus,*

mus, eò quòd poteſtatis ſit, gregibus præſidere. Cornelius à Lapide: *in Cant. c. 1.* *Abi poſt veſtigia gregum, puta Patriarcharum, & Prophetarum.* Hauſurus recentem tui notitiam, cogitationum pedibus percurre, revolvéque tot Regum, Pontificum, Sanctorumque geſta, quos lethum jam rapuit, quibúſque nec apicem opes profuêre, potentiáve. Hinc ex eadem maſſa plaſmatus, mortalem te quoque deprehendes, ac proteſtaberis. Leo IX. Petri naviculæ præfuit; attamen effluxis viginti quinque Pontificatûs diebus, fato conceſſit; ita ut Luna ſuum haut abſolverit curſum, Solem tot meritorum radiis fulgidiſſimum adorans. Cùm igitur tres coronæ copulatæ mortis impetum non eludant, minùs reſiſtet una cujuſdam Coronati. Conradus Rex Neapolitanus ad annum duntaxat regimen prorogavit. En, Aulici, veſtrorum Principum periplethiæ, en, qui illorum vita afflatu extinguatur, veſtraque ſpes diſſipetur. Ladiſlaus Hungariæ, Bohemiæque Rex, Udalricum Epiſcopum Paſſavienſem cum ſplendidiſſimo Nobilium comitatu, Pariſios mittit, ut ſuum filium filiæ Caroli Galliæ Regis juguli vinculo copularet. Dum longè feſtiviſſimam propoſitionem Legatus exponere aggreditur, nuncius advolat ſudore madidus, ac pulvere ſordidatus, Sponſi obitum referens tam immaturum, quàm inopinum; hoc revelato, cunctos invadit ſevera triſtitia, hiſque nubibus funeſtati aulicorum animi, ad ſerenatæ mentis jucunditatem ſe compelli reluctantur, nullóque dulcedinis lenimento, tantam acerbitatem abſorbere valent. En, aulici, quomodo veſtra inopinanter corrumpentur ſolatia, læta initia triſti paſſim exitu occupante. Ergo & Principes defunguntur, ô Aulici: Sed & Sancti, Numini tam accepti. Extincti ſunt Confeſſores cum Virginibus, ſtolas albas candidorum liliorum mutantes cum mortis atratis. Martyres lethi ſanguine tingentes purpuram. Apoſtoli hos æmulati ſunt, primi Chriſtianæ Reipublicæ Senatores. Fato conceſſit Joannes Baptiſta, de quo æterna Sapientia teſtata eſt: *Inter natos mulierum non ſurrexit major.* Animam efflavit Magna Mater, Virgo Mater immortalis Dei; Ipſiſſimis Chriſti mortalitatis ſpolia depoſuit, vitæ, mortiſque arbiter, annorum Rex, Imperator ſæculorum; quoniam divinitati copulabatur humanitas. Ergo *Si ignoras te, egredere, & abi poſt veſtigia gregum.* In prædeceſſorum interitu tuum agnoſcito. Mortalem te deprehendens, anſam arripies, campus patebit tui demittendi, faſtúmque dediſcendi.

7. Rur-

7. Rurſus: *Si ignoras te, egredere, & abi poſt veſtigia gregum.* Ergo Aulicus, abdicatis nepotinis, auróque radiantibus palatiis, ad greges properabit, innatæ vanitatis documenta immundi gregis veſtigiis extracturus. Ibi licebit agnoſcere tuum nihil, ex pulvere, qui tranſeuntium caulas pedibus ſuſcitatur, *Si ignoras*, ex præfatis, tuam, depromito imaginem, tuam conditionem.

8. Aulici pollent mentis acie, omni literaturæ ſupellectile exculti; queis ſtimulis perciti aulas petunt, ad ſublimia aſpirantes. Non neſciunt immortali ſe præditos animâ, calcandiſque ſyderibus deſtinata. Proprius amor, abjecta rationis faſcinatio, faces, & calcaria ſubdit, ut ſuper terram appetat fluxa, ad quem ſcopum congrua ſuppeditat media, ipſis propemodum invitis: Quoniam ex diametro proprius amor illis ſuum mortale, fragileque corpus nullatenus exhibet. Cogitationis alis glorioſi Thabor ad ſupercilium evolate, Aulici Narciſſi; cùm etenim vel in montium cacuminibus fontes erumpant, ibi veſtra vobis reddetur imago. Chriſtus transfiguratus eſt coram Apoſtolis: *Reſplenduit facies ejus ſicut Sol.* Tres athletæ beati; auſpicatò in lucis abyſſo defecerunt. Nunquid Philegræ gigantes montes aſcendêre, cœlum impugnaturi, in Thabor autem cœlum deſcendiſſe, ut ſuaviter Apoſtolatûs gigantes ſuperaret? *Ceciderunt in faciem ſuam.* Illos cœleſtis vox corroborat; eademque temporis circumſtantia, qui credebatur homo, à Patre ſuus æternus Filius declaratus eſt: *Hic eſt Filius meus dilectus.* Expugnabo impatientiam veſtram, Auditores. Nihilo ſecius, poſt viſionem, Chriſtus remanſit mortalis homo. Cur autem ſe Deum ac hominem oſtendere voluit? En Sancti Ephræm reſponſum: *Quaſi diſcipulos alliciens, ut ex cœleſtis, & terrenæ originis notitia, priſtinæ Dei imaginis amiſſæ nitantur reparare figuram.* Hinc Divus Gregorius Nazianzenus; *Te noſcas, & quæ tibi ſit cœleſtis origo.* Sic facilis veniens ad decus archetypum. Et Divus Cyrillus: *Noſcas te mortalem eſſe, ut qui carne quidem à terra aſſumptus ſit, ſpiritu autem divinitus inſufflatus.* Mortales eſtis, mortales occurritis, regiarum habitatores aularum. Cinis eſtis incedens, pulvis loquens, putredo vivens, nihil omnia ſitiens. Ad memoriam lethi vos futuros victimas, ſuperbiæ nuncium mittetis. Aulicorum infelicium mores ſuis Silos depinxit coloribus.

Ut placeas Dominóque tuo ſis gratus, & aulæ,
Sunt tibi mille artes, aulice, mille doli.
Frontem nam mutas, metiris verba, frequenter
Mentiris; prona ſemper es aure vigil.
Artibus his mortem haud capis: Immitis & aulæ eſt.
Sæpe hìc, qui florent pulchrius, illa metit.

Simulationes, lenocinia reſpuit mors, quibus potiſſimùm armantur Aulici, perſonatam humilitatem induentes. Indocilis flecti, ſurda precantibus, ſuccenſet illiciis.

Heu, heu quàm ſurda miſeros avertitur aure,
Et flentes oculos claudere ſæva negat.

Profundiſſimæ humilitatis faſcinis incantari ſe non patitur, obſequiis haut emollitur. Æternum decretum Solis equos flagellat, ut anni noſtri non tam currant, quàm volent: Lethúmque præfixi memor termini, nec momento vitæ ſtamen recidere prorogat, quò detur agnoſcere, noſtro exitio nec lentum eſſe, nec ſegne.

9. Ridentis vultus florida amœnitas, urbanitas, ac lepor, catenam dixerim, unde vita civilis committitur; ac veluti morales artifices ruditatem perpoliunt, ac informant. Hinc naturæ durities, quaſi quibuſdam ſcalpris icta, jaſpidis inſtar lucet. Nefas attamen haberetur, ſi Aulici ſplendorem conciliaturi vitii rubigini, talem moralem artificem adhiberent, daturíque in ſcenam ſuperbiam ſub humilitatis ſpoliis, ambitionem ſub obſequiorum ſpecie, avaritiam ſub debitæ mercedis larvâ, invidiam ſub zeli amoríſque pallio. Gloriabatur Divo Petro Damiano, Bonifacius Epiſcopus, Cardinalis Albanenſis litteras dans, quæ ſua erant manu, ob Aulicorum ſuorum integritatem. At illi veteratores imponebant egregiè Præſuli credulo, mentitæ virtutis radiis corruſcantes. Et Damianus ita reſpondit: *Humiliantur, ut poſtmodum impunè ſuperbiant; laboribus atteruntur, ut gaudeant; affliguntur inopiâ, ut continuâ poſtmodum epulatione turgeſcant: Et velut propoſita venalitatis menſæ fœnerando ſervitium, mercantur imperium.* Stupore modò repleor, mecúm-

Ep. 3. l. 2.

mecúmque in admirationem rapietur, quiſquis recto rationis lumine ſe præditum agnoſcit: Qui in aula Cardinalis Albanenſis, in penetralibus Divi Petri Damiani, virtutis normæ, Vaticanarum purpurarum decoris, atque ſplendoris, vitium regnârit, depravatis aulicorum moribus. Quo ſuxerunt ubere malitiæ lac? Plinius Senior mecum obſtupeſcebat, unum duntaxat aconitum inter herbas irreparabile virus recondere tandémque cognoſcit, ſummam malignitatem à germinandi modo proficiſci: *Naſcitur in* l. 27. c. 3.
nudis cautibus, nullo juxta, ne pulvere quidem nutriente. Veritati neutiquam conſentaneum duco, in Principis ædibus, à Deo conceſſi ut juſtitiæ præſit ut director, doceri injuſtitiam; intra Cardinalium habitacula, qui fidei cardines, infidelitatem thronum exigere; in Prælatorum laribus, Apocalypſeos Angelorum, vitiorum ſcholam aperiri: At id accidit, quoniam Aulici ſuopte ingenio non ingenuo corrupti, ex ambitionis cautibus perfidiæ venenum extrahunt. In aulico virtus adumbrata ſpecie, oculorúmque lenocinio reſplendet. Tanta malignitas neque in ſylvarum hoſpitatur inhoſpitis, nec tale monſtrum naturæ deliquium gignendo eſt. Utut enim ſub draconis formâ, fructum illa recondiderit, nunquam attamen draconem ſub cujuſdam fructus involucris occultavit. Hinc in occidentalibus Indiis, referente Jonſtonio, in novæ viciniâ Carthagenæ, quædam arbor in proceritatem aſſurgit; cujus fructus horribilis draconis ſpecie inſignitur, oblongâ cervice, hianti ore, tam rictus, quàm naſi acumine erecto, tortuoſa cauda, pedibûſque ramo adhærentibus, videtur artis miniſterio, affabre viridanti inſculptus ligno. In aulis autem nil niſi repugnantium voluntatum ſylva, fructus multifariam germinant, ac ſub lenociniorum pallio, perfidiæ latet tyrannis; ut nulla ſit tam modeſta felicitas, quam non dilacerent iniquitatis dentes. Nónne Aulicorum corruptela, idololatriæ aditum reſeravit, hanc peſtem provinciis invexit, ſuffragatore Fulgentio Epiſcopo Carthaginenſi apud Diophantem, in Antiquitatis libris? Unigenito ſuo Sycophantes Ægyptius enixiſſimè cupiebat, ſi quis alius, divitiis affluens, cujus laribus, velut ſolicita ancilla, fortuna deſervire videbatur. Immaturum lethum, cujus eſt abſynthio ſolatiorum dulcedinem corrumpere, natum vult denatum, tenellum rapiendo germen,

 quod

quod in fulcrum nutantis occiduique parentis adoleſcebat. Tanto viduatus theſauro, orbatus lumine, compenſaturus luctuoſam jacturam, ac damna, mandat mellitiſſimi pignoris ora ſuis depingi coloribus, cujus imagini, & prototypo nunquam oculos ſubtrahebat. Illius acerbitatem aſſentationis illecebris ut redimerent Aulici, huic tetricitati idolo certatim thus adolent, floreſque ſacrificant, nonnunquam, ceu voti rei, tabellas eidem appendentes, corda precantium poſſidente mendacio. Servi propenſiùs litaturi adoratæ heri imagini, ſuperſtitioſis laborant obſequiis, mentito cultu inſtructiſſimi, donec ex emollito parente veniam, ac indulgentiam extorqueant, poſtquam, nulli parentes induſtriæ, arietatum illiciis expugnârint. In hunc modum idololatriæ cimmeriis obſiti cœcutivêre, *Timoris potius effectu, quàm amoris affectu*: Proinde Petronius Arbiter: *Primus in Orbe Deos fecit timor.* Hinc fœnerando ſervitium, mercantur aulici imperium; qui potiſſimus adulationis ſtimulus, ut ſingulos paſſim aulicorum amat pungere, æquè in omnibus militat aulis.

10. Dubio procul dominos illiciorum tangit dulcedo, mulſuſq; ſitiunt affatus: Et licet illis veritatis lumen affulgeat, nihilo ſecius vaframentum arridet, arridendóque proficuum habetur, atque fructuoſum. Julius Cæſar, ſi Juſtino acquieſcendum, immanè quantùm obſequiis delectabatur, ut nactus ſe ſalutantem lætitiâ triumpharet, inundaretur jubilis, igneas vivacibus oculis ſcintillas evibrans. Aulicus acerrimus omnes urbanitatis machinas admoveat, expugnandæ dominantis propenſioni; laqueos, ac retia tendat, quò detur alieni favoris participem evadere. At lenociniis identidem ingenuitas accumbat, duplicitas exulet. Erudiatur à morte, non à vitâ. Vita fraudulenta, ſub ſpe catenatorum ſæculorum, præcipitii notitiam ſubducit, noſtris pectoribus prolixæ longævitatis expectationem inſtillans. Hominis aulicum agit, ut genio indulgeat, nec quadam mortis cogitatione funeſtetur, nullum ſe manere terminum mentitur. Attamen nobis ſuggerit Seneca: *Quotidie morimur, quotidie enim demitur aliqua pars vitæ, & tunc cùm creſcimus, vita decreſcit: Et hunc ipſum, quem agimus, diem, cum morte dividimus.* Lethum è regione nullo nobis calliditatis imponit faſcino lethum, lætum nil occurrere in lachrymarum valle, denudans. Contubernalem

ſortiti,

ſortiti, fidelem offendimus; cujus machinamenta, conatus, ac niſus omnem reſpuunt fucum, nil bracteatum admittunt. Liquidò proteſtatur (ſubnectit Romanus Stoicus) imparato tibi prorſus imminebo; *incertum eſt, quo te loco mors expectat: Itaque tu illam in omni loco expecta.* Tibi conſulas, tuis proſpicito rebus, dum adhuc ſuppetit facultas, dum Numinis pietas tibi modicum temporis indulget, atque largitur. Citra colorem, ſimulationem, larvámque zeli, amoriſque, vacato probis operibus, cumula merita meritis. Scias, nullum pectus imparatum eſſe ærumnis, ut ad ſuperas delicias me auſpice, calleas aſpirare, ubi reſpires. Don Carolus Mauritius Fapoc de Alteſſano, Eques Sacræ Religionis S. S. Mauritii, & Lazari, ac Auratus Eques Sereniſſimi Electoris Colonienſis, ad conſpectiſſimam urbanitatem lævigatus, eutrapeliâ indiſſolubili fœderis vinculo Eutropiæ copulatâ coruſcat. Ludit equidem, at non illudit, lethi theoriâ minimè ſuperſedens, ac operibus, quæ virtutis fulgor illuſtrat, inſudans; uti penitiſſimæ integritatis angorem, ſplendor dilucidet oris ſuaviſſimâ jucunditate perfuſi. Aulicorum caterva corradendis opibus inhiante, necnon per eblandita propitiorum ſuffragia, ad dignitatum culmen aſpirante, pietatis ille incrementum anhelat, ad perfectionis graſſatur faſtigium, faſtidiens temporis ſpolia, tranſvolantibus rapienda momentis. Probè noſcit, cum Libitina veteratorum calidiſſimo, vulpinari ſupervacaneum, dum multis faſcinationibus, inſtar aſpidis ſurdæ, incantari detrectat. O verſipelles Aulici, queis arridet deridere; Caroli Mauritii commendatiſſimam ingenuitatem protinus induite, ſi lubet tanto Magiſtro germanam ad gloriam evolare: Cujus hic haut laudes contexo, ſed laudum exhibeo libamenta, ſummitatéſque, quò minùs ejus modeſtiæ candorem rubore ſuffundam.

11. Hoc ſecundum vitium Aulicis familiare eſt. Divus Cyprianus definit, ac dicit: *invidia eſt dolor de felicitate alienâ.* Nam (inquit 2. 2. q.
Divus Thomas) *bonum alterius æſtimatur, ut malum proprium, in* 3. ar. 1.
quantum eſt diminutivum propriæ Gloriæ, vel excellentiæ: Et hoc modo de bono alterius triſtatur invidia. Torvis Aulicus aſpicit luminibus, invidiáque infrendet; alienæ ſiquidem famæ acceſſus, in propriæ excellentiæ defectum inflectit, ac interpretatur. Quod pravum redolet internæ ſuperbiæ partum, quæ poſtmodum in execrabilis in-

De diſ. Chr. c.7. e.9.

vidiæ matrem migrare conſuevit, aſſerit Doctorum Aquila Divus Auguſtinus: *Superbia invidos facit; ſuffoca matrem, & non erit filia.* O homo, Cain inuſtus cauterio, cicutæ ſuccos potâſti, hauſiſti venena, ut evomeres in æmulos, mentitus pietatem, quominus Principis obtutus læderes. Impræſentiarum procul hinc humilitas perſonata; mentitis ſpoliis renuntiato, tui genuinam induens cognitionem, Evangelii aſſecla. In tumulum ſuperbam incurva cervicem. Suffoca ſuperbiam, faſtum ſepulchralibus obrue cineribus, extinguetur invidia: *Suffoca matrem, & non erit filia.* Nil ampliùs ſuperbiæ regnum affricabit, nec invidia dominabitur. Tibi perſuadeo, hoc ſine morâ executioni mandes.

12. Aulicos canis appello ſimillimos, quem dicámne adulatorem innoxium, ſervumque proprio emolumento minimè invigilantem, in ſuſpenſo ſum. En canis molli veſtitus pilo, viſceribus crudelitatem ſpirantibus, corde armato ſævitiâ. Domeſticum domini ſolatium, linguâ eundem lambit, caudâ blanditur, in omne jucunditatis, obedientiæque argumentum compoſitus. Itaque ſuam promtitudinem, fidelitatémque domino teſtaturus, erigitur, officioſus accurrit, ſubmiſſo latratu, ceu ferino riſu, ſe lubens heri mandata ſuſcipere, exequi alacriter revelat. Verùm enim verò hoc lepidiſſimum, ac dulciſſimum animalculum, peregrinum canem ſuis in ædibus offendens, in rabiem degenerante ſuavitate, alter Cerberus ſpumat in illum, invidiáque ſuccenſus pellere nititur, quem contubernalem haut patitur. Inſuper illum dentibus invadit, eò magis ſanguinis avidus, quò largius eodem inebriatur. Hoc præſtat, facem ſubdente invidiâ, vitiorum matre, virtutis novercâ; ſibi timens, ne canis advena panis fruſtulum, heri largitate projectum, præcipiat, ac ſuum occupet locum. En ſpirans aulici typus, en adumbrati ad vivum Aulicorum mores.

13. Hoc canis nomen in memoriam mihi revocat enormes Moloſſos, quos præfuiſſe templo, Vulcano dedicato, in Sicilia, memorat Rhodiginus; aut (uti placet Æliano) Deo Adrano. Adoratoribus quippe, nullâ labe devenuſtatis, blandiebantur, cum virtutum monilibus prædivites, aureum calcabant limen: Ex diametro improbis, ſi accedere contigiſſet, inviſi. Rurſum recordor illorum canum, quorum impetus effundebatur in Dianæ Templum ingredientes

tes Barbaros, peramanter Græcos excipiendo. Verùm Aulici flagitioſis aulas frequentantibus adſunt, in integerrimos quoſque deſævientes, ac animadvertentes: Dûmque Mardochæos pietatis ſupellectile, corruſcos rabidos livore penitus infeſtant, ad gloriæ apogæum graſſari ſe nullatenus dubitant, & ad apicem evolare. Quoties Minervæ militans, Aulicorum cœtibus urgente neceſſitate inſeritur, ſcommatum jaculis armantur linguæ Momorum; & ad invidiæ cotem pugnatiùs Ariſtarchûm effrænis audacia, laxatis invehit habenis in ſapientiæ mancipatos: Ut in penitiſſimæ Africæ ſinu, tam inhumanum monſtrum vix alatur. Siccine vindictæ laniena Reginæ rationis imperium uſurpat?

14. Denuo recentem moralitatem eruere juvabit. Stellæ, quatenus diſſitæ, habentur exiguæ. Quoniam lethum putatis longinquum, enerve, nulliuſque deſideriis momenti, vos futuros mortis prædam inficiamini, dicendo, vivemus: Quorum fatuitatem cum carpente Juvenale, Cynico ſale mordere maturo:

Non eſt, crede mihi, ſapientis dicere, vivam.
Sera nimis vita eſt craſtina, vive hodie.

Erit annus vobis certò fatalis; dies inexpectata, hora vobis ſuprema advolabit, quæ & æternitatis principium erit. Cur ergo apud vos pernicioſæ invidiæ monſtrum imperium obtinet? cur mentitæ pietatis mancipia cadenaminor? Reſpice cogitationis adminiculis noviſſimum tuum agonem, cùm labia pallor invadet, ô Aulice Narciſſe; quo conſummato, tuum corpus degenerabit in vermium eſcam, immundorum repentium pabulum, animâ avolante ante Numinis tribunal: Coram quo rigidiſſimo judice opera tua invidiæ partus manifeſtabuntur. Divus Joan. Chryſoſtomus lethi ſuſtinentem in ſcenam dat, cujus hæ flebiles cygneæque voces audiantur: *Valete amici; iter enim pergam extraneum, quod deunquam ambulavi; in regionem longinquam, quam nemo vidit, & in ſæculum alterum animarum, & in regiones metuendas, per quas nullus me comitatur; & ante judicem terribilem, ubi neſcio quid mihi continget.* Qua cogitatione profectò, quiſquis *In Trac. Patien.*

quis

quiſquis pravis operibus conſcientiam ſuam maculavit, ad bonam frugem ſe recipere molietur, invidiæ inviſus qui fautor.

15. Auream ſententiam prædico illam Divi Cypriani, ac oraculum planè cœleſte; qui, referens illum Sapientiæ textum ad ſecundum, nititur denudare invidis Aulicis, quales efficiantur præ miro hujuſce vitii veneno: *Invidia Diaboli* (inquit ille) *mors intravit in Orbem terrarum: Imitantur autem illum, qui ſunt ex parte illius.* Et Divus asilius: *Caveāmus, fratres amantiſſimi, invidiæ vitium, ne ſocii geſtorum diaboli reddamur.* Hinc mihi perſpicua ſunt profunda myſteria verborum Chriſti: *Et ex vobis unus diabolus eſt.* Hìc de Juda ſermo texitur, qui tam invidus, quàm avarus extitit Aulicus. Neque gravabimini, ô aularum Narciſſi, hiſtoriam explorare, in multorum correctionem, deteſtationémque incompoſitorum morum, ac morigeratorum ſolatium. Judas, qui meritò audire poteſt ſtellarum ſolœciſmus, conditorum fœx, improbitatis Phœnix, Adamiticæ ſtirpis opprobrium, humanæ progeniei dedecus, hominis peſtis, aſpis perfidiæ, mundi peripſema, inferni vomitus; primam lucem Jeroſolymis aſpexit. Amabò, ne peregrinentur aures veſtræ. Inſomnia nonnunquam verum prædicentia, Ciboriæ revelarûnt partum, quo illius venter gravabatur, futurum dæmonibus pejorem, ſuæque domus ruinam. Expergefacta, Ruben ex ſtirpe Dan, ſuo marito, ad amuſſim omnia narravit. His ille turbatus obſtupuit. Infantem mox enixa Ciboria ciſtellæ credidit, hanc turbidi frementiſque fluminis littori. Decurrenti ad Inſulam Iſcariot delatus eſt; per cujus lætas, amænaſque ripas Regina ſpatiabatur, recreationis ergò, appulſum deprehendens infantem, amici cœli munus arbitrabatur, amorémve geſtientem in vagæ corde nidulari. Id contigiſſe videtur Judæ, quod Moſi; diſpar attamen exitus extitit. Cùm enim magnus Hebraici Dux populi, à Principe generosâ Ægypti ſervatus fuerit adorationi, nec non veri Numinis magnitudini; Judas captus eſt Iſcariot Reginæ, propalatus ut filius, futurus infame Chriſti crucifixionis inſtrumentum: *Puerum nutrire fecit, & ſe gravidam ſimulavit, filium tandem peperiſſe mentitur.* Deinde Regina legitimum filium parturiens, affectus teneritudinem mentito ſubtraxit. Judas lynceâ perſpicacitate deprehendens, ſibi derogari (non enim ampliùs aulæ blandientis obſequia illum mulce-

Jac. à Vorag. in Con. D. Matth.

mulcebant) invidiâ excandeſcens, vindictæ ſpirans, ſtragibus inhians, proditionis præſidiis, infantem Principem enecat, prodidit, evitavit Regem, ut vel ab ineunte ætate perimendo aſſueſceret Deo. Homicida illud oraculum mente revolvens, poſtmodum monumentis à Divo Chryſoſtomo conſignatum: *Omnis venia invido deſperanda eſt*: Clam fugam arripit, ſuæque incolumitati Jeroſolymis conſulens, Pilati miſcetur Aulicis. Pilatus feneſtræ adhærens, cujuſdam fructus, frondaſâ ex arbore in adjacenti viridario pendentis, deſiderio tenetur; Ocyor Euro recens aulicus cucurrit, domini vota expleturus; aſt Pilati venando gratiam, olitoris jurgia incurrit, quem lapidis ictu in altercatione occidit. Infauſto Ruben funeri, Ciboria amariſſimis parentat lachrymis; crinéſque ſibi evellens, palma palmam crebrâ verberatione percutiens, comitante multitudine fremente, ad Præſidem properat, qui, per feneſtram proſpiciens, teſtis fuerat acti. Ciboria, ut Judas patricida pœnitudinem ſubiret enormis facinoris, etiam etiamque ſuadet. Hinc Jeroſolymis Chriſto coram concionanti diſcipulum, comitémque ſe jungit, ab humana ad divinam aulam tranſeundo, vix Apoſtolus, jam apoſtata. Magiſtrum, Redemptorémque oſculo prodidit. Viperarum eſt enim, oſculando amantem occidere. Admiſſi reatûs immanitate ſic fluctuat, uti tam atroces evaſurus dolores, mortem appetat lenimentum. Ad ficum accurrit, aſſerit Juvencus Presbyter.

Hom. 37. in Joan.

Exorſuſque ſuas laqueo ſibi ſumere pœnas,
Informem rapuit ficus de vertice mortem.

Hæc arbor Adamo infauſta (penes Rabbi) Evæque in paradiſo terreſtri, Judæ fuit infeliciſſima. Actis Apoſtolorum inſertum legitur: *Et hic quidem poſſedit agrum de mercede iniquitatis, & ſuſpenſus crepuit medius, & diffuſa ſunt omnia viſcera ejus.* In Divo Matthæo; *Laqueo ſe ſuſpendit.* Græcus legit, *Pronus factus.* Aut, juxta Syrum interpretem: *Et cecidit in faciem ſuam humi.* Hic tam impium aulicum obitus manſit. Voſque Aulici Narciſſi, Judam vobis ſpeculum objicite, dediſcatis ut invidiam: Quem lethum haut rapuit præ tormenti pietate, dulcandæque perpetratæ proditionis acerbæ pœnitentiæ, ſed ad aggerandum martyrii onus. Vobis ad-

bis admodum continget proficua præſentis caſus ruminatio, ingentiſque molis; quandoquidem *nemo unquam mortalium erravit ad ſepulchrum*, ſuffragante Seneca. Alieno periculo veſtrum præcavete, propriis invigilate malis, peregrinis eruditi.

16. Judæ avaritia novum nobis ſuggerit aulicorum avaritiæ argumentum: *Conſtituerunt ei triginta argenteos*; Ac præ cupiditate adverſus Dominum auſus eſt machinari, cujus nec erubuit ora, oſculum infigens. Aulicus ſuam locans operam emolumenti gratiâ, militat avaritiæ. Si vel obolus illius excidat manu, quantus quantùs contriſtatur. Haut tantam edit ſtragem ſubterraneus cuniculus, dum erumpit, quantam avarus Aulæ pernitiem creat, ciet, ac parit; quoniam, ad inſtar ignis, qui *nunquam dicit ſufficit*, omnia, obvia quæque ad ſe attrahit, arrogátque ſibi, aliena machinamenta demoliendo vacans. Superiùs Aulicum cum cane contulimus, nedum quòd canis peregrinum canem odio habeat, ſed potiùs habitâ ratione ad id, quod domeſticis ejuſdem familiare, ſolemneque deprehenditur. Herus plurimis ſtipatur canibus, quos dearmatæ pacis dulcedo concordes conſtituit, conſpiranteſque, Colludunt, ſaltant, currunt, mutuò ſe ſe oſculantur, amplectuntur, ſomnúmque carpentes, alter alteri pulvinar ſe ſubſternit. At vix dominus os projicit, cùm protinus amicitiæ diſſuitur vinculum, amoriſque gluten reſolvitur. Omnes certatim accurrunt, torvo ſe ſe aſpiciunt oculo, unus alteri os illud præcepturus, vulnus infligit. Princeps, quamprimum dignitatem alicui conferre exorditur, quendam honore dignari meditatur; Prælatus beneficio, aut penſione, propenſionem ſuam vult teſtatam: Aulici turbantur, tumultuant, unus adverſatur alteri, nulli parcens injuriæ, contumeliæve, cavillationum tenax. Hìc ſuperbia vexillum explicat; hìc debacchatur invidia; hìc dominatur aviditas; hìc avaritia triumphat: Ac tam ingens excitatur tumultus ob os pulpamine denudatum; quod & raRò projicitur, cùm in Aulis infrequentes occurrant mercedes, deſperatæque retributiones. Quot abliguriunt patrimonia, quot proprias ſubſtantias dilapidant, quot alieno gravantur ære, uti detur hoc in verſatilis fortunæ theatro ſuo ſtare loco, neque gradu depelli. Verùm verſuram faciunt, ac decipiuntur, id experti quod canis Æſopi, dum inhiat umbræ, carnem amittit. Policiti divites,

vites, muneris inopes deteguntur. Aliis invidiam conflando, in propria capita, cœlo vindice, fulmina torquent. Futurum promiſſum non abludit à Circe, corda incantante. O Aula! tibi uni poteſtas eſt confundendi corporis, ſuſque deque vertendorum momentorum; cùm in te præſens ſuturum ſit identidem imaginarium! An te penes pro magnifico eſt, & in pretio, potiſſimùm amuſis imponere, caſſâ, cœcaque expectatione pendentibus? Imaginarium ſapit Aulicum, quiſquis ſupplantari ſe ſinit, cujus eſt ventura lyncea perſpicacitate proſpicere. Ah fatui! Milleſima ſudoris pars veſtri pro Chriſto data, fœnerariam redhibitionem accerſeret, cùm umbræ, nihilo impetrando laboratis immanè. Si daretur mundum lucrari, potiri magnificis, veſtris parcerem moliminibus; eſto lethi cogitatio vel iſta ſordida reddat. Aulici Philoſophi Regio Alexandri Magni funeri accurrêre, cujus ſceptro potiſſima mundi pars obtemperabat. Effabatur unus: *En modò quatuor ulnarum ſpatium ei ſatis eſt, cui ſpatioſiſſimus terrarum Orbis non ſufficit.* Alter adjunxit; *Heri potuit Alexander, quos voluit, à morte liberare, hodie ſe ipſum non poteſt.* Tertius: *Heri ex auro fecit theſaurum, jam mutatis vicibus, theſaurum ex Alexandro facit aurum*: Effatus eſt, aureum contemplando tumulum, à ſuo fratre Arideo illi fabricatum. Alexander ſupremæ neceſſitati fecit ſatis; quem æmulantur Aulici, auri appetentes, fortunæ propitiæ ſuffragiis, atque muneribus inundati. Quò ſublimiùs enim aſſurgat ſuperbiæ fumus, eò faciliùs diſſipatur, atque deprimitur, levi ſpirantis auræ flatu. Priuſquam fortunæ amplitudine frui concedatur, anguſtâ circumſcribemini foveâ; veſtróque ſepulchro hoc inſculpetur chirographum: *Hìc jacet Aulicus.* Antequam purpurâ, paludamentóque, linteamine involvemini. Quid ergo conſilii eſt? Fugâ ſaluti noſtræ conſulamus, atque ſeceſſu; quoniam *quando plus honoramur, tanto plùs periclitamur*, aſtipulatur Divus Auguſtinus. *in Pſal. 106.*

17. Veritatis conſequentiæ, quam deducam, majorem energiam conciliabit ſequens exemplum. Aurelianus Imperator modum ritè Imperii regendi, ab illo ſuo quærat Aulico: Reſpondebit enim apud Zonaram: *Auro, & ferro.* Nimirum liberalitate potentiæ copulata; quæ duo Politices habentur poli, ac idem valent atque *Amor, & timor*: Illo ſiquidem ineſcantur animi, hoc coërcentur;

præmium ſolicitat, formido cohibet. Proinde Jacobus ſecundus Arragoniæ Rex, alatam pinxit cervam, aureiſque cornibus, adjecto lemmate: *Et auro, & celeritate*: Innuens, Principem munificentiſſimum in largiendo, velocem in remunerando ſe probare debere. Hoc præceptum longè acutiſſimum agnoſcitur, pro impetrandâ ſervitii promptitudine, ac velut inviſibili catenâ deprædando ſubditorum corda, ut & ad arbitrium iiſdem inflectendis. Deploratus Apelles febris æſtu vexatur, toróque affixus irrequietus revolvitur, venaturus ſolatium. Servus accedit confuſum crebrâ agitatione ſtratum compoſiturus; offendénſque Aurum ſub pulvinari reconditum ab Ageſilao Rege, qui decumbentem inviſerat, exclamat: *Vide Domine.* Mox Apelles indicit illi ſilentium, effaturque: *Hoc eſt furtum Regis.* Nequaquam ingeminat improvidus

Hoſlin. juvenis. *Quid? benignitate motus voluit tuæ inopiæ ſubvenire & furtum dicis?* Infirmus; *Optimè dixi; quia Rex hoc munere cor meum furatus eſt, & perpetuò me ſibi addixit.* Succurrendo inopiæ Ageſilaus, addictiſſimum ſibi conſtituit.

18. Abs re non erit hunc mundum furibundo pelago comparare,

In Pſ. 44. cui ſimilitudini Caſſiodorus applaudens eructat: *Mari juſtè comparatur hic mundus, quia falſitatibus amarus eſt, fluctibus diabolicis quatitur, vitiorum tempeſtatibus commovetur.* Quoniam autem mortalium diſpar eſt ſtatus, moréſque diſcrepantes, aſſimilarem

Plin. l. 2. c. 95. volubilem vulgum, geminis ambitioſi lacus Tarquinienſis inſulis; dum ventorum impetu agitatæ, nunc triangularem, nunc ſphæricam, nunc quadratam formant figuram, omnium ſolidiſſimam. Negotiatores, ab uno ad alium mundum tranſmittentes, Inſulæ Cutiliis

Petr. Mar. in ſum. Ind. in undis, eodem loco uſquam conſiſtere neſciæ. Superbos, ambitioſóſque ſimiles dicerem inſulæ, quæ modico gyro prope Nilum in lacu, confertiſſimis ſylvis referta, hac illac ventorum impulſibus rapitur. Maderæ inſulæ virtute conſpicuos, ubi læſi proveniunt racemi, tantaque felicitate, ubertatéque, ut ad quatuor palmos pendeant, ac demittantur, granorum intrinſecus expertes. Manſuetos inſulæ Melitenſi, ubi viperæ repunt veneno viduatæ, probæ notæ mortales, in quibus pars inferior haud dominatur, neque de voluptatum fonte potantes, cœleſti duntaxat rore paſcuntur, ab Ormus inſula nec latum unguem abludere aſſererem: Ibi ſi-

qui-

quidem nec animantia nutriuntur, nec fontes emanant, noctu decidente rore mannæ mixto. Fortes, ac animoſos inſulæ Ithacæ pares affirmo, formidoloſis infeſtæ Leporibus. Baleárico fundo in Ebuſo ſanctos, quæ Inſula noxia non gignit animalia, ſerpentéſque fugat. Martyres Cumanæ inſulæ in America! Ubi aranearum telæ tam tenaces occurrunt, ut, omnem eludentes inſultationem, illorum adamantinam conſtantiam adumbrent. E regione Principes demulſos inſulis Nymphis, dum ad fiſtulæ ſonum ſubſiliunt, atque tripudiant. Amuſos Conſiliarios Cretæ, ubi noctuæ, Palladi ſacræ minimè regnant. Viros capacitate præfulgidos, inſulæ Elbæ, cujus ferrum viſceribus erutum, liquefieri nequit; ut intelligas, illos novercantem fortunam propitiare nequire, niſi valedicto patrio tecto.

Tandem Aulicos conferrem cum Inſula Atros in flumine Garomna, quæ turgentibus undis elevatur: nam gliſcente Principis gratiâ, attolluntur Aulici. Exantlatis duriſſimis laboribus, ac dilapidatis patrociniis, avent aulici æmulari Inſulam Magoziam; Hâc in Inſulâ aves, ſylveſtrium anſerum magnitudine, nidulantur, quarum tantus eſt numerus, ut centum milites, ad arcem excubantes (cui nomen Baſſus) aliâ, quàm piſcibus illuc à memoratis avibus delatis, haud nutriantur eſcâ. Ubi nunc Alexandri, qui Perilli filias quinquaginta talentis dotârunt; cumque decem ſufficere affereret, generoſus reſpondit Monarcha: *Sufficit tibi tantum accipere, ſed non mihi tantùm dare.* Nónne Principes *nutriunt præmiorum exemplo virtutes*, juxta Plinium? Divus Leo animosè dixit: *Nulli parvus eſt cenſus, cui magnus eſt animus.* Carolus Magnus dulciùs nunquam indormiebat, quàm ruſtico in tuguriolo, ex venatione. Cùm Sineta, crateri manibus ſubrogatis, frigidam exhibendo aquam, ſui cordis ingenuitatem Artaxerxi præſentavit; aureo vaſe Rex illum remuneravit. Vobis, ô Principes! ſervitutem præſtari, obligationi reſpondet. Cùm autem pauperculus, in veſtrum commodum, ac obſequium, propria conſumit, vel, propriam vitam vobis ſacrificans, ſanguinis prodigus, ut opus conſummat abſolutiſſimæ ſervitutis: eſto doni tenuitas veſtræ magnitudini minimè conſonet, attamen ſevera fuerit veſtri lex culminis, morigerari largienti, munuſculumque (animus ſi perpendatur) quibuſlibet gazis pretioſius, aurâ clementi,

Mel. l. 3. c. 1.

Serm. 2. de Quad.

menti, ſerenòque ſupercilio admittere; quoniam *nulli parvus eſt cenſus, cui magnus eſt animus*: quod Oraculum Papa protulit, & Papa Sanctus. Principes, diſtribuendis charismatibus immorientes, apprimè queis nullus eſt cenſus, ad immortalitatem nominis giganteo graſſantur veſtigio. Num regiæ majeſtati munificentiam derogare creditis, ac ſatius eſſe, veſtræ jugiter conſtare gravitati, vobis conſonare ſevero ſupercilio, nimios auſteritatis occurrere? Inauſpicati Aulici! Inſulas Calaminas in Lydia æmulari videmini, ad nutum cujuslibet, tam perticarum, quàm venti miniſterio, mobiles, atque lubricas; medio in ſæculi mari morantes, dicámne vos inſulas, piſceſve, incertus ſum animi. Thini immanes, ac enormes tam profundè dormire dicuntur, ut dormiendo capiantur, capti occidantur. Vos ſomnum capitis, Principum inani ſpe lactati, tuncque ſexcentis diſcriminibus, ac adverſitatibus illaqueamini, nec non incapiſtramini. Lethargum cum Jona excutite; inter procellas, novercantis fortunæ procellas eluſuri, Marpeſias ſtate cautes. Lethum habeatis præ cogitationis oculis; dedignantes ſimiles fieri Inſulæ Cypro, cujus ſoli indoles, ac ingenium ſic conſtitutum perhibetur, ut ſepulturas reſpuat; cùm interdiu humatum cadaver, noctu ſinu expellat. Quid vobis exponendum erit, quum hæc veritas veſtris patronis denudanda veniat? Ericandus apprehenſo limbo chlamydati Imperatoris Anaſthaſii, ſic illum affatur:
l. 12. *Hæc veſtis nequaquam te poſt mortem ſequetur, ô Imperator; ſed ſola te comitabitur pietas, ac virtutum habitus.* Regum, Aulicorumque apoteuxis, cataſtrophe, peripetiæ, miſerrimam eorundem ſortem declarant. Una pietas in pretio ſit, quam nullus ſiniſter ſucceſſus turbet, aut rapiat.

Cap.17. 5. 19. *Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum*; exclamat Jeremias. David nos hortatur: *Nolite confidere in Principibus, in filiis hominum, in quibus non ſalus. Exibit ſpiritus ejus, & revertetur in terram ſuam.* Quid igitur nobis amplectendum, ô Regie Vates? *Beatus cujus Deus Jacob adjutor ejus, ſpes ejus in Domino Deo ipſius, qui fecit cœlum & terram, mare & omnia, quæ in eis ſunt.* Nutantem ſpem veſtram in Deo duntaxat locate, qui omnia fulcit, ac proſpicit. Iſidorus Peluſiota mundum appellabat *perpetuam ruinarum ruinam.* Forſitan ad veterum conſuetudinem alluſit,

Pſ.145.

Iuſit, qui Deum, quem colebant, ſub baculi formam depingebant, hocque idolum vocabant *Jupiter Tigillus*, aut *Fulciens Dominus.* Hinc Romulus Jovis ſtatuæ in Capitolio fuſtem impoſuit, hoc titulo: *Jupiter ſator.* En recens veſtræ ſpei fluctuantis nutantiſque fulcrum, quod lethi cogitatione eruitur. Cœmeteriorum pulvis ſimilis habetur illi, quo regiones ſparguntur Bajanæ, de quibus Vitruvius: *Eſt genus pulveris admirandum: Naſcitur in regionibus Bajanis, quod non modò cæteris ædificiis præſtat firmitate, ſed etiam moles conſtructæ in mari ſub aqua ſolideſcunt.* Par Aulicorum Theodoſii Imperatoris, abdicato ſæculi faſtu, in eremum ſeceſſerunt, famulaturi Regum Regi, qui fallere neſcit. Nam quod ultro ſpernitur, fœnerarium contingit. Cui non ſordeſcant terrena, cœleſtia ſi ſapiant?

20. Deliciis innatabit Aulicus, quoties mortem ſedulò contemplabitur. Sacræ Paginæ, quæ noſter verax Mercurius, teſtantur, Eliam contemplatum fuiſſe præ porta tenebricoſæ ſpecus. Sed ecce Deum illi loquentem aurâ ſuavi: *Vade, & revertere in viam* 3. *Reg.*
tuam per deſertum in Damaſcum; cùmque perveneris illuc, unges Ha- 19.
zael regem ſuper Syriam, & Jehu ſuper Iſraël, & Eliſæum unges Prophetam. In perſona Eliæ, cujus nomen interpretatur *videns*, agnoſcatur umbratilis hominis figura, qui conditus eſt propter videndum duntaxat, & cognoſcendum Creatorem. Hinc Divus Auguſtinus: *Deus fecit hominem, ut ſummum bonum intelligeret.* Illi in ſepulchri margine hærenti dicet Altiſſimus, ſpirante leni ſuæ gratiæ aurâ: *Revertere in viam tuam per deſertum in Damaſcum.* Recta, beatitudine ſepta, lex eſt, deſertum pœnitentia, Damaſcus Numinis gratia: Damaſcus enim audit Hebraicè *ſanguinis ſuccus.* Gratiam verò haurimus ob infinita merita ſanguinis inæſtimabilis Redemptoris. Tres perſonæ copulatæ denotant animæ potentias, Eliſæus intellectum, Azael voluntatem, Jehu memoriam. Fulgebúntque in capite coronæ; quippe homine explente divinas inſpirationes, anima, poſt imperium in ſenſus, tranſibit ad cœli radiantia diademata, ad cæruleas ætheris regiones. Noſtrum ad ſcopum collimat exemplum Henrici Bojariæ Ducis. Parietibus hæc verba legebat inſcripta: *Poſt ſex.* Jam ad ſepulchrum ſeſe præparat, ratus, evolutâ ſex dierum periodo, ſe moriturum. Inde poſt ſex ſeptimanas id executioni mandandum arbitratur. At nondum mortalibus ereptus, ſupre-

mam

mam diem poſt ſex menſes expectat, omni pietatis apparatu inſtructiſſimus. Sed quid accidit? Effluxo ſex annorum curriculo ſolium aſcendit, Imperator inauguratus, undique repetito hoc Elogio: *Se ipſum ſingulis ſenariis ſuperabat, & poſt mortem identidem vivebat.* En coronas, quæ manent ſepulchra ruminantes! Ad monimenta purpura, ſceptra, imperia reperiuntur, non ſolùm citra pretii immanitatem comparanda, ſed ultro diſpoſita accurrentibus. E regione inter Aulas, ubi portûs ſperatur dulcedo, naufragium regnat ineluctabile.

21. Divus Chryſoſtomus Aulam mari fluctuanti, ſyrtibus, ſcopuliſque infami ſimilem dicit, in quo Aulicus neceſſariis deſtitutus navigat: *Qui etiam in domum Regiam, tanquam in mare ſaxis, petriſque ſub aquâ latentibus refertum, introducti ſunt, ſine gubernatore, ſine nautis, ſine velis ſævum illud mare navigare coacti.* Navis gubernatore, carbaſis, nautiſque viduata, altum tentet, poſtquam littora legerit. Mox fortunæ luſcis, ventorum ludibrium, decumanis jactatur quaſſata fluctibus, circumquáque voraginibus. Continenti adhærere maturat in caſſum, aquilonibus remorantibus remos. Hinc portui appellere neſcia, naufragii neceſſitatem eludendo non eſt. En Aulicum in Aulæ alto, ubi nulla regnat malitia; & ſi detur, ſciendum, vel in lactis tranquillitate intra nymphæum, Senecam feciſſe naufragium. Tranquillitas iſta, tempeſtas eſt. Ob æmulos flat ſuperbiæ Aquilo, quo ventorum nullus vehementior. Latrant invidi ſupra Cerberos, queis Scyllæ, Charybdiſque rabies palmam concedat. Dominantis avaritia mercedes efficit vacuas; En brevia periculis plena! Patrium patrimonium diſſipatum eſt in tuum ſubſidium; en lacera vela! Spes evaneſcit, en anchora fracta! *Sine gubernatore, ſine nautis, ſine velis ſævum illud mare navigare coacti.* Aulici naufragio pereunt. Cur Numini potiùs famulari non maturatis, cujus largitas munifica, larga munificentia, vos certè ampliſſimis donet præmiis? Tantæ cœcitatis cauſſam, ambitionem conſtituit Joſephus Maraviglia: *Naturalis quædam cupiditas, quia in captandis honoribus, atque in exoptandâ melioris ſtatûs conditione, omnes fere jugiter homines feruntur, eos ſæpe ſæpius tantâ mentis cæcitate confundit, ut perpauci inveniantur, qui, morboſâ hac vertigine circumacti, miſeriarum tandem pondere non opprimantur, ibi-*

Prot. Ethic. in Leg. 87.

que

que inter profunda volutentur, ubi altius dignitatis faſtigium meditabantur. Cùm enim ferè ex omni parte Principum Aulas conſtituat ambitio, hæcque illa ſit, quæ dum altiora petit, ſepelitur in imo, inde ſequitur Aulicos omnes eâ perturbatione intumeſcentes, atque commotos, ut plurimum in præceps tenebrarum abire, abſque eo, quod permanens unquam appareat ſperatæ magnitudinis nitor.

22. Velis, quiſque honori veſtro velificantes, Aulici Narciſſi, tandem ambitionis monſtrum expugnate. Hoc impetrare licebit exemplo deprompto ex argento vivo, (Mercurium dicam cum eruditis) metallare flumen in ſoli viſceribus, identidem circumagitur, intorquetur, motum perpetuum reperiri denudans, damnato repugnantium Philoſophorum placito. Sæculi Symbolum fuerit, cujus contenta perpetuâ volubilitate laborant, ceu vertigine circumacta. Inſuper impoſitum fonti, protinus aquam repellit, ex integro eundem exſiccans. Quod aſcribendum duco antipathiæ vi, & efficacitati. Igitur argentum vivum inſtabilitatis, ac vanitatis humanæ, mundanorumque imponatur Aulici capiti. Contempletur momentaneas ſingulorum ſtatuum metamorphoſes. Perpendat Magnatum lapſus, atque cataſtrophes; tam ſummos quàm imos, quà natalium ſplendore radiantes, quà non emunctæ naris homunciones, & urbium ſuccum, æquè ac fœcem, foveæ ſepulchralis anguſtiis circumſcribenda venire. Sic detumeſcet ambitio, ſuperbiæ regnum nil improbitatis affricabit, ad lethi funeſtam ruminationem, cunctis paſſim profuturam, atque proficuam. *Qui eſt hodie, in eum, qui eras erit, morietur: Et qui heri fuit, in eum, qui hodie eſt, mortuus eſt*: Plutarchi ſonat oraculum, demorſos ſapiens ungues. Mors omnia rapit indiſcriminatim, ſub qua juvabit vitæ rudimentum ponere.

23. Mihi perſuadeo, ex recenſitis penes maturi Lectoris judicium, Aulicos nullo eſſe in pretio, quorum exiſtimatio tot labibus excoecatur, devenuſtatur, fœdatur. Nihilo ſecius haut hæſito, fore, ut probatiſſimam metamorphoſin eorundem admiretur, ſi ducem ad tumuli marginem nanciſceretur. En Aulicum armatum duplicitate! Appoſitè, concinnéque Divus Gregorius: *Hujus mundi ſapientia eſt, cor machinationibus tegere, ſenſum verbis velare.* Os Aulici, velut Hiberniæ accipitres, linguâ præditum habetur. Ad ra-

ptum adunco pede pollet, altero plano, in ſcalmi formam, pro navigatione. Sicut Paphagoniæ perdices, cordibus duobus pectus habent inſtructum. Quid ego gemino dixi corde? Si Numini victimæ arriderent cordis expertes, quàm acceptam victimam ei Aulicus præſentaret. Undique inconſtantiam ſpirat. Polypus haud adeò mutatur ad ſcopuli colorem, non ſpeculum tam promptè vultus reddit intuentium ſe, quot Aulicus verſipellis varias illicò exhibet formas. Hinc Divus Petrus Damianus prorupit: *pendet ad nutum, & ſic herile præceptum, tanquam per ſybillinum os Phoebi præſtolatur oraculum. Ire jubet, evolat; ſtare præcipit, ſilicem repræſentat: Si Dominus fervet, iſte ſudat, ſicque non ſuus, nihil aliud loquitur, niſi quod illi placere ſuſpicatur.* Ergo in Aulis nulla ridet tranquillæ pacis ſerenitas, ubi propria merita bellum cient. Turbulentus Sabin Aſor Rex, tot Reges armavit adverſus Iſraël, quoniam *Aſor interpretatur Aula*, ſi ſtandum Origeni. Quid hoc in theatro continget Aulico? Ubique Corionis Aulici reperiuntur æmuli, *qui nihil in charis habebat præter diſcordias Principum.* In Aulis regnant ænigmata, velut oracula, quæ potiſſimâ ex parte veritatem non involvunt. Hìc redivivi nidulantur Dædali, verborum ambagibus, atque mæandris, inextricabiles labyrinthos texentes. Hìc avaritia, invidia, ſuperbia, ſedem erexit, domicilium fixit, ſolium occupat. Aves agnoſcere, quid fructuoſæ illorum metamorphoſi opportunum ſit? Eadem, quæ vitro deſervit materies. Hoc caſû filius habetur, teſte Plinio. Quidam nitri mercatores appulêre Bello, vado in mare ſeſe exoneranti, evolventique, prope Coloniam Tolemaidem: Supràque lucidas arenas culinæ vaſa deponentes, accenſaque, atque candentia nitri fruſta miſcentes cineri, vitrum conflari poſſe experti ſunt. Quis unquam crediſſet, cineribus opaco corpori diaphaneitatem conciliari? Sanè Aulicum dicam Cocyti prunam, vitiique materiam. Lethum expendat, illico videbitur anima diaphana, cœlóque digna. Potiturus exiguis, patitur aſperrima quoque. Quando verò illius calcei, ut illi Caligulæ, margaritis ornati fulgebunt? Quando per humeros purpura diffluet? Quando, alter cometa, comitatus caudâ ſpectabitur? At Divus Ambroſius effatur: *Ut dominetur aliis, priùs ſervit; curvatur obſequio, ut honore donetur.* Ut Aulicus cœleſtis evadas,

das, tibi non ſunt exantlanda tam dura. Cinerem recogita; ſi enim hodie vivis, cras extinctus in luctuoſum degenerabis ſpectaculum; quique dignitatis culmen ac faſtigium anhelabas, in imo jacebis, magnitudinis nitorem obruentibus, involventibuſque lethi cimmeriis, ex quibus haut emerges.

ASSENTATORES
AD
FONTEM.

CAPUT V.

1. NEdum homini Microcoſmi titulus congruit, ſed etiam Principis Regia, Principis aula eodem gaudere videtur. Intra Regiæ parietes artificioſo Vere ſerici, aureo in campo contexti florent horti; fontes irrigant; in quibus argenteâ lymphâ ludente, vel dum ſudum regnat, dum cœli ridet ſerenitas, ſpectantur imbres. Hìc feræ reatus immunes, ſepibus circumſcribuntur, quaſi Africa eodem loci in compendium redigeretur. Huc aves tranſmittunt Moluchæ. Hìc generoſi ſonipedes nutriuntur in ſtabulis, ad feneſtras vocem articulant pſittaci, prope ſcalarum gradus ſimiæ colludunt, plebeji in officinis uberi ſudore frontem irrorant, nobiles in penetralibus aſtant: Mimiſque ridiculis, ſcurriſque Majeſtatem aulæ augentibus, pygmæorum parvitas magnitudinem eidem conciliat. Conflandis pompis, ſplendori ciendo Regiæ, transfretant peregrina Nacabar margarita, Silam ſcintillantes miniſtrat pyropos, Muccis rariores adamantes ſuppeditat: Dùmque Æthiopicus hyacinthus tot gemmarum apparatui miſcetur, juxta cœli faciem colorem reddens; Aulæ neque deeſſe Aſſentatores, ſingulis momentis verſipelles, corde tamen identidem ſibi conſonante, definio. Adulatores, qui potiſſimùm Aulici ſunt, ſpatian-

tiantur per regiam, dum maximè habere deceret, neſcio, dicamne in aucupio, in piſcina, inve ſepimento.

2. In Mexico, ubi natura mirabilium prodiga ſuſpicitur, avis quædam nutritur quadringentarum vocum; totidem enim modis canorum pennatorum melos æmulatur; Loci accolis Cenſtonthi dicitur. Itaque, cum aſſentator corrupto domini, aut amici genio obſecundet, blandiatur, ac morem gerat, voceſque diverſas mutet, eſto aliud ſentiat, includendus in cavea mihi videtur. Attamen ob ſubnectendas rationes, piſcinæ mancipandum traderem. Simillimus accurrit piſci faſten, *in cujus ore* (fidem adſtruit Belluacenſis) *maritima aqua, ſalſaque mox fit dulcis; quâ dulcedine illecti accedentes piſces, ab illo degluti untur.* Adulator flagitia commendat, vitiis prolixiùs applaudit, Neronis ſmaragdum Magnatum obtutibus objicit, cujus erat, ſtrages ceu amœniſſimum Ver exhibere: Hinc, Apoſtolo teſte, *per blanda verba ſeducunt corda innocentium.* Crocodilus haut ſe tam probat fallacem, dum, conſpecto homine lachrymas effundit, appropinquantem devoraturus. Animus adeò ferinus, humanam naturam deſtruendi ſatagens, corrumpendorumque morum, nec apicem abludit ab Indiæ manichorâ, fiſtulæ ſonum imitante, peregrinos ut callidè deprædetur. Hinc Divus Auguſtinus adulationem ita deſcribit: *Adulatio eſt fallaci laude ſeductio.* Rurſus Angelicus: *Adulatio eſt exceſſus delectandi alios verbis, vel factis.* Qui proinde recens eructavit: *Adulatio eſt oppoſitum amicitiæ, vel affabilitati peccatum.* Ergo Adulator quemadmodum manichora, ſepto arctatur.

l. 17, c. 54. Græc. hiſt.

ad Rom 16.

ſup. Pſ. 59. 2. 2. q. 115. ar. 1.

3. Palinodiam canendo, revertor ad aucupium. Hirundo quàm ſit amabilis, quis ignorat, dum ab Ægypti pyramidibus, noſtrum repetens cœlum, Ver præſagit? Modica volucris eſt, utut validam vocem garrula emittat. Advenit, adultâ, ſeneſcentéque hyeme, eaque occidua, imminentis Maii amœnitatem prænuntiat; quam iterato cantu provocat, ac invitat. A ſomno excitari facilis eſt: quippe (demptâ luſciniâ) volucrum nulla tam ſomni parca. Noſtris nidulatur ſub tectis, miro prorſus opificio. Doxius primus lutei inventor ædificii, teſte Plinio, hirundinibus magiſtris eruditus perhibetur. Nunc ad moralitatem cum Aldrovando nos convertamus: *Verùm non inconvenienter adulatores, fictique amici eo modo*

Ornith. l. 17.

do per hirundinem notabuntur. Sola hirundo impunè in domibus noſtris agit totâ æſtate, excluſiſque, & educatis pullis ſuis, ante frigus abit turpiter ingrata: Qua ſimilitudine ad denotandum ejuſmodi adulatorum amicitiam, Cicero, vel quiſquis ille ſit author Rhetoricorum ad Herennium, uſus eſt, inquiens: Ita ut hirundines æſtivo tempore præſto ſunt, frigore pulſæ recedunt; ita falſi amici ſereno vitæ tempore præſto ſunt, ſimul atque hyemem fortunæ viderint, devolant. Plinius ineffabilem hirundinum proprietatem narrat dicendo: *Hirundinis oculi eruti renaſcuntur.* Hinc Ælianus appoſitè eructavit: *Hirundinibus à natura bonum meo judicio ſummum tributum eſt; quòd & ſi acu earum oculi puncti excæcentur, uſum recipiunt.* Et Ariſtoteles: *Pullorum hirundinis adhuc recentium oculi, ſi quis ſtimulo eos vexarit, reſaneſcunt, & cernendi vim poſtea planè recipiunt.* En quì proprium commodum, ac emolumentum, oculorum aciem acuat, acres, & acutos reddat, tametſi adulatione læſi ſint. Non neſcio hirundinem caveæ mancipatam, mox deſpondere præ rabie. Hinc ego Aſſentatores in aucupio captivatos volo, ut adeò pernicioſa blandiénſque peſtis toto exulet orbe. Haut citra myſterium Samius Pythagoras ſuis præcepit tyronibus, atque diſcipulis, illorum laribus hirundines eliminarentur. Siniſtri ſunt ominis, hominis ad perniciem pernices, ac natæ; quarum improbum augurium teſtatur Horatius:

l. 22. c. 37.

l. 2. c. 3. Hiſt. c. 5.

Nidum ponit, Ityn flebiliter gemens,
Infelix avis, & Cecropiæ domus
Æternum opprobrium, quod malè barbaras
Regnum eſt ulta libidines.

Statim atque Regiæ pedem intulit Aſſentator, ærumnarum auguratur iliadem, eò magis irreparabilium, quò magis familiarium. Quæ dulci melodæ Prognes cantui copulantur, vocalis graſſatoris, penetralium Sirenis, devorando animæ Ulyſſi paſſim intentæ.

4. Bethlehem in carnificinam degeneravit, Herodíſque regiam in lacrhymoſum ſpectaculum, quàm primum ingreſſi ſunt Principes Sacerdotum, cum Scribis Aſſentatoribus. Herodes, Sirenes haut præternavigans, quærit, ubi Chriſtus naſceretur. Hoc edunt

reſponſum: *In Bethlehem Judæ ; ſic enim ſcriptum eſt per Prophetam : Et tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in Principibus Juda : Ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Iſraël.* Sceleſti, longéque flagitioſiſſimi ! Cur reliquum ſilentio præteritis ? Nónne Michæas effatur ! *Tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda : Ex te mihi egredietur, qui ſit Dominus in Iſraël, & egreſſus ab initio, à diebus æternitatis?* Cur integritatem occultâſtis Prophetiæ ? Cur annectere neglexiſtis, *ab initio, à diebus æternitatis* ? His verbis eruiſſet Herodes, natum infantem eſſe Deum, pepercitſſet tot infantium cædi, maturâſſetque iratæ divinitatis fulmina evadere. Veſtrâ id accidit culpâ : *Cùm enim diceret* (reſpondet Chryſoſtomus) *quia ex te, Bethlehem, proceſſurus eſſet, qui regéret Iſraël, nequaquam tamen id, quod ſequitur, addiderunt : In adulationem profectò Regis, ut ad humanæ gratiæ lucrum, veritatis damna proficerent.* En ruinas, en præcipitia, quæ multa pariunt eloquia, queîs involvuntur regnantes. Principem humano ſanguine regias fœdare manus, Aulicis adulatoribus aſcribendum. Clyto ſe vitam eripuiſſe, amariſſimè dolebat Alexander. Anaxarius impius aſſentator Regi ſic blanditur: *Neſcis, quia quidquid factum à dominante fuerit, id jus, & fas ſit* ? Ergò eò crudelitatis proceditur, ut, ſub amoris ſpecie, præcipitium ſuadeatur ? Ah inconſulti Conſiliarii, dum lenocinando imponere Domino contenditis ! ô Reipublicæ carnifices, qui Principem vobis demerendo, populum perditis, ac lethale vulnus infligitis multitudinis corpori !

Cap.5.1

5. Sub nova avis forma eoſdem exhibeo. Attageni ſimiles aſſero ; queîs Sicilia ſcatet. Verſicoloribus veſtitur plumis ; Hinc factus apud Suidam adagio locus : *Attagenæ novilunium.* Adulatores multiplici tincti colore, veritatem nunquam patefaciunt : Ac ſicut in Indica Provincia Aden, quævis ſiccatur herba, unam ſi demas oryzam ; pariter in eorum ore illa extinguitur, florente duntaxat ſimulationis oryza, Attagen ſemel ſolummodo veritatem confeſſus eſt ; quod Athenæus fabulæ tribuit, à Socrate excogitatæ. Attagenes delati ex Lydia in Ægyptum, vocem coturnicis didicêre. Deinde arefactus Nilus peſtem attulit, non nihil validiorem illâ infantis, dixerunt : *Malis ter mala, digna dignis*

gnis eveniunt. Hinc poſtmodum Græcis ſententiis hic Verſus legitur inſertus, qui Latio idiomate donatus, ita ſonat:

Viro bono bona largiuntur cœlites.

Igitur ex erebo emergentes Aſſentatores tartarei, quandoquidem Attagenem æmulari videamini, eum imitari non pigeat, ſemel ſaltem veritatem pronuntiando: Illum inquam æmulaminor quoad hanc proprietatem, quam ab Ariſtotele ſignatam, Aldrovandus monumentis conſignavit: *Attagen pulveratrix eſt, ut reliquæ aves, non altivola, ſed terræ propinqua.* Adulator Narciſſe, alta ne petas, habeto in pulvere, perpende pulverem, in ſpeculo tuæ miſerabilis humanitatis ad unguem explorato te, contende ad pietatem. En hortamentum doctiſſimi Silos:

Intempeſtiva tentas, qui flectere laude,
Pectore blandiloqua voce animoſque ſubis.
Mollibus an verbis Libitinam flexeris unquam,
Ferro quæ pectus munit, & ære gravi?
Lambere nil prodeſt, blandiri, & verbere cauda:
Dilaniat dirè torva leæna canes.

Supra vitam, mortémque ſe gyrant Mortales, haut ſecus quàm cœlum ſupra polum Arcticum, & Antarcticum, ab Oriente ad Occidentem. Naſcimur, at morituri.

Mors ultima linea rerum.
Pulvis, & umbra ſumus.

Ita cecinit Venuſina Muſa, licet Gentilis: Neque mollia lenocinantium illicia, lethi pectus horrore munitum expugnando ſunt, flectendóque. In alia vita geminæ nos manent coronæ, una ex apio, altera ex olea. Antiquitus apium habebatur luctûs hieroglyphicum, quo defunctorum toros Græci ſpargere amabant. Oliva ſymbolum pacis eſt. Hinc Æneas in Evandri ſolum in Italia deſcendens, genti illi pignus amicitiæ daturus, oleæ ramum manu

manu geſtavit. Cur ergo Mortales in hac ſe ſe vita immunes reatuum cuſtodire non contendunt, ut æternum declinantes planctum, immarceſcibili poſt funus oleâ cingantur ? Me fortaſſis adulatores haut intelligent, utpote aves. En volucrem, quæ ſat ſuperque ſua vobis ſenſa revelabit. In ipſo juventutis flore, per hortum deambulabat meus fulgidiſſimus Patriarcha Cajetanus Thienæus. Ad luſciniarum cantum, ejus ſpiritus effectus echo dicebat; vox quæ naſcitur, moriturque, mortalium eſt vita. Spectandóque volitantes de ramo in ramum, repetiebat: brevi profectò volatu devolvimur in tumulum. Tunc avis candida de fronde deſcendens, prope Cajetanum hæc effudit pectore; Cajetane, perennè te pacis dulcedo perfundat; hanc tibi nulla eripiat adverſitas, operam navato ſedulam, contubernalem identidem cuſtodias. Volatûmque trinâ vice circum illius caput intorquens, evolavit. Arrepto protinus documento, Thienæus vitæ aſperitatem amplexus, rigidiſſimam pœnitentiam ſubire non dubitat. Pennis avis prætactæ, propriæ ſanctimoniæ *non plus ultra* exaravit, erudiendo aſſentatores, ad humanæ gratiæ lucrum, veritatis damna proficere nullatenus debere, ſed cor inter ac linguam harmoniam intercedere. Probè nunc ergo hujus avis ſenſum caletis. Vobis inſinuat, ut effulget, defungendi neceſſitatem. Declarat flores oris amarantos haut occurrere immortales, vitæ noſtræ nexum non eſſe nodum Gordium indiſſolubilem, neque nativum calorem æternis Veſtalium flammis ſimilem offendi. Hæc docet loquela, Solem omnem Occaſum expectare, ſingulas occidere Stellas, omnem omninò viventem, lethi prædam deſtinari. Quiſquis vitalem ſpirat auram, ſic inſtituat vitæ curſum, uti viridanti oleæ coronâ donetur. Si verò contingat, intellectum cujuſdam erroris tenebris cœcutire, ſi mens decipiatur, ad tumulum te convertas; quippe etymologiam ſi ſcrutor, offendo nil aliud indicare *monumentum* quàm *monens mentem.*

7. Lethi memoria nobis oculos reſerat, roboret animam, quò valeat validos hoſtium, aſſentationiſque propulſare aſſultus, quæ lenocinando prodit, mellitaque egerens verba, corde virus coquere didicit, quod linguæ miniſtret, viperæ ritu, lacteo denticulo atrum inſtillantis venenum. Fortitudinis ideam Samſonem con-

contemplari juvabit, qui, præ capillorum fortitudine, toti communicata corpori, per ſingulos artus diffitâ, Philiſtæorum malleus eſt habitus, quos ceu formicas conculcavit, quorumque multa millia deſiderata ſunt: à cardinibus graviſſimas eruit portas Urbis, ad montem ceu levem deferens faſciculum; Leones dilaniavit, alia quoque fortitudinis invictæ edendo ſpecimina. Hìc Divus Ambroſius admiratione raptus, nec non fervidiſſimi zeli flammis accenſus exclamat: *Tantúmne ergo momenti crines habere capitis, ut manentibus his, virtus invicta duraret, tonſo autem capite, fortitudo omnis viri ſubitò ſolveretur?* Cur tot palmariis, tot victoriarum decoribus funeſtiſſima quæque ſuccedunt? num robur, ac imbecillitas alternis ludunt vicibus? reſpondet Nyſſenus: *Capilli mortem oſtendunt.* Capilli cogitationum ſymbolum habentur. Hinc Chriſtus apud D. Matthæum: *Capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt.* Hinc proficiſcitur ingens animæ vis adverſus vitiorum monſtra; munita ſiquidem crine, videlicet lethi cogitatione, Adulationis monſtrum auſpicatò proſternet, ceu Samſon. In Inſula Madegaſcar circumvolitant ingentes volucres, quarum ferâ rapacitate ſublatus modicus elephas perimitur, evaditque illarum eſca. Quoties ergo in aucupio adulatio alas expandit ſpatioſas encomiorum illecebrarumque ſuffragiis animam in aërem vanæ gloriæ ſuſtollit, quam devoret; illicò ad mortis præſidia confugiendum, quò, Samſonis ad inſtar, detur, Aſſentationem debellare. Nunc (inquit Divus Ambroſius) myſterium mihi patet; hincque de dilecto Sponſo talia promit: *Caput ejus aurum Cephas, & crines ejus abietes nigræ. Bonæ abietes ſunt naves Tharſis, quæ fluctibus ſupernatent mundi.* Mortalium vita navi ſimillima, dum hujus ſæculi mare ſulcat, novercantis fortunæ fluctibus jactatur. Infelix itaque lignum elementi liquentis ludibrium deploratur, ac victima. Hinc Anacharſis Scytha: *Tantillum abſunt à morte, qui navigant.* Quæ navis videbatur abaptiſta, momento perit, ſubmergitur: *Momento mare evertitur, & ubi luſere navigia, ſorbentur.* Sin ſubitaneum hocce naufragium menti occurrat, cogitationeſque æquâ crinis ſubtilitate gaudeant, (nam ſubtilius eſt vitæ fragilis filum) eruntque atræ, utpote lethum reſpicientes; crines ejus abietes nigræ: Nullo negotio ambitionis aſſultus eludes, aulæque de vaframentis triumphare diſces. E Regione, ſi ſuperſedeas

l. 2. de Sp. S. Proleg.

cant. 5. 11

ſedeas Libitinæ recordatione, ſubjugaberis. *Ipſe Samſon* (calculos addit Divus Ambroſius) *non corporales, ſed intelligibiles hos capillos eſſe declarans, ait: Si tonſus fuero, diſcedet à me virtus mea.*

8. Longævus occurrit corvus. Hinc Athenienſes, recentes ſalutando Reges, hoc uſurpabant dictum: *Vince hoſtes armis, cives animis, corvos annis.* Vos autem, Aſſentatores Narciſſi, quamvis ſitis aves aucupii, attamen vivacitatem veſtràm prorogare nequaquam ſtudeatis. Cito etiam aves pereunt: *Paſſerum minimum vitæ,*
l. 10. *c.* 38. *cui ſalacitas par* (aſſerit Plinius) *mares negantur Anno diutius durare; argumento, quia nulla Veris initio appareat nigritudo in roſtro, quæ ab æſtate incipit, fœminis longiuſculum ſpatium.* Avolant temporis momenta, raptumque hominem in tumulum devolvunt; quique irretiendorum mortalium peritiſſimus ſuſpiciebatur, vermes, putredinem illiciis incantare nequibunt. Licet aves ſitis, mors attamen, rapax aquila, nullam haut deprædatur avem? Num ignoratis, aquilinarum pennarum contactu, propinqua quæque corrodi, ac deſtrui? Admodum inviſam ſe morti probat aquila: Nihilo ſecius magis de homine, quàm de illâ conqueramur oportet, quam excluſit. *Per peccatum mors*, inquit Divus Paulus; vóſque peccato ſuccenſeatis. Sumendæ vindictæ ſuggeram modum. Regiis inſignibus inſertam Julianus Imperator geſtabat aquilam, ſagittâ trajectam, cui ipſamet plumas ſubminiſtrârat; adjecto lemmate: *Lex ipſa contra ipſam.* Mors reatus eſt filia; aſt lethi memoria peccatum interimit. Hinc appoſitè ingeminare licet: *Ex ipſo contra ipſum.* Horrorem foveæ perpendere juvat: fiet, protinus extinguatur ambitio, eliminetur adulatio.

9. Ad calculos reducite, lethum omnibus dominari, cujus Imperio cujuſvis elementi habitatores ſubjacent. Hinc niſi vobis eſt cordi proprium exitium, ſi detrectatis aves eſſe in aucupio, ut mortem non guſtetis; ſcitote, multò faciliùs piſces ſpoliari vitâ in piſcina. Jam ſuperiùs expoſuimus, Aſſentatores piſcibus adſcribendos venire, adſtipulante quoque Aldrovando: *Socion Philoſophus ait,*
de Cetis. l. 1. *delphinum adulatorem eſſe, qui nimirum ciborum reliquiis, quæ à navigantibus affatim in mare projiciuntur, allecti, comiterque accepti, ſaturatique natantes, quamdiu affatim unda ſubeſt, ac ſuppetit, officiosè comi-*

comitantur; *in ſiccum verò littus nunquam excedunt. Sic adulatores quamdiu tranquillitas affulget, permanent, amicos in hoc vitæ curſu, dum plana, facilia, & proſpera omnia ſunt, adeunt, deducunt, colunt; cùm verò ſcrupea, difficiliaque acciderint, ſtatim abſcedunt.* Legit Vulgata in Geneſi: *Factus eſt homo in animam viventem*; Attamen audiendo Chaldæum legentem: *Factus eſt homo in animam loquentem*; Extemplo dixi, en adulatorem, quem duntaxat animat ſpecioſum mendacium, ac garrulitas officiosè officiens. Attamen fatendum, adulatoris animam eſſe proprium commodum. Statuas adorat aureas, ac ubi campus patet explendæ cupiditatis, ludit, comiter ſaltat, velut delphinus navi blandiens. Genio ut indulgeat, votis potiturus, prolixiùs commendat crateras, ubi ſpumat Falernum, quóſque ad opipara ſympoſia exſiccare ſolent gulæ mancipia: Fercula congruis pariter laudibus ornat, ſatius dixerim dehoneſtat, dum impenſiùs celebrat. Prætextatis, quæ miſcet, colloquiis, encomiorum laureolas texit. Suſpicit obſcœnorum nubes velut tranquillam ſerenitatem; noctesſque tam adulteriis, quàm ſtupris impenſas, & indulgentiſſimè habet, & inflatis buccis crepat illaudatorum laudem, execrabiliorumque tonat præconia. Proditionibus rurſum applaudit, ſacrilegiis acclamat, ſuperioribus lenocinatur, æquales fucatâ ineſcat dulcedine; uti detur per eblandita ſuffragia ſublimiùs eniti, alienáque ſibi devincire arbitria. Democles ad cœlum laudibus efferebat Dionyſium, cujus ſitiebat opes. Veritati ſit locus: Illâ tempeſtate longe florentiſſimi Regni deliciis inundabatur Dionyſius. Quod enim tam validum, tam lacertoſum vigebat imperium Orbe toto, quà latè patet, quominus Regi Syracuſæ palmam cedere compelleretur; de ampliſſimis Syracuſis eloquentiæ Romanæ parens teſtatum reliquit: *Ea tanta eſt urbs, ut ex quatuor urbibus maximis conſtare dicatur.* Cic. 6. Verr. Quam, evolutis retro temporibus, Dionyſius clariſſimus, ceu Reginam urbium, mœnibus coronavit, atque cinxit; cujus ambitum nepotinum, atque magnificum trecentis ſtadiis metiri dabatur, ſi ſtandum Theodoro. Hanc vaſtitatem tantæ molis his Verſibus Silius Italus memoravit:

Ipſa Syracuſæ patulos urbs inclyta muros,
Milite collecto, variiſque impleverat armis.

Variis cladibus audaces Græcos afflixit urbs Romæ æmula; ut proinde Scaliger anſam arripuerit ejus ſublimitatis decantandæ, quandoquidem vel ex proſtratæ cadavere pullulet magnitudo, rudera majeſtatem, decúſque undiquè ſpirent.

Illa ego ſum Romæ labor, atque injuria Pœni,
Pro me etiam ſtragis Græcia ſentit onus.
Figere quæ volucres aliis in ſedibus arma,
Exturbata jacent ſedibus Orba ſuis.

Eò magnitudinis ergo proceſſerat Syracuſarum potentia, ut & Carthaginenſes ſtragis ſenſerint onus, propriis propemodum Orbi ſedibus. Hac igitur baſi Dionyſii nitebatur imperium, cujus avaritia civitatem divitiis impleverat; nam neque Jovis ſtatuæ pepercit, cui auream detraxit veſtem, laneam ſufficiens, affirmando, hanc in quâcunque temporis circumſtantiâ, uſui eſſe poſſe. Democles adulator egregius, ceu blandiens delphinus, Dionyſii felicitatem ſupra modum exaggerabat, quòd & ſplendidiſſimè amiciretur, & lautiſſimè victitaret. Tunc Rex quæſivit, alluberetne ſuam cum eo conditionem permutare? Quúmque annuiſſet, ornatum regiâ purpurâ juſſit eum accumbere menſæ, omni genere deliciarum copioſiſſimè inſtructæ: Sed ſupra caput ſtrictum enſem de tenuiſſimo filo ſuſpendi mandavit. Metuens itaque Democles, ne, fracto filo, gladius imminens capiti in hoc decideret, maluit ad priſtinum vitæ genus redire, quàm tam manifeſtum vitæ diſcrimen adire: Intellexitque, Regum vitam in ſpeciem quidem feliciſſimam videri, ſi tamen propiùs inſpicias, plenam eſſe ſolicitudinis, atque periculi. Ritè Dionyſius callebat aſſentatoris frontem ferire. Impræſentiarum vix ullus obviat tanti Regis æmulus, nullus eſt Imperator Juſtinus, apud Fulgoſium, qui toto in Adulatores irruat impetu. Græcus ille Aſſentator lamentabatur, talia evolvens pectore: Quid eſt conſilii, Cæſar, ut unguibus mihi laceres genas, crines evellas? Ad hæc Juſtinus: Tu verò, Terentiane Gnatho, cur me mordes? Nunc quævis ſibi navis alludentes optat delphinos. Dubio procul Aſſentatores à delphinis non abludunt. Attamen magis arridet

det Divi Baſilii ſimilitudo: *Sic & animo varius oſtenditur Adulator, nunc quod juſtum eſt apud eos, qui juſti rationem habent, laudat, apud iniquos vituperat, more polypodis, qui colorem terræ, quam attigerit, reddit.* Et alibi; *effugito deſpiciendorum hominum imitationes: Tuis propriis facultatibus eſto contentus. Paupertas cum veraci ſufficientiâ, omni potiundæ voluptati profectò eſt compoti mentis anteponenda. Non ſilentio prætererim polypi dolos ad voracitatem. Is cuicumque ſaxo adhæſerit, colorem ſubit illius, atque adeò ut piſcium complures, ad ipſum de improviſo natantes, tanquam ad ſaxum appellant, paratamque ſeſe offerant illi verſuto, malitioſoque prædam. Talibus eos moribus præditos eſſe conſtat, qui perpetuos potentatus ſubeunt, & ad uſus, neceſſitudineſque ſingulas occurrentes ſe ſe accommodant, nec in eadem ſemper voluntate perſiſtunt, ſed alii, diverſique facilè fiunt.* Scrupea verò, clivoſáque declinant adulatores verſuti, ad quæ ſeſe accommodare reluctari perſpicuè conſtat. Liberalibus verbis permulcent, quos fallant; Propitiam ſortem arridere, obſtetricantem affulgere fortunam mentiuntur, cùm apprimè detonat. Aſperrima quæque perfunctis divinant mitiſſima, veritatis oſores, athletæ perfidiæ. Veritas tam congruit Numini, tam ei ſimilis eſt, ut ipſiſſimum coram, palámque fuerit teſtatum: *Ego ſum via, veritas, & vita.* Omnibus mundi rebus ineſt veritas, ipſáque natura ſuis in effectibus ſe veridicam probat. Hinc eliminatâ veritate, cuncta degenerarent in ruinam, nihil ſiquidem ſuo reſponderet initio. In Adulatorum duntaxat ore non reperitur, dum polypi ritu colorem mutant; eſto mores iidem ſemper ſint, obducto perfidiæ callo: Hinc ſupremum habentur tam animæ, quàm principis exitium Aulæ, quòd pectus vitiis ſervum habeant, & prava ſemina non ſupprimant, ſed adoleſcere ſinant. Polypus ramo ex olea capitur, cui adhærentem piſcator attrahit, ſeróque animadvertit, frondem pacis nuntiam, domi ſuæ bellum ſibi ciere. Futurum eſt, ut quondam Adulator, qui in Aula exultat, æternas inter flammas præda fiat venatoris tartarei. Quod autem, ô Principes, hauriatis ſolatium, Adulatorem perenni igne cremari, in ſuæ ſupplicium iniquitatis? Vobis omnino conducit oraculum Q. Curtii: *Adulatio perpetuum malum Regum, quorum opes ſæpius Aſſentatio, quàm hoſtis evertit.* Etiam Divus Petrus Damianus aureâ eloquentiâ veſtris obſtrepit auribus: *O infelix, & deceptioni ſemper*

l. de Id. lib. gen.

l. 8.

Opus c. 58. in prooe.

obnoxium humanæ faſtigium dignitatis ! Evertunt oppidò humanæ dignitatis faſtigia Aſſentatores, & quos offenderint in ſerenæ mentis culmine ſtare, deturbant, atque devolvunt, argumento, quia aſſentatio virus eſt pernitioſiſſimum, cui maximè Principes obnoxios ſe meritò deplorent. Nihil proinde efficaciùs ad ſpem perficiendæ Sapientiæ mentes erigit, quàm quùm eos, qui præ adulationis tenebris Sapientiâ non clareſcere miramur, identidem nobis adeſſe meminimus.

10. Ad oram Tagi, cujus in undis, velut in ſpeculo, utinam ſe ſe contemplarentur Aſſentatores Narciſſi, ac humanæ vitæ lubricum agnoſcerent; antiquum erigebat thronum Sebaſtianus Luſitaniæ Rex, cujus præcordia totum ſpirabant Martem, qui in ætatis flore præcoces gloriæ fructus collecturus, Macedonis veſtigiis anhelus inſiſtebat. Luſitaniam ab Africa dirimit Gaditanus. Gignit illa monſtra ferina, hic monſtra parit bellicæ fortitudinis. Hinc Moleimamettus Æthiops, cognomento Scriffus, à Moleimolucco ejus patruo, cui jura debebantur, uſurpatarum regionum Imperio dejectus, Sebaſtiani brachium ſupplex implorat. Auſtriacus Hiſpaniarum Rex Philippus Secundus, unà cum Cardinali Henrico, Luſitaniæ Regis patruo, nervos intendit, quò juvenem à propoſito removeret, expeditionemque amplecti reſpueret, periculo plenam. At præſtigiis Aſſentatorum incantatus, implicat ſe curis, Moleimametti partibus ſtudet, illis ſufflantibus; eſſe generoſi pectoris oppreſſis ſuccurrere, ab Herculibus Luſitanis Africanam hydram debellandam venire, Sebaſtianum, cujus nomini ineſt veneratio, heroem fulgere decere, nec non Barbaris formidabilem. Moleimamettus etenim Aulicos Sebaſtiani corruperat, ampliſſimorum munerum largitione: Queis Rex annuens, ſecus quàm Ulyſſes Sirenum eluſit dulcedinem, inſtructiſſima claſſe tranſmittit, expoſitiſque copiis in ſpatioſo Tarritâ campo, armis arma conſeruntur. Utrobique æquâ lance victoria pendebat; hinc, & hinc, montes aſſurgebant ex magnarum animarum ſpoliis. Tandem ad centum Chriſtianus exercitus internecione deletus, Barbaris palmam cedere coactus eſt, deſiderato quoque Sebaſtiano Rege, cujus cadaver reperiri non potuit. *Ergo adulatio perpetuum malum Regum, quorum opes ſæpius Aſſentatio, quàm hoſtis evertit.* Veritati utique reſponde:

ſponde: *O infelix, & deceptioni ſemper obnoxium humanæ faſtigium dignitatis!*

11. Alieno erudimini periculo, Monarchæ, pernitioſoſque Aſſentatores, veſtris proſcribite Regiis, adulatori aqua, & igni interdicite: Sciatiſque umbræ ſimillimum eſſe; hominem comitatur, ac ſequitur, donec fortuna favet; ſtatim atque adverſatur, aufugit. Corpus, quod ſequitur, æmulari laborat; hinc lupum, vix à cane abludentem, invitatur, qui fidelitatis hieroglyphicum ſe jactat: Similem ſe demonſtrat, cùm attamen contrarius ſit; vitio, ceu virtuti callidus applaudit. Haud facilè ſuis Conſiliariis fidem adhibeant Principes, aſt ad unguem explorent, atque diſcutiant, num explodendum, amplectendùmve, quod illis ſuadetur. Saul cogitationum æſtu fluctuans, quid deliberandum, imminente præpotenti Philiſtiim exercitu, prorſus ignorat: *Et vidit Saul caſtra Philiſtiim, & timuit, & expavit cor ejus nimis, conſuluitque Dominum, &* 1. Reg. c. 28. *non reſpondit ei, neque per ſacerdotes, neque per Prophetas.* Saul irrito conatu Conſiliarios venatur. Fulgurantis gladii jubar illi formidinem incutit, omnique deſtituitur auxilio, viduatur ſuppetiis: *Dixitque Saul ſervis ſuis, quærite mihi mulierem habentem pythonem, & vadam ad eam; & ſuſcitabor per illam.* Hìc indagat ingenioſiſſimus Cajetanus, cur Saul pythonem quæri mandet, qui nuperrimè *abſtulit Magos, & ariolos de terrâ?* Reſpondit; *quòd Saul vir prudens, cogitabat id, quod communiter accidit, remanere ſemper aliquem occultum.* Nulla non admoveatur machina, adulatores eliminentur, ſemper aliquis hærebit occultus; cùm enim, judice Platone, præſtigiis incantent, mirâ dexteritate imponent, vel Argum fallentes.

12. Planè Alexander Magnus perſuadere ſibi minimè potuiſſet, in templis, apud Oracula hanc Mortalium peſtem nutriri. Nihilo ſecius templi Sacerdotes, Deum eſſe. Jovis filium pariter dicebant: Quem parens fatuitati ſubtractura, filio hujus tenoris codicillos dare maturat: *Olympias mater Alexandro. Scripſiſti ſuperioribus diebus te Jovis filium: Poſthac, amabò, fili mi, quieſcas, nec deferas me, neque criminare adverſus Junonem; Magno mihi prorſus malum dabit, cùm tu me literis tuis pellicem illi eſſe confitearis. Vale.* Fortaſſis Alexander hac lepidâ correctione illuſtratus, in amplexus germanæ

ruit

ruit virtutis, ſeveróque ſupercilio eliminavit Philoſophum, quem informatorem ſuorum morum accerſivit, at formidoloſum correctorem expertus eſt. Hæc metamorphoſis altiorem ſapiebat indaginem. Hinc Aulici peripetiam admirati, cauſam ab Alexandro quærunt, quibus ille: *Si mala, quæ facio, non intelligit, eſt inſipiens: Si intelligit, & non arguit, eſt malevolus adulator.* Cui ſententiæ ſe lubens ſubſcribit Divus Auguſtinus: *Duo ſunt genera perſecutorum, ſcilicet vituperantium, & adulantium: Sed plùs perſequitur lingua Adulatoris, quàm manus perſequentis.* In barathrum luctuoſiſſimarum ruinarum C. Caligulam una deturbavit Aſſentatio. Deum illum adorabant adulatores. His illiciis ineſcatus, quadam nocte delirando, fingit Lunam ſibi accubuiſſe, ceu cum Superis duntaxat commercia necteret; Vitelliumque interrogat, num conjunctos ſpectâſſet? Reſpondit (in ſuſpenſo ſum, an per adulationem, ironiamve) *Domine, ſolis vobis Diis licet invicem videre.* Jovem te jactabas, mundum qui valeat fulminare. Verum ignoraſne, tibi dicenti: *Utinam populus Romanus unam cervicem haberet!* reſponſum fuiſſe, *at tu unam cervicem habes, nos verò manus multas.* Natus eſt medius inter exercitûs enſes, adulationis mancipium, ut ferro periret: *Quarto Imperii anno necatur à ſuis, ferro quidem per obſcœna adacto, ut cauſa cædis extaret.* Pharaonem quoque perdidit Aſſentatio. Ortus eſt occubiturus in arena. Se Deum ratus, dum aliud Numen appellari audit, exclamat, *Quis eſt Deus?* O lethum inopinum. Subire naufragium, ponto in ſcopulum degenerante! O acerbus dulcis Aſſentationis fructus! Ne proinde voluptas adulationis aures titillet.

in Pſal. 59.

Dion. l. 59. Zonar.

Turſellin. l. 4.

13. Infelices ſanè Principes, quos lethalibus palpatorum inſidiis ſubjectos vulgus deridet, aut deflet. Adſcribatur aut fato, aut cujuſdam culpæ ſupplicio, neceſſum eſt. Aſtyages iratus fremit adverſus inauſpicatum Harpagum. Inviſum vexaturus, omnem movet lapidem. Natum ejus evitat, eſcámque porrigit patri decoctam, furoris decoquendi ignarus. Harpagus probroſum timoris dominium patitur, formidinis jugo colla ſubdens, quem doloris atrocitas expugnare nequivit. Comedit; factus vivum ſuorum mortuorum viſcerum ſepulchrum. Quærit Aſtyages, an ad palatum fuerit ferculum? Harpagus gnarus vel ceſſantibus ventis, timendam eſſe

maris

maris agitationem, hoc apponit reſponſum, ore adhuc humano cruore fœdato, nunquam eſcam guſtâſſe hac ſuaviore. O perfide adulator! Quì linguam ſolvendo fuiſti, deterrendus nati denati horrido ſpectaculo, perinde atque Meduſæ capite? Cur doloris acerbitas, ut Niobem, marmoream te non mutat in ſtatuam? Aſtyages Harpagum amore proſequitur; quis etenim, mœroris Oceano innatantem, adulationis obſequiis militare poſſe cenſeret? Quàm delicata, quàm ſubdola contingat Aſſentatio, nulla linguarum expreſſerit. Harpagus filium devoravit; eſt etenim piſcium (tales ſugillare juvat adulatores) ſe ſe mutuò devorare. Natate, natate in piſcina, Narciſſi adulatores. Labuntur in undis adulatrices Sirenæ; verùm cùm vivant canendo ut illaqueent, moriuntur ſtridendo in proprium tormentum. Revocando igitur Aſſentatori ad bonam frugem, propriæ mortis recordationem peropportunam arbitror.

14. Adulatores, publicam decoquentes ſalutem, paſſim novimus eſſe Principum Conſiliarios, ac Aulicos. Occurrunt potentes, formidabiles; quorum auctoritatem ad trutinam expendens tolerantiæ Prototypus, exclamavit: *Quis arguet coram eo viam* *Job. c.*
ejus, & quæ fecit, quis reddet illi? Obſervat Divus Gregorius, *21. 31.*
quoties Scriptura loquitur interrogando, quid arduum declarari, ac propemodum uni Deo poſſibile: Quemadmodum contigit, cùm Jacob dixit, loquendo de Chriſto mortuo ſub metaphora Leonis Judæ: *Quis ſuſcitabit eum?* David inſuper: *Quis eſt homo, qui vivet, & non videbit mortem?* Quis ergo (teſtatur Pſalmographus) in Aſſentatorem ſancto armabitur zelo, quis ejus temeritatem increpabit, *quis arguet coram eo viam ejus?* Quis, inquam, audeat cum Aulicis digladiari? Potentiam, dignitatémque nemo non formidat: Quippe carceris ſqualori mancipatur Baptiſta, quique Verbi vox fuerat, Herodem arguens, ferro truncatus obmuteſcit. In Jeroboam Propheta laxatis invehit habenis; cæleſtiſque nuncius catenarum nexibus implicatur, compedibuſque conſtringitur. Nullus ergo, quominus pateat opprobriis, arguendo ſe ſe accinget. At modum ſuggerit Jobus: *Ipſe ad ſepulchra ducetur, & in congerie mortuorum evigilabit.* Non ſententiarum pondere, non argumentorum ſubtilitate, ab exercitio deter-

rendi veniunt Aſſentatores, aut blanditiis, & illecebris; aſt deducendi ad cœmeterium, ad extinctorum congeriem, dediſcant ut imponere. Spartam, quam nactus invenior, demandatámque provinciam exornaturus, tibi refero tumulum, adulator Narciſſe, apud quem ingenuitas in fundo eſt. Hoc in cadaverum fundo, ubi tua naufragat vita, velut in ſpeculo temet contemplator. Deprehendis te cinerem, reſolvendus in cinerem, exiguam poſt temporis intercapedinem. Ex oculis pus effluet, os putredinem evomet, ſcorpiones corpus devorabunt certatim; Congeſtas opes partientur hæredes, animam verò poſſidebit Orcus, tuum erit lucium ignis æternus, *in congerie mortuorum evigilabit.* Apud Hebræos vocabulum *Sakad* denotat interruptam vigiliam, atque prolixam, præ cogitationum moleſtarum anxitudine, quemadmodum accidit Dario, quum Daniel in lacu voracium leonum detentus languebat;
Dan.6. nam, *abiit in domum ſuam, & dormivit incœnatus, & ſomnus receſſit ab eo.* Proinde in ſacris Paginis hujuſmodi vocabulum legitur, ad oſtendendam talem vigiliam. *Evigilate juſti*, Divus Paulus hortatur, ac ſuadet, *& nolite peccare.* Princeps autem Apoſtolorum, *ſobrii eſtote, & vigilate.* Angelus Apocalypſios intonat Epiſcopo Sardenſi; *eſto vigilans*: Chriſtus autem cunctis hominibus, *Vigilate itaque, quia neſcitis diem, neque horam.* Ergo *in congerie mortuorum evigilabit.* Ingenium tuberoſæ deprehenditur in hominibus, dum veſpere, quàm mane ſuaviùs, halant: Siquidem ad lethi veſperam quendam pretioſum virtutis odorem ſpirant, aſtipulante Sapiente: *Melius eſt dies mortis die nativitatis.*

15. Miſerentis cœli benignitas, beneficiorum identidem prodigi, Pharaoni, adulationis lenociniis excœcato, illuminando ſtudet, nec non convertendorum ſatagit Aſſentatorum aulæ; dúmque patientiæ miracula Numen edit indulgentiſſimum, pervicaciæ prodigiis patrandis agglutinantur: *Dixitque ad Moyſen: loquere ad Aaron: Extende virgam tuam, & percute pulverem terræ, & ſint ſciniphes in univerſa terra Ægypti. Et extendit Aaron manum, virgamque tenens, percuſſit pulverem terræ, & facti ſunt ſciniphes.* Magnum portentum, ſciniphes mox emerſiſſe ad virgæ percuſſionem. Quid autem ſibi velit vocabulum ſciniphes, indagare ne pigeat. Cajetanus adhærens placitis Joſephi, Rabbi, Hebræorúmque ſe-
ctato-

ctatoribus, aſſerit : *Etiam mulierculis Hebræis notam eſſe vocem* *in c. 8.*
ſcinim, aut Sciniph, pediculos ſignificare. Ex diametro teſtatur Phi- *Exod.* *2. An-*
lo : *Sciniphes fuiſſe animalia moleſtiſſima, minutiſſima, circa oculos* *tiqu.*
volantia. Quod & Origenes affirmat : *Hoc animal minutum per ae-* *c. 13.*
ra volitare, & in aere teneri ſuſpenſum, corpus tamen cùm inſederit, *de vit.*
acutiſſimo terebrare ſtimulo ; ita ut quem volitantèm quis videre non *Moſ.*
valeat, ſentiat ſtimulantem. Cum hoc ſtat Divus Auguſtinus : *Sci-*
niphes natæ in terra Ægypti de limo, muſcæ minutiſſimæ, inquietiſſi- *Hom. 4.*
mæ, & inordinatè volantes, in oculos irruentes, non permittentes homi- *in Exo.*
nes quieſcere; dum abiguntur, iterum redeunt. Quarum tantus exti-
tit numerus, *ut velut extenſa nubes totam obumbraret Ægyptum. Ubi-
que eorum examina inſurgebant, quæ nullatenus vel levem concedebant
quietem ſedentibus, comedentibus, aut dormientibus. Cùm quis penetra-
libus ſe includebat, ut quietè dormiret, ibi ex pulvere excitati penetran-
tes, intercipiebant ſomnum.* Hinc Divus Auguſtinus more ſolito ad-
modum ingenioſè, ſciniphes conſtituit inquietis Symbolum. Nunc
ad moralitatem progrediamur. Conſidera quid præſtet manum ex-
tendere, virgáque percutere pulverulentam ſuperficiem, ô adu-
lator. Quæ verò manus animæ noſtræ, niſi mens, ac intellectus,
perquem (ſubnectit Doctorum Aquila) *res capit, & apprehendit* ? *l. de*
Virga cogitatio eſt, mortiſque ſeria cogitatio. Quoties contem- *conſer.*
platione ultimi finis humani, nativum percuties pulverem, certò *87.*
ſciniphorum inſurgent examina, ut vigiles ; in congerie mortuo-
rum evigilabit. Si, remoto ſepulchrali lapide, perpendes, te futu-
rum fœdam putredinem, cinerem, tibi fuiſſe ſimiles, quos tumu-
lus condit, te mox iiſdem cimmeriis obruendum, involvendùm-
que : Omnino expergiſci diſces, ac evigilabis. Divus Bernardus
ſubnectit : *Anima mea, quis erit ille pavor, cum dimiſſis omnibus,* *in Me-*
quorum tibi præſentia eſt tam jucunda, ſola ingredieris, & ignotam pe- *dit.*
*nitus regionem, ubi occurrenda catervatim teterrima monſtra videbis ?
Quis tibi in die tantæ neceſſitatis ſuccurret ? Quis tuebitur à rugienti-
bus præparatis ad eſcam ? Quis conſolabitur ? Quis te deducet ?* Illi-
ne forſitan adulatores, qui Eliæ perſecutionem Jezabel ut æquam
inſtillarûnt, licitámque vineæ Naboth rapinam ? Fortaſſis adula-
tores, quorum illiciis ſe Veneri venuſtatis palmam præripere am-
pullabatur, digna, cui vel Helena ceu coſmeta ancillaretur ?

Quis ergo Aſſentationis dulcedine tangeris, in congerie mortuorum evigila, lethum recogita, quo minus Sirenum inſtar ſupremum diem claudas.

16. Divus Ambroſius fabulæ Sirenis nomen tribuere minimè dubitat. Quidquid denique ſit, Iſaias affirmat: *Sirenes in delubris*
Cap. 13. *voluptatis*. Theodoretus cum Lyrano ſic explicat Gloſſam: *Sunt piſces marini, in formâ muliebri in parte ſuperiori apparentes*. Procopius autem: *Sirenes quieſcent in delubris voluptatis, quæ dulci & mortifero carmine animas trahunt in profundum, à lupis, & canibus devorandas*. Ulyſſes illarum dulcedini aures obturans, Principes erudivit, Aſſentatorum blanditiis nullatenus acquieſcendum eſſe. Hoc pravum palpatorum genus originem traxit à tyrannis, Regibuſque corruptis, teſte Ariſtotele; qui, à rationis tramite deflectentes, comiter amplectebantur, quos ſuarum actionum obſcuritati, lucem mediâ Aſſentatione aſpergere nanciſcebantur; E regione inviſi ſuis correctoribus, qui ſcelera perſtringebant, Cynicóque ſale mordebant: Quippe *nemo adulatur* (annuente prætac-
5. Polit. to Philoſopho) *qui liberum animum gerit: Nam viri probi vel amant, vel certè non blandiuntur*. David, quem tyrannidis furor non involvit, atque poſſedit, aſt ſanctiſſimum ſe Regem probavit; ſua voluit aulâ eliminatos Aſſentatores, cæterùm correctorum ſtudioſiſ-
Pſ. 140. ſimus: *Corripiet me juſtus, & increpabit me; oleum autem peccato-*
l. 2. 8. *ris non impinguet caput meum*. Cur autem oleum reſpuit, de quo
Sim. Galenus: *Hæc eſt proprietas olei, ut ſi commiſceatur calidis, calidum*
c. 22. *ſit, ſi frigidis, frigidum*. En ſymbolum Aſſentatores, myſticè loquendo, cujus oleum Propheta repudiat: *Quid eſt Oleum peccatoris*, quærit Auguſtinus, ſibique reſpondet: *Niſi falſa laus adulatoris? Hæc eſt Oleum peccatoris*. Aſſentatoris Chinæ roſas æmulantur, eadem die varios induentes colores. Candidas dum manu ſtringis, illico degenerant in purpureas. Oleum redolent, cum calidis calidum, frigidum cum frigidis, ſemperque maculant, & malè olent.

17. Nedum oleum naturam exprimit hujus mortalium fœcis, ſed inſuper apes, juxta Eucherium, hieroglyphicum illorum formant: cum mella ore geſtent, in occulto verò acutiſſimo armentur ſpiculo; unde decepti tam exiſtimationem, quàm conſcientiam

etiam pungunt, nec non lædunt. Alciato arriſit hoc exhibere in Emblemate chamæleontis:

Semper hiat, ſemper tenuem, qua veſcitur, auram,
Reciprocat chamæleon.
Et mutat faciem, varios ſumítque colores,
Præter rubrum, vel candidum.
Sic & Adulator populari veſcitur aura,
Hianſque cuncta devorat.
Et ſolum mores imitatur Principis atros,
Albi, & pudici neſcius.

Sunt enim alieni ingenuitati, quam denotat candor, verecundiæ ſuccenſent, quæ in genis conſpicua, triumphat in ore. Hinc campum aperuit Juvenalis acutiſſimæ Satyræ, horum pravitas hominum, allaborantium technis.

Natio comœda eſt, rides? Majore cachinno
Concutitur; flet, ſi lachrymas aſpexit amici.
Nec dolet igniculum brumaſi tempore paſtus,
Accipit Endromidem: Si dixerit, æſtuo, ſudat.
Non ſumus ergo pares: Melior qui ſemper in omni
Nocte, dieque, poteſt alienum ſumere vultum,
A facie jactare manus, laudare paratus,
Si benè ructavit, ſi rectum minxit amicus,
Si Trulla inverſo crepitum dedit aurea fundo.

Modò Apollo & Pierius Valerianus, Aſſentatoris ori fiſtulam imponunt, ad pedes cervum locant; quem cùm ſonus demulceat, *L. 7.* decipit, prædámque venatoribus tradit. En ſpirans imago, ſimulacrum adulationis incantantis! Quippe quem rapuerit haut meritorum encomiorum dulcedine, ſuum catenat mancipium.

18. Cùm autem ſimilitudinibus utamur, Aſſentatoréſque in piſcinâ poſuerimus, expleto Habacuc dicto, *facies hominis quaſi piſces maris*, mortuis piſcibus ſimiles affirmarem, quo inter Aulas abaptiſti reperiuntur, quod mortuis piſcibus congruit. Illis vera

 vita

vita ineſſe non poteſt cùm verâ operatione non gaudeant; Ac quemadmodum in exceſſu Claudii Imperatoris Seneca dicere minimè dubitavit: *Deſiit videri vivere*; æquâ lance in Aſſentatorum obitu affirmare licebit, deſinere à nos fallendo, nobis perſuadendo, adhuc ſe vivere. Emortuæ ſunt animæ, corporis ſepulchro reſtrictæ, ac utpote mortui piſces reſpuuntur à Numine. Nullatenus veritati reſpondet, in Levitico piſces vetitos fuiſſe, ceu victimas altaris, quatenus populi taciturni, ac elingues, celebrando Creatori impares habebantur. At teſtatur Abulenſis. *Quia ea, quæ Domino offerebantur in animalibus, viventia eſſe debebant; & quia piſces rarò adduci poterant viventes ad Dominum, ideo non decebat de illis offerre.* Cùm ergo piſces mortui in ſacrificium offerri non poterant, cur Principes in aulis Aſſentatores admittunt. Naturâ ſtellæ immutabiles ſcintillant. Attamen notandum, quid propinquitas, uſuſque in quâdam domo præſtet. David affirmat, ſupra ſolidas cœli ſapphiros liquidas fluere aquarum ſapphiros: *Et aquæ omnes, quæ ſuper cœlos ſunt.* Hocque probat Divus Auguſtinus, ex qualitate frigidiſſimi ſyderis Saturni. Quì verò frigidum eſſe poteſt ſidus illud, ſtella Saturni, *quæ tantò debet eſſe ardentior, quantò ſublimior, & cœlo propinquior*? Sibimet reſpondet Doctorum aquila: *Fecit frigidam aquarum ſuper cœleſtium vicinitas.* Ergo, ne ex conſortio adulatorum corrumpantur Principum animi, aulis expellendi veniunt.

Pſ. 118.

de Gen. ad lit. c.

19. Attamen propriis calamitatibus indormientes Principes, illos & patiuntur, & remunerantur; ut proinde adulatio vocetur peſtis pretio conducta: Fortaſſis quoniam hoc in malo quandam deprehendunt pernicioſam voluptatem, quæ falsò blandiendo excœcat amatores ſuos. Hinc Plutarchus, *ſimia cùm nec domum poſſit ſervare more canis, nec onera gerere, quemadmodum equus, nec arare, ſicut boves, paraſitatur, ac riſum movet; ſic adulator, cùm in ſeriis, ac gravibus rebus neſciat eſſe uſui, voluptatum miniſter eſt.* O ſi ſaltem ut ſimiam, illum catena conſtringeret. Diogenes interrogatus, quod animal judicaret omnium pernicioſiſſimum, reſpondit: *Si de feris ſentis, tyrannus; ſi de cicuribus, adulator.* Attamen ego illum ſugillo vel ſylveſtrium ferarum longè ferociſſimum, ac indignum ſæpe. Achab plurimos cogit Prophetas, ex queis percuntatur: *Ire debeo in*

Laert. l. 6.

in Ramoth Galaad ad bellandum, an quieſcere? Ille certando occubuit. Qui verò falſi Prophetæ, veri Aſſentatores reſpondêre? *Aſcende, & dabit eam Dominus in manu Regis.* Rurſus, *fecit quoque ſibi Sedecias filius Canaana cornua ferrea, & ait: Hæc dicit Dominus, his ventilabis Syriam, donec deleas eam.* Sedecias adulator erat, & beſtia immitiſſima, hinc cornua, & quidem ferrea, geſtare debebat. An Libyæ ſolitudines, Caucaſique cacumina tam feram nutriunt feram? 3. Reg. c. 22.

20. Quàm auſpicatò Principes ævum degerent, ſi Aſſentatores abigerentur ab aulis, nec veritas exularet; quam ſi ſuſtinere gravantur, ſaltem perſequi dedignentur. Intempeſtâ nocte quidam milites quoddam Antigoni facinus, mordaci linguâ carpebant, Alexandro admodum familiaris. Murmurantes ad tentorium, ipſemet audivit, vocémque diverſam aſſumens, aliàmque loquentem perſonam ſimulans, illos talibus interpellat: procul à Regis tentorio, quominus veſtra colloquia illius aures pulſent, ſi lubet, murmurationibus indulgeatis. Quilibet obtrectatorem ſuum, citra ſtomachum, æquo animo ferat, ac molliter habeat; nullus etenim non gaudet linguæ licentiâ, libertatéque. Statutum eſt, omnes cogi fato concedere. Utinam adulatores, ut ego, Principibus lethi contemplationem ſuggererent. *Amicus animæ cuſtos eſt*, teſtatur Divus Gregorius. Ergo in aulis habent hoſtes, quoniam perdendæ Principis animæ pertinaciùs ſtudent. Ergo mortem illi inculcent, ſi cupiunt illis; Illudque Democriti ingeminent: *Impiè, & imprudenter vivere, non tantùm eſt malè vivere, ſed diu mori.* Hoc Senecæ oraculum repetant illi erudiendo: *Quid enim cuiquam ſatis tutum videri poteſt, ſi mundus ipſe concutitur, & partes ejus ſolidiſſimæ labant? Si quod unum immobile eſt in illo, fixumque, ut cuncta in ſe intenta ſuſtineat, fluctuat, ſi quod proprium habet terra perdidit ſtare?* Lethum ruminentur tam Reges, quàm adulatores, ut Regiam convertant in templum. *Anticipaverunt vigilias oculi mei*, exclamat David; Rurſumque, *turbatus ſum, & non ſum locutus.* Velut ſtatua marmorea vel verbum proferre neſcivi, ita ut omnibus abſtinerem eloquiis, quæ vel adulationem, vel iram, vel ultionem, certè obſcoenitatem ſaperent, ac ſpirarent. Quo verò Fonte, tam eximiæ pietatis ſenſus manavit! O Regie-

gie Propheta? *Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui.* Sic & tu Aſſentator, palpum ſuccenſebis Principibus obtrudere, quoties æternitatem, poſt lethum, mente pervolves.
Pſ. 76.

MERCATORES AD FONTEM.

CAPUT VI.

1. FElicitas, adoleſcentula nuda, aureo crine decora, lauro coronata, peregrina videtur nunquam inexercita, quum ubique locorum quæſita, cujuſvis repudiat amplexus. Niſi mavis aſſerere, utpote animi quietem in poſſeſſione boni ardenter deſiderati, ac deſiderabilis, in hac lachrymarum valle, ubi vix reſpirare licet, & aliqua perfundi dulcedine, ſolatio, voluptate, ſpinis undique pungentibus, *ſpinas, & tribulos germinabit*: Venantium ſe ſolertiam, ac vota eludere, cùm vehementiùs illam anhelant, & inhiant, otium nacti magis otioſum. Salomon, cui nil incompertum, qui cuncta propemodum callebat, eàmque quærere potis habebatur, laboris vanitatem denudat in prolixo locorum catalogo, ubi caſſa contigit illius præda, anxiùs fugitivæ veſtigiis inhærenti. Ille, ſecum reputans, *locutus cum mente meâ*, repetit, & effatur, *ædificavi mihi domos*: Mihi magnificas, ac ſplendidas ædes, nepotinámque habitationem excitaturus, nullis expenſis peperci; auro radiabant tabulata, ex Libani cedris, odoriſque compacta Baſan lignis; pavimenta nitidiſſimo fulgebant marmore, ſpeculi ritu. Ne quid voluptariis deliciis deeſſet, mulcendis oculis, animiſque recreandis, prope Regiæ cultiſſimos parietes, *feci hortos, & pomaria*: Ubi Pomona cum Flora certante, hinc florum varietate tellus veſtita ridebat uſque ad ſolatium ſpirantium; illinc pomorum amœnitas, quæ libantibus mellitiſſimam pollicebatur ſuavita-

vitatem, palatum irritabat, manum ad rapinam ſolicitans. Has inter frondoſas delicias *extruxi piſcinas aquarum*, uti liceret germina irrigare, unaque penitùs obtutibus lenocinari, quoniam ibi ludente lymphâ, dum ſudum eſt, decidunt imbres. Interdiu perennis luſciniarum melodia, vel maximè afflictis dulcedinem inſtillabat, inque ſpem mitiſſimorum erigebat. Quarum ego ſuavitate provocatus, *feci mihi cantores, & cantatrices.* Meæ Muſicæ choros conflavit, ac concinnavit ſuavitas, quæ corda ſexcentûm deprædando, innumeros ſtringebat captivos: Innumeros, inquam, quippe *poſſedi ſervos, & ancillas, multamque familiam.* Septingentis conſueveram Regiis uxoribus, ex quarum nutibus ingens pendebat familiæ ſtrepitus, necnon in univerſorum commodum, meis in ſtabulis quadraginta nobiliorum equorum millia alebantur, præter eos, quos duodecim millia ſtabula capiebant, trahendis rhedis, ac curribus deſtinatos, quadrigarum numerus autem erat quadringentus ſupra milleſimum. Magnifica planè familia, aula decora. Penus verò claves penes erant abundantiam. *Coacervavi mihi argentum, & aurum, & ſubſtantias regum, & provinciarum.* Auri tam alti domi meæ ſurgebant montes, ut veluti nullius pretii, ceu cœnum ſordeſceret poſſeſſori. Itaque totius propemodum Orbis pretium, ipſiſſimæ fortunæ opulentia, ſceptra, diademata, purpuræ meis ſerviebant obſequiis, ceu patrimonium meæ bracteatæ fauſtitatis. Tandem *tranſivi ad contemplandam Sapientiam.* Totius opificium naturæ, magiſque recondita arcana, curioſum propoſui meæ contemplationi ſpectaculum. Liquidò cognovi vel puriſſimarum cœli ſapphirorum materiem, inacceſſa Solis lux, ſtellarum numerus, motus, qualitates, influxus, effectus, Principes cauſæ perſpicuæ mihi fuerant. Vim, atque virtutem omnium herbarum exploratam habui, exordiendo, *à cedro, quæ eſt in Libano uſque ad hyſſopum, quæ egreditur de pariete: Et diſſerui de jumentis, & volucribus, & reptilibus, & piſcibus. Omnia, quæ deſideraverunt oculi mei, non negavi eis, nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur.* At quid inde? *vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi.* Concava vallium, montiumque ſublimia percurri, Oceanum ſulcavi, ſupra nubes graſſatus ſum, cuncta diſcuſſi, nil intentatum reliqui, quò meæ ſedulitati, meis laboribus felicitatis aucu- *3. Reg. c. 4.*

pium, quà merces, quà præmium rependeretur. Verùm enim verò *vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi.* Salomon mortalium longè ſapientiſſimus, integrum mundum ſúſque déque vertit, nec apicem felicitatis intra ſe deprehendens. Attamen nonnulli occurrunt, quorum cœcitas in mercatura (ſic affirmant, ſic eam vocant) germanam felicitatem locare non dubitet? Quæ verò effrænior fatuitas?

2. Felicitati nil ineſt amari, ac, penes Ariſtotelis judicium, *felicitas eſt, quod vitam ſufficientem, optabilem, ac nullius indigam præſtat.* Et alibi, *felicitas eſt virtus in vita perfecta.* Quì proinde rogatus Jaſon Theſſalus, quod tormentum graviùs affligeret, amantis zelotypia, mercatoríſve aviditas, reſpondit, *alteram juſtam pœnam eſſe laſciviæ, alteram avaritiæ.* Neutrum eſſe optabile, inficiabitur nemo, ſit autem alterutrum nodoſius, quæritur. Quid ſibi velit Zelotypia, quale ſit ejus tormentum, intelligitíſne Narciſſi Mercatores? Forma fuerit inviſibilis, cui parentis loco contingit amor, matris vicem ſubeunte formidine. Obſtetricem tetricam ſortita ſolicitudinem lachrymarum paſcitur lacte; eóque voracitatis procedit, ut neque cogitationi, quæ nutricem deſignat, parcat. Infans venenoſa, in luctuoſi cordis excidium adoleſcit. Dubiam tenellam faſciis conſtringit, cum ſpe colludentem. Propriâ in calamitate adulta, inter ſphæras nullum occupat ſubſellium; non enim inter Seraphim flammas, illius habitat gelu: Nec attamen Orco mancipatur, utpote amoris filia, quòd apud tartara duntaxat odium regnet, atque rancor. Humano in corde ſolium erigit, quod ſuo corrumpit virus, ac perimit, rurſuſque lancinandum reviviſcit. Ex ſomni jacturâ, jam effecta lymphans, metit, ubi non ſeminavit; naufragat, ubi non navigat; corruit, ubi non ædificat; Debacchatur, ſuóque gelu furoris parit flammas, ardet, obvia quæque conſumit, extra ſe ipſam omnia faſtidiens. Eluceſcit itaque, zelotypiam amorem eſſe rivalis impatientem. At ſatius illam appellaverim inſolens amoris tormentum, novum ſuâ in tyrannide Perillum. Sic eſt, *altera juſta pœna eſt laſciviæ, altera avaritiæ.* Nec apicem à zelotypia abludit, O Mercatores Narciſſi, effrænis veſtra cupiditas! Ixionis rota vos torquet, gyrum paventes fatalem. Jacturæ formido Titii vultur fuerit, ingenſque expoſi-

tarum mercium pondus, Siſyphi ſaxum. Quì aureo in inferno viventes, felicitatem veſtram inflatis buccis, crepare non erubeſcitis. Guttur aduſtæ opes aſſurgunt, nec ſatiamini. En Tantalus, aureo innatans Oceano, alienæ indigus opis. Oppidò, *altera juſta pœna eſt laſciviæ, altera avaritiæ.*

3. Hinc Mercator Tantalus, haut ſecus atque laborans hydrope, largiùs potus, ardentiùs ſitit; quem Divus Auguſtinus inferno ſimilem declarat: *Avarus vir inferno eſt ſimilis, infernus enim quandocunque devoraverit, nunquam dicit ſatis eſt. Sic & ſi omnes theſauri confluxerint in avarum, nunquam ſatiabitur.* Littori navis appellit, Alexandriæ mercibus gravida, alia quoque ſolvit ex Mexici oris, tertia pretioſiſſima Aſiæ, Africæque advehit, nec adhuc Mercator ſacram auri famem, ſatiare didicit, ſed inſuper piſcatur uniones, elementa deprædari maturat, cœleſtibus pariter inhians lucris, corruptâ aviditate. Hinc exclamat Divus Auguſtinus: *O homo, num ignoras, quòd omnium malorum radix avaritia eſt, & ſervitus idololatriæ, mater uſuræ, genitrix Simoniæ, pœna vitæ, nutrix gehennæ? O avaritia abyſſus inſatiabilis, ſemper fameſcis, ſemper triſtaris in cunctis. O peſtis interminabilis, ô famelica rabies! Nam omnia ſuis terminis clauduntur, ſola avaritia nullo clauditur fine. Omnia in homine ſeneſcunt vitia, ſola avaritia juveneſcit. O rabies omni fine carens! terra ſuis limitibus terminatur; aqua ſuis finibus limitatur; aër ſuo fine concluditur; cœlum ſuis terminis arctatur; ſola avaritia terminum neſcit. O avare, qui, ſi cœli, & terræ Dominus fueris, nunquam quieveris, donec te Deo adæquaveris, vel fueris ſuperior Altiſſimo. O peſtis dæmone ſævior, nam Dæmon ſimilis Altiſſimo eſſe voluit, ſed avarus Deum, ſi ſuperaſcendere poſſet, vellet.* Quæ calamitatum iliades ex oblivione noviſſimi finis paſſim proficiſcuntur, frivolis cogitatione impenſa. En proinde fatuitatem talium increpatam: *Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus ſuis.* Negotiare, Mercator Narciſſe, *unum ſcio* (tibi Bleſenſis objicit) *quòd in ſaccum pertuſum congregas univerſa, nec proderunt tibi in die ultionis, cum enim interieris, non ſumes omnia.* Mors apio redimita, ubique triumphans vagatur:

de Salut. docu. t. 3.

Ser. 98. ad Frat.

Pſ. 75.

Quaque ruit, furibunda ruit, totúmque per Orbem.
Fulminat, & cæcis cæca triumphat equis.

Ita Sulmonenſis cecinit Muſa, cujus evadit echo Cornelius Gallus:

Hac pueri, atque ſenes pariter juvenéſque feruntur,
Hac par divitibus pauper, egenus erit.

Defungendum eſt, hincque, præter rectam, reamque conſcientiam, nil transfertur. Quæ verò, & qualis, ô negotiator Narciſſe, tua eſt conſcientia? Auribus percipite, exclamat Pſaltes, ô populi, ô nationes! Tutiſſimus ad Paradiſum pergam, & ad meum appulſum reſerabuntur aurei poſtes illius gemmeæ portæ. Unde tanta fiducia? *Quoniam non cognovi literaturam*: Alii legunt, *negotiationem*; *introibo in potentias Domini.* Nam (affirmat Bleſenſis) *Sciebat quantum eſſet in negotiatione periculum.* Ingeminare reluctor Salomonis oraculum: *Qui feſtinat ditari, non erit innocens.* Nam ipſiſſimus Ariſtoteles, gentilitatis cimmeriis cœcutiens, eructare non dubitavit, *etiam cùm vitia abſunt, habet ſpeciem turpitudinis negotiatio.* Divus Hieronymus progreditur, ergo *melior eſt negotiatio mortis, negotiatione argenti, & auri.* Tradidit Curtius monumentis de nexu Gordio, triplici funiculo intorto, Oraculum pronuntiaſſe, *additâ Oraculi ſorte Aſiâ potiturum, qui inexplicabile vinculum ſolviſſet.* Alexander impar illi enodando manûs miniſterio, accerſitâ gladii violentiâ, tricas truncavit, ſicque *Oraculi ſortem vel eluſit, vel implevit.* Mercatoris conſcientia, magis quàm nexus Gordius incapiſtrata, cujus ope, amabò, reſolvetur? Unâ mortis cogitatione, tumuli, monumenti, quod *monet mentem*, memoria, lethique inexorabilis falcis recordatione.

Eccl.c.5.

1. Polit.

4. Uſura, quæ, ſecundùm Græcum axioma, ſonat, *partus*, *quòd pecunia pecuniam pariat*; apud Hebræos audit *Neſchec*, nimirum morſus, alienas quippe mordendo ſubſtantias, devorat. *Neſchec* vocabulum, voci nachaſach admodum conſonum, ſerpentem indicanti, denudat, uſuram ſerpentem eſſe virulentum, dum inauſpicati mercatoris cor inficit, atque corrumpit. Validiſſima divini verbi noſcitur efficacia, cui vel nervoſitas artificii Rhetorici palmam

mam cedat, primas deferat: Siquidem una duntaxat oris divini favilla, vehementius excitabit incendium in audientis pectore, quàm Rhetorica ſuis ſuaſionibus ardentiſſimè concitata: *Nunquid non verba mea ſunt quaſi ignis, dicit Dominus, & quaſi malleus conterens petras?* Attamen cui tribuendum, nonnunquam noſtris in cordibus nil operari? Quoniam tu ab illicitis haut abſtines lucris, neque valedicis uſuræ, quæ, quò magis palliata, eò clariùs Numinis tibi multam minitatur, iteratò promulgatam. Hunc tibi griphum enodabo ſubjecto exemplo. Germanicus, Imperatoris Caii Caligulæ parens, fato concedit, ideóque Romani ſupremo honore cadaver dignari meditantur. Candentibus prunis corpus imponitur, cujus venerabiles cineres in urna ſervarentur, obſequii gratiâ; Verùm cor flammarum vim eludens, illæſum remanet, quoniam, teſte Plinio, Suetonioque, virus à Tiberio propinatum, clauſis poris, præſtitit, quominus calor penetraret. Itaque detectâ fraude, exquiſita theriaca illud deliniunt, ſicque pervium igni, in cinerem redigitur. Uſura, maximè virulentus ſerpens, ô Mercatores, conſcientiam vobis corrupit. Deus eloquitur: *Nunquid non verba mea ſunt quaſi ignis?* At venerata conſcientia fruſtratur ignis efficacitatem, viruſque quàm arctiſſimè eandem conſtringit. Igitur amara lethi theriaca admoveatur, videlicet ſalubris mortis memoria. *Perpende*, hortatur Philo, *quòd ingentes opes ſæpe una dies abſtulit: Multi honoratiſſimi antea verſis rerum vicibus, in contemptum venerunt cum ignominia.* Locuples fortunæ ludibrium evadit, cùm deinde ipſiſſima fortuna, pauperis ludibrium fit. Tecum reputans, ad calculos reducito, ſuadet Divus Bernardus: *Dic mihi, ubi ſunt amatores mundi, qui ante pauca tempora nobiſcum erant? Certè nihil ex eis remanſit, niſi cineres, & vermes.* Oppidò ad hanc conſiderationem, protinus & uſuræ, & lucro nuntium mittes. Chryſoſtomus inquit, *Zachæe feſtinans deſcende*; illicoque reſpondet, *ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus.* Unde tam magnanimus, tam generoſus cumulatarum opum contemptus, uti per calcatas pergat ſe ſe pietatis amplexibus implicaturus? Divus Petrus Chryſologus: *Deſcende ergo, ut deponas tantæ fraudis onera, pondera cupiditatis, uſurarum molem, magiſterium publicani, exactionis crudeliſſimæ principatum; ut expeditius intres pauperis ſcholam, pietatis uſum, ſtudia* virtu-

Jer. 24.

l. de Joſ.

in med.

Ser. 85.

virtutum, *ſcientiam divinitatis*, *Philoſophiam mortis*, mente maneat alta repoſitum, Mercator, *Philoſophiam mortis.*

5. Clotharius Imperator quæſivit à Philoſophorum trino, quibus coloribus ad vivum humana vita pingenda veniret. Reſpondit primus: *Pingendum eſſe florem caryophilli Indici, qui, licet honore, & odore cæteris præcellat, ſi eum tamen teſtudo ſubintraverit, ſtatim areſcit*; *cum Inſcriptione*: *Tales opes momento pereunt.* Secundus ita prompſit; *pingendum Phœnicem, qui, cùm ob plumarum pulchritudinem, aves ſibi ſciat inſidiari, noctu volitat, nec tamen manus aucupis aufugit*; *cum inſcriptione*: *Tantorum laborum ſtipendium, mors.* Tertius ſubnectebat: *Hominem pingi in mari naufragantem, ſupra verò in nubibus aquilam, & anchoram! Cum lemmate*: *Domine, ad te ſunt oculi noſtri.* Diſcutiamus putidiuſculè hæc moralia reſponſa, Mercatores Narciſſi. *Pingendum eſſe florem caryophilli.* Florum quilibet exſiccatur; nullus viventium non moritur; ſinguli Mercatores areſcunt, ac pereunt. Et veſtræ, & alienæ naufragant naves, dùmque peregrinam ſpectatis jacturam, veſtram formidetis oportet. Propriæ vitæ diſpendio, modici temporis uſuram compenſare, ſolveréque compellimur. Evanuêre prædeceſſores noſtri, quorum inſiſtentes veſtigiis, poſteritatem ejuſdem ſortis manere crudeliſſimum tenorem, luculenter erudimus, atque teſtamur; quis etenim divinum eludet decretum? Jam ſepulchra ſcatent jam, reſtagnant, nec adhuc ſaturantur, recentibus cadaverum inhiantia cumulis. Expedit igitur, Negotiatores Narciſſi, non tam aureum Coloſſi caput rimari, quàm luteos pedes. Letho theſauri ſordent, utque caryophillus verſicolor emicat, æqualance omnis ætatis, promiſcui ſexûs, ac conditiones mortales occumbunt. Neque laborabo de hoc evincendo. Diogenes Philoſophum offendens, metaphyſicis rationibus motum non dari, probare conantem, in gyrum ſe ſe convertit. Vos quoque, Mercatores, de grege mortalium occurrere, nullis argumentis evincam, cùm perſpicuum ſit, niſi detrectetis prædeceſſorum interitum ruminari. Humo corpus, cœlo debemus animam. Hinc ad hoc tributum reſpiciens Sapiens, eructavit: *Revertetur pulvis in terram ſuam, & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Cujus veritatis lumen vel Plutarchi menti affulſit: *Quemadmodum mutuata pecunia æquo animo reddenda eſt, ſic vitæ munus, quod mutuo accipimus à Diis,* *citra*

citra querimoniam eſt reponendum. In obitu lætitiâ triumphate, nuntium mittite divitiis, continget, ut hoc pacto ſolvetis graviora debita.

6. Nunc ad ſecundum reſponſum moliamur greſſum, *Pingendum eſſe Phœnicem, qui, cùm ob plumarum pulchritudinem aves ſibi ſciat inſidiari, noctu volitat, nec tamen manus aucupis aufugit.* Spectetur Mercatorum dives venuſtas, qui non plumis ornantur, ſed adamantibus, accitis ex montibus Muccis, dum Negotiatores commercia nectunt cum Frigu. Sapphirum, quiſquis obvias, ſedulus explorator contemplare. Sapphirus, cærulei coloris, minerarum flos cæruleus videtur, cærulea naturæ pupilla, mare lapideum, cœlum in epitoma. Illi ſtellæ non deſunt, eſt etenim undique aureis ſtellata punctis; Tam nobilis gemma quà manus, quà pectus Mercatoris pretioſum conſtituit; imò ubi ſapphirus nullius objecti imaginem in ſe derivat, Mercator quidquid obvium nanciſcitur, ſuis invehit laribus, ſibique locum impetrat. Nulla illum remoratur diſtantia. Saccharum tam Siciliâ, quàm Uveu avidus extrahit, Perſiâ ſericum, aurum Inſula Cimpagu, ubi tantâ nitet copiâ, ut Regium palatium undique illo tectum radiet, ad gemini craſſitiem digiti. Inſuper orientalis ſpectetur Smaragdus, cujus viriditas ſpei ſymbolum agnoſcitur. Ingenitâ pompâ ſuperbus, principem locum gemmas inter ſibi vendicat, ſuæ majeſtatis decori lucidam erigens regiam, quæ amœnitatem uſquequaque ſpirans, feſtiviſſimum redolet tempe: *Omnes herbas, & frondes viriditate ſuperat ſmaragdus*, teſtatur Cardinalis Hugo; Ac velut tentaret in aëre penſiles hortos locare, ceu Regia Ægypti: *Aërem etiam vicinum ex repercuſſione vireſcere facit.* Neque hinc, & hinc ad voluptatem ſpectantium, deſiderantur in ambulacris ſtatuæ, dum *cujus corpus extenſum, ſicut ſpeculum imagines reddit*; hincque *nulla gemma gratior oculis.* Hanc ergo gemmam veſtris obtutibus ſcopum proponite, gemmatûmq; Mercatoris in pileo Phœnicem decantate. Inter tenebras volitat, nunquam ſuos ſepultos oſtendens theſauros, *nec tamen manus aucupis aufugit*; Futurus lethi inauſpicata præda. Mortui ſunt Lydii *Herod. l. 1.*
primi Mercaturæ inventores. Pertinax Auguſtus ſupremæ neceſſitati fecit ſatis, qui, chlamydis immemor, haut ſecus atque privatus, negotiationibus vacabat. Fato conceſſit Demaratus Corinthius, Romam profectus, cujus filius Tarquinius Priſcus poſtmodum Regno potitus eſt, cæterique negotiatores naturæ ſolvêre tributum, quoniam

ſtatu-

Spartia. Valer. l. 3. c. 4. *ſtatutum eſt omnibus ſemel mori.* Mors immitis nemini parcit, quam antiqui Diis adſcripſerunt, quoniam omnia illi victimantur; cui neque ſacerdotes, nec altare deſtinabant, cùm & illi ſacrificandi noſcerentur. Hinc exclamat Divus Gregorius: *Homines carnales, rebus tranſitoriis occupati, ad judicium trahuntur per ſententiam, & tamen habendis rebus adhærent per curam: Duræ etenim menti adeſſe mors non creditur, etiam cùm ſentitur.* in Mor.

7. Tertium me vocat reſponſum ad tetricam ſuàm conſiderationem. *Hominem pingi in mari naufragantem.* Sicuti naufragus jam jam animam efflat, pariter homo, utut extra undas, proximus eſt lethi rapinæ, ſuffocandus laqueo mortis. Galeazzus Marchio Mantuanus, Ticini conſidens, caſtiſſimæ mulieris formam deperiens, proprium cor flavis illius capillis captivum illaqueaverat; cujus oculorum ſtellas ſpectare nequiverat, quin infauſtos experiretur cometas, inter uniones, pyropoſque labiorum, ac dentium, inops evadit ſapientiæ: Dumque præſtolatur oracula ſuæ ſortis ab amatæ ore, hoc per jocum audivit; niſi tuum pectus in me amoris flammas mentitur, ſi meo pendens ex nutu, ſpecimen edas, generoſumq; argumentum, temet Ticino hìc locorum præterlabenti, ocyus injiciendo. Fatuus eveſtigio inſidens equo aquis ſe committit, ac ſubmergitur. Quis unquam crediſiſſet, lympham, frigidámq; migraturam in Lydium lapidem ignis. *En hominem pingi in mari naufragantem*, quàm deceat. Mercator amaras æquoris undas ſulcat. Galeazzus mulieris exarſit amore, Mercator opum; ille naufragium ſubivit præ amoris impetu, hic impellente avaritiâ. Aut forſitan navigavit ſe letho ſubtracturus, lethiferàſque ſagittas eluſurus. Nequaquam, affirmat meus Silos:

Per mare velivolvum fugiat, Mercator, ad Indos;
Inſtitor immenſas congere avarus opes.
Nec fuga te letho eripiet, nec juverit aurum,
Quin tua crudelis ſtamina Parca ſecet.
Divitiis ne fide tuis; latet anguis in auro;
Lethiferas Craſſus mergitur inter opes.

Ergo *hominem pingi in mari naufragantem.* Ceu tot Craſſi, inter opes merſi, deplorantur. Interrogatus quidam, malletné Crœſus eſſe,

eſſe, quàm Socrates, reſpondit: *In vita Crœſus, in morte Socrates.* Quiſquis autem vitam degit ut Crœſus, ut Craſſus, vix ſupremum diem claudet tanquam Socrates, atque Solon. Palmaris oppidò fatuitas! negligitur Mercatura margaritarum Evangelicarum, lucrum, ac negotiatio cœleſtium, ſordidiſſimorum ergò. Nonnulli faſtidiunt, ac ſtomachantur, ſacras percurrere paginas, ut Chriſti verba hauriant, cùm tamen vel in Inſulam Indiæ majoris, Vor nomine, tranſmittere audeant, ſupra cæteras regiones, marinis unionibus refertam. Ibi equi ultra annum haut vivunt, Reges cum ſubditis nudâ comedunt humo, quòd terra egreſſis terra colenda veniat. In horum Barbarorum ſchola, Mercatores, erudimini, ditioréſque documentis, quàm gemmis paterna repetite tecta; nec non ſuccifivum nacti tempus, huic conſiderationi impendite, ad exprimendam mortalium vitam, *hominem pingi in mari naufragantem, ſupra verò in nubibus aquilam, & anchoram, cum lemmate: Domine ad te ſunt oculi noſtri.*

8. Aquila in Sole intrepidas defigit papillas, quam æmulati, perennè Solem ſpectemus divinum, noſtræque ſpei anchoram in illo firmemus. Utrumque Teſtamentum revolvens oſtendi, ſemel duntaxat hocce vocabulum *affluenter* occurrere, in illo Divi Jacobi: *Siquis veſtrûm indiget ſapientiâ, poſtulet à Deo; qui dat omnibus affluenter.* Scriptura loquitur de terra promiſſionis, ubi tam enormis magnitudinis fructus proveniunt, uti de reciſo racemo ab Hebræis exploratoribus teſtatum legitur: *ipſum portaverunt in vecte duo viri.* Quod ſolum omni lætum ubertate, *fluit lacte, & melle*, Numinis manum ſortitum eſt amicam, quoniam omnes ibi delicias plantavit. Nihilo ſecius de fundo ſcatente fauſtitatem, amœnitatémque ſpirante, Scripturæ Textus non memorat, neque dicit *affluenter.* Curque? quia in mundo non invenitur plena copia, ſicut in uno Deo, *qui dat omnibus affluenter*; explicat Gloſſa, *quia dona ejus non ſunt ad menſuram.* Igitur appoſitè appoſuit picturæ ſuæ hoc lemma Philoſophus: *Domine ad te ſunt oculi noſtri.* Nobis Mercatoribus opulentis, at Chriſticolis, Horatius haud dicere poterit:

Num. 13.

Exod. c. 2.

l. 2. *Cur eget indignus quiſquam te divite? Quare*
Templa ruunt antiqua Deûm? Cum improbe caræ
Non aliquid patriæ tanto emetiris acervo?
Uni nimirum tibi rectè ſemper erunt res?

Nos ergo Deo donemus, reſtituamus Largitori noſtro, fonti rivulum. Egentibus quoque noſtras diſtribuamus ſubſtantias, fœnore, ac uſurâ ſanctâ: Quoniam conſtat, Mercatorem illum eleemoſynarium proprio ſepulchro hoc epitaphium adjeciſſe: *Quod dedi habeo, perdidi, quod ſervavi.* Itaque nos, quanti quanti tui ſumus, tibi debemur, tu totus es noſter, *Domine ad te ſunt oculi noſtri.* Nil ſæculi nobis ſapit, nil nobis affricabit, carens firmitudine, nutans, ac vacillans.

9. Exclamat Divus Paulus: *præterit figura hujus mundi.* non dicit, *præterit mundus, ſed figura mundi.* Hinc Os aureum ratum habuit: *Si recta incedere voles, non te adaptes ad præſentis vitæ figuras: Nam etiam ſi divitias objeceris, ſi gloriam, ſi delicias, ſive aliud quodcunque ex his, quæ magna eſſe videntur, figura tantummodo ſunt, non ipſius, quæ in rebus eſt veritatis demonſtratio.* Lenociniis ſæculi voluptates imponunt. Deſcende ergo ut deponas deploratæ fraudis onera, cupiditatis pondera, uſurarum molem. Perpende, te fugam letho nullatenus eripere; Exclama cum Divo Auguſtino: *Heu miſeria ſuper miſeriam! Mundus clamat deficio, tu Domine clamas reficio: Et miſeria mea prava magis ſequitur deficientem, quàm reficientem.* Vanitati Mercatores inhiant, ut deprehendant quæſitam, longinqua ſuſcipiunt itinera, aucupaturi fugientem, inſudant ſolertiæ, Numinis autem amplexibus implicari minimè ſitiunt, non æſtuant, Dei poſſidendi non ſatagunt, *qui dat omnibus affluenter.* Mortis memoria exploditur, haud perpenditur, Secundum Philoſophum Imperatori Adriano denudâſſe: *Mors eſt ſomnus æternus, incerta peregrinatio, pauperum deſiderium, divitum pavor, cupiditatum clauſula, improborum carnifex, & bonorum præmium.* Eſto, Negotiator Narciſſe, pretioſiſſimarum mercium poſſeſſor ſuſpicereris, quæ in Quinſai colliguntur, ac inſuper ipſius urbis, quam ſuis luſtravit oculis Marcus Polus, Venetiarum ad inſtar undis coronatam, duodecim millibus pontium ex petra inſtructam, tantæ proce-

[Margin notes: Hom. 20. in Ep. ad Rom. — in Solil.]

proceritatis, ut ſubter excurrant immanes naves; ubi tantum argenti, ac auri pondus aſſervatur, ut Europa tota illis cedat divitiis. Si Aſia, Africa, America tuum in ſinum ſuas effunderent opes, *quid inde*? Unum tibi ſupereſt ſepulchrum, hoc te manet, hoc te expectat. *Et hæc omnia, quæ paraſti, cujus erunt*? Interrogat Evangelium. Omnia degenerabunt in temporis ſpolium, tuum quoque corpus vermium evadet trophæum. Divitiæ tibi benè vertent, ſi inflexeris in egenorum ſolatium, ac levamen. M. Fulvius ad hujus veritatis lucem, errabundas cogitationes defixit; debellatis ſiquidem Græcis, propriam ſtatuam in triumphum duxit, non ex auro, ut alii, non bracteatam, ut alter Pompejus, at ex cera, circumdatam naſis candentibus prunis repletam, ad quorum calorem ſenſim liqueſcebat. Quadrat hìc Regii Vatis oraculum: *Sicut cera, quæ fluit, auferentur; ſupercecidit ignis, & non viderunt Solem.* Incerta contingit peregrinatio mortalium. Cuncta deſtruuntur. Quò parentes tui ſolvêre? Neſcis, an fruantur ſuperis deliciis, vexentúrque flammis Orci. Scias, ſodes, probos cœlorum regnum tenere, avaros, uſuræ mancipatos mancipia tartarorum eſſe.

10. Tu, ô Franciſce, auſpicatò abdicatâ ſæculi Mercaturâ, ad cæleſte mmentem convertiſti. Peregrinas gemmas ſitiviſti, cœleſtibus inhians, cui terrenæ deſipiebant. Saccos auro repletos reſpuiſti, ſaccum pro veſte aſſumens; in ſacco ſiquidem electorum frumentum locandum erat. Paternam hæreditatem repudiâſti, meritorum affatim dives. Ad ſummam deveniſti pauperiem, cujus effigiem in corallio ſpectans Joſephus Silos, ſic modulatus eſt.

Cui toga pauperior, cinerique ſimillima, puram
Cui liquidus frontem pinxit, & ora cinis, *Muſ. Canic. Cent. 3. 3. Epig. 9.*
Coralio ſpirat vivo: En qua divite gemma
Effinxit vultus ingenioſa manus.
Pallida non olli facies; jam purpurat omnis,
Ora rubent, ardet purpura viva genis.
An cruor in vultu, roſeóque ebullit in ore,
Plurima dum niveo pectore flamma calet?
Fallor: Pauperies ſemper cui gratior una,

Se gemma inſculptum vidit, & erubuit; Illius quæ venerabiles circumferuntur effigies, cranium geſtare manu ſolent, erudiendis Mercatoribus, lethi meditatione ad abſolutiſſimæ pietatis metam deduci Mercatores. Pro remedio adverſus avaritiam, quidam populus Orientalis, nummos haut conflat ex metallo, ſed ex defunctorum oſſibus conficit. Quippe *Facilè contemnit omnia, qui ſe ſemper cogitat moriturum*, teſtatur Divus Hieronymus. Quod efficaciùs executioni mandaretur, quoties Philonis oraculum expenderemus: *Sicut in torrentibus, fallente viſum celeritate, undæ præterfluunt; ſic vitæ negotia currentia, prœterlabentiáque videntur manere, cùm ne momentum quidem maneant, nunquam non ſubterfluentia.*

Epiſ. 103.

11. Olim aſpiciebam araneam, tenuiſſimam fragilémque telam texentem. Prolixiſſimum filum ab uno ad alium deduxit parietem, ſuis erutum viſceribus, quod capere non poſſe videbantur. Super illud deambulabat, modò demittebatur funambulorum more. Briareum dixiſſes, centum adhibens manus, ſedulámque Arachnem. Dum tam mirum opificium intueor, per feneſtram levis aura perflat, unde illud diſſipatur, araneâ animadvertente, ſe actum egiſſe, oleum, operamque luſiſſe. Iſaias exclámat: *telas texuerunt araneæ.* Modò ſubnectit Origenes, ô Mercator, telam, quam texis longinquis, periculoſiſque itineribus, *tam nihil eſſe ſcias, quàm ſunt illa, quæ texit aranea, licet varia videantur, & compoſita, licet exquiſita quadam arte digeſta.* Araneæ telas veſtram derideo Mercaturam. Araneæ telæ ſimilem David pronuntiat veſtram vitam: *Anni noſtri ſicut aranea meditabuntur.* Utrumque exiguo diſſipatur flatu. Deplorati Mercatores, *Sicut tela aranearum fiducia ejus: Innitetur ſuper domum ſuam, & non ſtabit; fulciet eam, & non conſurget*: Verba ſunt Jobi.

Hom. 2. in Pſ. 8.

Pſ. 89.

12. Defungendum eſt, *ſtatutum eſt omnibus hominibus ſemel mori.* Hoc idem agnovit Seneca, *quiſquis ad vitam editur, ad mortem deſtinatur.* Inſuper vitæ ſpatium anguſtiſſimis arctatum terminis. Echo eſt momentanea, indiviſibilis. Echo repercuſſio noſcitur vocis, ſaxorum anima, cavernarum ſuſpirium, vox ſemiviva, quoniam identidem mutilata. Muſices callet artem, nullo erudita Magiſtro, tractandorum omnium inſtrumentorum perita, ſingula nullis adjuta ſuppetiis æmulatur ad unguem. Quiſquis

illam ſpectaret, quid magni futurum autumaret. Attamen echo fœminis inſeritur, quòd corpore careat. Narciſſus amat; at amans offenditur corporis expers. Concinnè pronuntiatur de illa, habere ubi non eſt; echo ſiquidem moritur dum naſcitur. Noſtra vita echus eſt inſtar; quid autem fugacius? Præcurſor Domini vitam humanam echus ſimillimam dixit, Sacerdotes nuntios allocutus: *Ego vox clamantis in deſerto.* Fallens intra ſolitariæ eremi barbariem, mutique ſpelæi ſilentia, reperior vox momento evaneſcens, *ego vox clamantis in deſerto.* Repercuſſio ſum vocis, atomus verbi. Reducit ad calculos Divus Gregorius, *nihil in rerum natura tam velociter, quàm ſermo tranſit. Verba enim quouſque imperfecta ſunt, verba non ſunt; cùm verò perfecta fuerint, omnino non ſunt.* *Hom. 1 in Ev.* Hinc ævum extendere laborantem, inopinum fatum prorſus amat rapere. At allubeſcit altioris Philoſophiæ ductu, Divi Ambroſii teſtimonio ſuffulto, ratiocinari de echus natura, de qua ille, *vox amiſſa gratiore plauſu in montibus reſultat, ut ſuaviore ſono reddant, quod acceperint.* Mors vitæ eſt echo, agoniſque actus actiones effluxorum repetunt annorum. Si vivendo negotiatus es, moriendo negotiaberis. Non Decalogi præcepta cogitationum pede decurres, at ſupputabit rationem, ad calculos revocabis negotiationis initæ fructus amaros, qui legitimo Domino, Numini rationem reddere cogeris. Scias igitur, mortem eſſe vitæ echum: Cùm autem vita, quæ dum durare videtur, momentanea deprehenditur, echo proinde, quæ duntaxat citra durationem reſpondet, magis, magiſque fluxa, ac momentanea ſit, neceſſum duco, præter mortalium expectationem letho obrepente. Itaque per tibi gratum fecerim, Mercator Narciſſe, vitæ tuæ vanitatem exhibendo.

13. Juvat autem improviſæ mortis, eventuúmque inexpectatorum diſcuſſioni prolixiùs immorari. Dixit Daniel Propheta Epiphani, *& ſine manu conteretur.* Rupertus Abbas; *Divinitus namque percuſſus, & inſanabili plagâ computruit, miſerámque vitam miſerè, ut dignum erat, finivit*: Nimirum, ut æquum erat, fas, parque, ſupremam diem inauſpicatò clauſit. Tunc Altiſſimus inviſibili manu immitiùs, quàm pro paternâ flagellat pietate, tunc aſperrimè detonat, ac animadvertit, cùm homo nullo laborat morbo, improviduſque ævum degendo, inopino letho ſuccumbit. Tunc *in c. 12. Ap.*

Numen aggeres eripit æquitatis, inundantium ſcelerum torrenti, cùm Mercator opibus affluens, ſubitaneâ novercantis fortunæ cataſtrophe migrat in egenum. Tunc Deus ſuam manifeſtat Omnipotentiam, cùm, qui bacchanalia vivebant, qui genio indulgebant, voluptatum mancipia, protinus lethi victimæ ſternuntur: Tunc, tunc, *cùm mortuus eſt dives, & ſepultus eſt in inferno.* Vos autem Mercaturâ abſtinere gravamini, ac lubricæ ſemitæ præcipitiis, veſtigium ſubtrahere minimè maturatis? En horribiles orci hiatus, atque voragines vobis apertæ. An hoc funeſto ſpectaculo adornata tormenta detegere eſt? Exclamat David, *quis novit poteſtatem iræ tuæ*? Illi demonſtrandæ humani deficit facultas ingenii; obmuteſcit facundia, certè infans habetur; quævis eſt copia ſterilis, omnis pupilla noſcitur talpa, quivis intellectus obtuſus, *quis novit poteſtatem iræ tuæ*? Num Africe peripetiæ denudandæ ſunt Numinis iræ, *quis novit poteſtatem iræ tuæ*? An Europæ, Aſiæ, Africæque revolutiones, ſuffertim teſtabuntur exacerbatæ Divinitatis furorem, *quis novit poteſtatem iræ tuæ*? *Ac ſi dicat* (interpretatur Divus Baſilius) *ſi moderata indignatio tantam nobis corruptionem intulit, quis conſiderare valebit, quanta ſit pœna ab irâ omnipotente illata? Notat hic ſermo ſempiternam pœnam.* Progreditur Divus Chry-
Hom. 49. ad Pop. ſoſtomus: *Pone ſcilicet ferrum, ignem, & ſi quid his difficilius: Attamen nec umbra ſunt hæc ad illa tormenta.* Divus Auguſtinus pariter
Ser. 109 de temp. ſuffragatur: *Quæ gravia quiſque patitur in hac vita, in comparatione æterni ignis non parva ſunt, ſed nulla ſunt.* Væ in hoc ſæculo doloris impotentibus, quos tartarearum pœnarum atrocitas manet, ſi cœlo militare detrectent. Quàm dura contingent fulminantis flagella Numinis? *Hinc quis novit poteſtatem iræ tuæ*?

14. Ex præfatis conjicere licet, quæ cruciatuum furiæ debacchentur apud Orcum, quæ regnent lanienæ, quæ carnificinæ deſæviant. *Mortuus eſt dives, & ſepultus eſt in inferno.* Flammis illis æternis ſervantur Mercatores, qui uſuræ deſponſati, velut impetuoſus torrens ex alto præcipitans, ubicunque pedem fixerint, omnia perturbant, magnetis ad inſtar ad ſe trahunt. Ite nunc colligendis gemmis, eruendis mineris, eviſcerandis aurifodinis, cùm pretioſiſſima quæque migrabunt in candentes prunas, aurum in plumbum, reſinámque liquefactam. Serpentum Africanorum ſpecio-

ſpecioſiſſimos, apprimè virulentos ruminaminor, Mercatores. Pyropos, ſmaragdos, ſaphiróſque ſquameis in cruſtis lucere mirabéris, affirmat Solinus; at virus recondunt, haut ſecus atque *ſub gemmis* (teſte Plinio) *venena claudunt, annuloſque mortis gratiâ habent* l.35.c.1. mortalium quidam. Eluceſcit igitur, lethiferas opes contingere, internáque metamorphoſi, quæ nativo proficiſcatur à veneno, degenerare in ſolatiorum penuriam æternáque ſupplicia. *En mortuus eſt dives & ſepultus in inferno.* Ah perfida negotiatio, dum uni vacas calamitatum incremento! Quoniam ad tartarorum abyſſum deturbas Sæculares, num Eccleſiaſticos, queis incumbit onus aſpirandi ad perfectionis apicem, ac negotiationis exercitio prohibentur, ad cœlorum ſublimia diriges? In ſuſpenſo hæreo, Chriſtine, in Eccleſia Prælatus inveniatur, qui minimè contentus temporali negotiatione, inſuper ſpiritualia in tam pravi exercitii obſequium inflectat: Hoc liquidò mihi conſtat, Evangelium teſtari, *cœpit ejicere vendentes, & ementes in templo, & menſas nummulariorum, &* S. Mat. *cathedras vendentium columbas evertit.* Cur Deus vetuit, ſuo in 11. templo columbas venundari? Columba ſiquidem Spiritûs Sancti ſymbolum colitur, híque ſacrilegi Mercatores, divinæ juſtitiæ flagello pelluntur. Quò verò ibunt? in penitiſſima tartarorum, erudiendi, divitias obeſſe corpori, lethales animæ contingere.

15. Hujus igitur veritatis lumen cunctorum mentes irradiet, ſingulis affulgeat, dum ego revelandæ rurſus palliatæ technæ accingor. Avarus retur, ſuam ſaturare famem in ſuarum mercium abundantiam; ideóque Lynci ſe probat ſimillimum. Lynx acutiſſimo, acerrimóque viſu prædita, vel marmor penetrat. Veritati fabula locum cedat, effatur Plinius: Ille in remotiſſimâ diſtantiâ omnia diſcernit, ſupra cætera animantia: Pabulùmque diſſitum intuitus, ac admodum pingue, præſentis oblivıſcitur, ſolo ſaturatus aſpectu, nec non præ inediâ gracilis, ac exſuccus. En Italus ſolicitudinis pondere oppreſſus, labyrintho cumulandi cenſûs irretitus, in Ormus nundinis avaritiæ explendæ appetentiſſimus. Ad uſque Mexicum trajicit Hiſpanus. Luſitanus Chamur frequenti naufragio infames petit Syrtes, quem comitatur Anglus. Aſiaticus Venetum ſulcat fretum. Non ego repetam oraculum Auguſtini: *Jubet avaritia, ut mare tranſeas; jubet, ut te ventis, procelliſque com-* in Pſ. 18.

mittas,

mittas, & obtemperes. Jubeo ego, ut ante oſtium tuum ex eo, quod habes, des pauperibus, & piger es ad faciendum ante te opus bonum, & ſtrenuus es ad tranſeundum mare. Inſuper otium ludis, cujus unius inæſtimabilis eſt jactura: Omne quidem detrimentum judico malum, temporis autem peſſimum. Uberi frontem irroras ſudore, corradendis in emporiis opibus, in mancipii corporis quà commodum, quà ſolatium, nec guttam ſtillans animæ ſaluti: *Qui jejunat* (objicit Divus Bernardinus Senenſis) *qualibet die pro lucrando florenum, nec poſſe jejunare ſe dicit pro lucrando cœlum: Manifeſtè declarat, quòd ampliùs diligit nummum, quàm Deum.* Avaritiæ martyrem evadere, futurum dæmonis prædam, animæ lucra poſthabere corporis deliciis, ſupremam fatuitatis redolet lineam.

16. In Lares Pitii Cilerii fortunæ munificentiſſimæ largitas, tot opum affluentiam projecit, uti Xerxem cum innumeris copiis ſplendidè hoſpitio exceperit; Dario quoque platanum, vitémque auream obtulit. Xerxes obſtupuit, roganſque, quàm largus illi cenſus eſſet, quantum poſſideret, hoc accepit reſponſum: Duo talentorum millia, ſupra ducenta aureorum millia, tibi, ô Rex, ſiſto, in tuum obſequium, nutriendóque tuo Exercitui; Rex autem juſſit pecunias reſtitui Pitio. Tuis Altiſſimus haut indiget
Pſ. 49. opibus, ô Mercator, quoniam *meus eſt Orbis terræ, & plenitudo ejus.* Si tu Cimeliarcha Numinis, pauperibus erogabis tua, generosâ manu Eccleſiis largiaris, ſupernis chariſmatibus cumulaberis fœnerariâ redhibitione. Quid aggerendis opibus inſudas, queis vidueris rapiente fato? Sit licet floridus oris habitus, utut pancraticè vivas, ceu lacertoſus athleta; ruminari juvat, formæ dignitatem momentis tranſvolantibus defloreſcere, in effœtum migrare, qui maximè valebat. Præſtat igitur ad cœmeterium, quàm in remotiſſimas Orbis plagas pergere. Quippe fidem aſtruente Euripide: *Si benè moritur, quiſquis cùm moritur, lucrum facit.* Ad interitum, ad mortis neceſſitatem ineluctabilem, veſtræ, Negotiatores, cogitationes colliment. Sæculi ſiquidem deliciæ profunditate carentes, oculorum duntaxat lenocinio, ſuperficietenus, in flore ſunt. Mundi fluxa ſpectacula, bracteata gaudia, larvatas felicitates, Democritus Phyſicus, quominus aſpiceret, oculos ſibi non dubitavit eruere. Joannes Eleemoſynarius, Alexandriæ Patriarcha, probè negotian-

gotiandi callebat artem; Sua in egenorum levamen diſtribuens, per eorundem manus delata Deo, cœleſtibus inſerebat theſauris. Hoc autem exercitium lethi memoria ſuggerebat; largitatis ſtadium decurſuro, Libitinæ recordatio calcar ſubdebat. Sepulchrum ſibi ſtruens, imperfectum reliquit, ſuis imperans ſervis, tam mane, quàm veſpere, illi ejuſdem perfectionem proponerent, quò remotâ quacunque interſtitione, daretur lethi meminiſſe. *Sab.l.2.*

†

MECHANICI
AD
FONTEM.

CAPUT VII.

1. VAn Helmont, cujus ingenioſi enthuſiaſmi ſæpeſæpius in Ariſtotelis placita laxatis habenis invexêre, mordicus ſuſtinet, definitionem hominis generatim, quoad differentiam, deliquium pati, nec non deficere: Ut ut Sapientiores eandem amplectantur, in tanti Magiſtri verba jurantes, nemine propemodum reluctante. Itaque, ſuis ſtipatis aſſeclis pugnaciùs armatus, inſurgit in arenam deſcendens adverſus Peripateticorum Principem, atque Coryphæum, mancam evincens allatam definitionem, rationalitate vel aliis animalibus communi. Impræſentiarum ſimiis ſuperſedetur, in quibus tantum elucet ſagacitatis, ac ingenii, ut proximè accedant ad intellectum humanum; Neque ſtatuo lumina, queis declarant ſe ratione præditas, repetere, quoties in Indiarum tractibus, venationibus indulgentes, flumen aliquod trajicere compelluntur. Ineffabiles Banauſi animatos erigunt pontes, quoniam vivam ex ſemetipſis catenam contexunt, invicem ſe ſe implicando, ac per aëra tranando. Eruditionum farragine ſuperſedere juvat, Helmontii argumenta duntaxat in medium afferendo. Annoſam vulpem juveni callidiorem occurrere, fuerit effectus ratioci-

nationis, ex reminiſcentiâ actuum multiplicatorum per experimentum emanantis. Rurſus flumen ſuperaturam, aurem demittere, ut undarum gelu conſtrictarum murmur, craſſitiemque exploret, quò illæſa tranſmittat; conſequentiam illam deducere fatebimur. Lupus famis tyrannide ſtimulatus, inhiat prædæ, quem canis, prædiorum cuſtos, frequenti arcet latratu. Ille fugam mentitus, hunc perſecutorem nanciſcitur, tamdiu remotum à ſuo aſylo, donec exiſtimârit quem lupum ſocium adduxerat, occupaſſe canis latebras, ubi heſternâ luce inſidias eluſerat. Quo expleto, lupus canem perſequi aggreditur, inſtátque fugienti ad munimen, ubi à latente lupo diſcerpitur. Nónne hæc ſtrages argumentis innititur? Numquid in hoc exemplo ratiocinationis illationes eluceſcunt: Inſuper viſa ſunt *in Scotia, & Zelandia, demum, atque alibi, piſcata monſtra, ſemihumanis figuris, ratione utentia, imò artes mechanicas exercentia. Homo nimirum ad Dei imaginem ſolus factus, cùm excluſione omnium. Hæc autem rationalia bruta, in ſuis elementis, etiam diverſa inter ſe, ſunt tamen ſimulacra noſtri, & nos imagines Dei. Homo ergo eſt creatura, vivens in corpore, per animam immortalem, ad honorem Dei, ſecundum lumen, & ad imaginem Verbi, primi exemplaris omnium cauſarum, ſigillata.*

In ort. Med. Trac. de Venat. ſcient.

2. Quis reſponderet, in brutis rationalitatem materialem deprehendi; quæ, quum perfectione nullatenus gaudeat, intellectus appellari nequit, & phantaſia, hæcque, ceu rationaretur, operari potis eſt; quemadmodum accidit in ſomniante: Ideóque ſuper eſſentiam fundata, admodum ſtabilis offenditur Ariſtotelis definitio: *Homo eſt animal rationale.* Igitur in noſtri Operis ornamentum voluptarium, Helmontio aſſociati, rationalitatem in brutis, licet impropriè, admittamus. Apis (inquit ille) ratione prædita eſt; callet etenim inire numerum, nec non ex numeris præmiſſis conſequentiam eruit. Triginta alvearia digerantur modicâ intercapedine. Apis ſub auroram egrediens, ad Solis occaſum revertitur ad ſuum habitaculum, ordine ſupputato diſpoſitorum alveariorum, quo minus alienam domum ingrediatur. Apis ergo tam operoſa, quàm argumentoſa, melle, ceraque onuſta, proprium repetit alvearium, peregrino prorſus abſtinens. Hinc prima fronte uti ratione videtur, nec non ingenioſiſſimis mechanicorum operum

indul-

indulgere. Huc advolent Banauſorum ſolertiſſimi, nec irâ accenſi, meditentur, num apem ſuperando ſint, ſive ſpectes induſtriam, ſive aculei artificium, aut denique operis magiſterium. Apes, auratæ priuſquam diurnæ lucis fulgor clariùs erumpat, ac diſſeminatus irradiet, alvearia viduata relinquunt, haut ſecus atque ſtellæ diſperſæ per aëra volitantes, niſi mavis appellare fruſtula alati ſuccini. Diſcurrunt in examina, ſibimet, ſuiſque aëreis agminibus animatæ buccinæ: Hinc militum ritu, rapiendis ſpoliis intentorum, dum currunt certatim ad ditandum auro volanti, patentem hiantium florum ſinum, eodem tempore exſugunt, deprædanturque ſtillatas pratorum merces. Hoc itaque pacto ſuaviſſimos Thymi ſuccos appetentibus tenebris, inclinante ſe Sole, invehunt alveariis, currus & auriga, mellitæ ſuæ Reipublicæ viſcera dulcedine repleturæ; munera inter ſe ſe diſtribuunt, nullâ refragante, ad favi abſolutiſſimum opus conſpirantes, cellulâſque illo replentes liquore, qui Plinio dictus eſt, *ſive cæli ſudor, ſive ſyderum ſaliva.* Ad tantum, tâmque mirum opificium Orator ſupercilium contraxit, exclamâtque eloquenter; *Quis non ſtupeat hæc fieri poſſe ſine manibus*?

3. Ut ut autem apes artis mechanicæ excellentiâ præſtantes ſuſpiciantur; nihilo ſecius habentur invalidæ, ad excogitandam propriæ vitæ fili firmitudinem, fabricandùmque clypeum, cujus ope feralis lethi retundatur impetus. Proinde Quintilianus, earum artificium admiratus, at mortis obnoxias neceſſitati deprehendens, altùm exclamavit: *Quid non divinum habent, niſi quòd moriuntur.* *Decla.*
Anguſtis arctatur illarum vita cancellis, ut, animadvertente Virgilio, nec non Ariſtoteli adhærente, ægrè ultra ſeptem annorum ſpatium extendatur! 13.

Neque enim plus ſeptima ducitur ætas.

En quì unicum ſeptimæ ætatis momentum, tranſactæ vitæ mella amaritudine corrumpat. Unum lethi punctum, ô Banauſti Narciſſi, deliciarum ſuavitatem, queis inhiâſtis, funeſtabit. Apis mechanica acutiſſimo pollet olfactu; hinc Lucretius:

- - - - Ideòque per auras
l.4. de nat. rer. *Mellis apes quamvis longè ducuntur odore.*

Sin vobis, Mechanici, vel eminus mellitæ ſpirant voluptates, ac in earundem amplexus curritis, imò volare geſtitis; cur poſtmodum intolerabilem affinium ſepulchrorum graveolentiam minimè percipitis, nec cadaverum jam præſentium fœtorem horretis? Num eraſiſtis memoriâ, de grege vos eſſe mortalium? Cælius hoc monumentis conſignavit: *Inter animantes verò memoriæ facultate pollent inprimis, quibus expurgatior, abſolutiórque imaginatio eſt, cujuſmodi pernoſcuntur apes, & columbæ.* Vos igitur, apum inſtar, memoriâ præditi, vos Adæ filios, ac germina ruminaminor, qui fato conceſſit. Rurſus Apoſtolus veſtris obſtrepit auribus, *ſtatutum eſt omnibus hominibus ſemel mori.* Apes, apes inauſpicatæ, deſolato virtutis alveari, per aërem ſparſæ volitatis. Amabò, ne refractariolos vos probetis, Mechanici, quò mihi contingat vos colligere intra Evangelicæ legis confinia, cinerem, pulverémque diſſeminando; quandoquidem *pulvere è veſtigio anguium collecto, ſparſas apes in alvearia reverti*, Plinius proteſtetur. *Oritur Sol, & occidit*, effabatur Eccleſiaſtes. Salonius explicat: *Hoc ideo Salomon dicit, ut oſtenderet Sol ipſe, qui hominibus in lucem diei datus eſt, ſuâ mutabilitate, id eſt, ortu ſuo, & occaſu quotidie hujus ſæculi monſtraret interitum. Per has namque mutationes temporum, & per ortum ſyderum & occaſum docet Salomon, quòd humana ætas quotidie oritur, & occidit.* Omnes itaque, ac ſinguli letho deſtinamur, *ſtatutum eſt omnibus hominibus ſemel mori.*

(Margin notes: l. 20. Ant. lec. 8. — l.3.c.16 — l. 6. Nat. q. c. 1.)

4. Unum ex mirabilibus operibus Mechanicæ fuerit horologium, temporis carcer. Perennibus percuſſionibus, quod ſint noſtri greſſus ad tumulum numerat: Cui licet ferrea ſint viſcera, tamen pietate tactum furtorum nos admonet, quæ circa vitæ noſtræ curſum perpetrant horæ fugaces. Non unus duntaxat Archimedes vitrei globi anguſtiis, vaſtam cœli, ſtellarumque molem circumſcripſit. Hodie ſiquidem (operâ, ſtudióque Creſitii, primi horologii inventoris) exiguo chalybis gyro, circumvolvitur dies, atratis involutus, perſonatúſque. His tamen non obſtantibus, tempus elabitur catenare ſe conantibus, eſto multiplicibus nexibus implicatum. In-

Inſanum redolet inventum, tempus vitreâ ampullâ claudere, marmoris devoratorem, cùm metallicas eludit compedes. Græcis familiare, ac ſolemne extitit, clepſydras elementari humore replere: verùm tempus haut ita plumis inſtruitur, ut illarum evadat aquarum Icarus. Etiam Carolus V. Imperator, horologium annulo inſertum geſtans, ſatagebat denudandorum pretioſiſſimorum temporis momentorum, erat enim ex auro confectus affabre. Fugit etenim tempus, unáque ſecum noſtræ vitæ particulam aufert. Singulas pulſat horas, plurimas per rotas voluptatum, ac ſi innueret, humanam vitam à rotâ perpetui curſûs haut abludere. *Lingua conſtituitur in membris noſtris*, teſtatum reliquit Divus Jacobus Apoſtolus, *quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam nativitatis noſtræ.* Audite Eccleſiaſtem: *Et confringatur rota ſuper ciſternam, quæ per* Cap. 3. *omnes ætatis gradus aſſiduè volvitur, & decurrit.* Rurſum Nazianzenus, *rota eſt incertò fixa, brevis hæc, & multiplex vita: Surſum movetur, & deorſum trahitur; neque enim ſtabilitas eſt, quantumvis ita videatur: Fugiens tenetur, & manens effugit, ſaltat pleiumque, nec tamen fugere poteſt, ſtationem ſuam motu trahit, ac retrahit.* En æqualis Antiochi Monachi ſententiam! *Quid enim hominis vita aliud, quàm rota, quæ perpeti rotatu verſatur?* Nec deſideratur Melliflui auctoritas: *Vita noſtra, ut multiplicetur, illudit, mutat faciem; modò* *Hom. 30. in Joa. de nim. falla. hujus vit.* *enim ſe eſſe brevem cauſatur, modò ſimulat longiorem, cùm peccare delectat, adhuc gemit altiùs pro brevitate ſuâ. Sicut igitur rota nunquam ſtat, ſed perpetuâ volubilitate circumagitur, ita in hac vitæ rotâ nulla ſtabilitas, aut ſecuritas reperiri poteſt.* Renuo ſepulta relinquere Divi Baſilii verba, digna exponi Solis luci, ac jubari, nedum mortalium pupillis: *Talis eſt vita, quæ nec delectabilia, nec rurſus acerba,* *in Pſ. 1.* *& triſtia diu retinet. Hodie terram coluiſti: Cras alter colet, & poſt eum alius. Vides agros hos, & domos ſumptuoſas, quot nomina jam unumquodque horum permutavit? Cur vita noſtra non dicitur via, quæ modò hunc, modò illum ſortitur continuò ſtatum? Beatus ergo, qui in via peccatorum non ſtetit. Quis enim velit ſtare, ubi nihil ſtat, & omnia cum rota verſantur?* Antequam aliò moliamur veſtigium, de horologio ſubnectemus, illi conſcientiam aſſimilare Divum Ambroſium. Sint licet abſcondita mortalium obtutibus illa machinamenta, reatuum rotæ,

ad Numen attamen clamant, neque cauſantur ullam neceſſitatem, quæ liberum arbitrium extorſerit: *Etſi clauſus parietibus ſit, & apertus tenebris, ſine teſte, ſine conſcio; habet tamen facti arbitrum, quem nihil fallit, ad quem facta clamant omnia.* Perpetémque clamorem edent, utut perpetuâ volabilitate laborent, eſt enim mundus identidem irrequietus.

5. Navigium amaras ſæculi ſulcat undas, & quamvis illi præſit Chriſtus, Apoſtoli nautarum munere fungantur, attamen *motus magnus factus eſt in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus.* Ventorum tyrannide furibundorum turbantur aquæ, exſurgunt ſævæ procellæ, debacchantur decumani fluctus, modò ad ſydera ſublimati, modò ad imas depreſſi abyſſos, æquoréque fremente, pontus undique, & undique pontus occurrit, ac conglomeratæ nubes cœlum eripiunt, ſerpunt fulmina, quæ fulgurum horror prænuntiârat: *Ita ut navicula operiretur fluctibus.* Quis autem ignorat, cœlum fulminibus haud patere, ſagittas in Jovem intorqueri non poſſe? Quì proinde lymphans tempeſtas, naviculam, ubi Chriſtus conſidet, impetit, ac aggreditur? Myſterium revelat, & enucleat Divus Ambroſius: *In navi dormiebat Chriſtus corpore, ſed virtute vigilabat; diſcipulos verò remiſſos & negligentes eſſe non paſſus eſt, quaſi de Domini præſentiâ, & favore ſecuros: Somno corporis ſeſe compoſuit; vigilabat tamen ejus poteſtas, & providentia, quæ excitavit tempeſtatem in mari. Si ergo Chriſtus Dominus, nec ſecum patitur quietos, ac ſecuros eſſe diſcipulos, quomodo patietur aliquem in vitæ curriculo, & in circulo minimè circummorari, & commoveri?* Quemadmodum ipſe mundus perennè nutat, ac vertigine circumagitur, æquè mortales jugi ſubjacent volubilitati: *Omnia oriuntur, & occiduntur, & occidunt,* Divus Auguſtinus affirmat: *Et oriendo quaſi eſſe incipiunt, & quò magis celeriter creſcunt ut ſint, eò magis feſtinant, ut non ſint.* Cuncta moventur in gyrum, donec in tumulo quieſcant, movenda per fatalem tubam in die Judicii.

in Pſ. 43

4. Conf. c. 10.

6. Hæc omnia vobis ad calculos revocanda veniunt, in volubilibus à vobis fabricatorum horologiorum rotis, Mechanici Narciſſi: Nec non quod adhibetis ferrum conficiendis operibus, ſanctâ prorſus Opticâ, ad moralitatem inflectatis oportet, eò quòd eodem vitæ noſtræ ſtamen implicitum & reſolvetur, & ſecabitur.

O arti-

O artifices horologiûm, quique manuum induſtriâ tam admirandâ, tam venuſtâ concinnatis, in excelſiſſimam claritudinem ſublimari maturatis, ut novi mundi creatores ſuſpiciamini? Eò verò Mechanica eniti non poteſt, Chryſoſtomo, ſub Numinis ſpecie perſonato, aſſeverante: *Feci ego cœlum, & terram; do tibi quoque creationem; fac terram cœlum, nam potes.* Corpus tuum præter humum, nil eſt, quod denuo humatum migrabit in ſordidum pulverem. Ad hanc terram tuas dirige cogitationes, hanc virtutum monilibus exorna, cœlum ſtelliferum effice. Quòd Adam plaſmatus fuerit ex pulvere, evaſit in immortalem: *Nunc autem animadverte hoc dictum, quod niſi mortale corpus habens Adam peccaſſet, non reverà factus eſſes immortalis, &, ſi velis, pluſquam Sol lucere, poteris:* Inquit Os aureum. Hujuſmodi cœleſti operi Joannes Dux Cliviæ ſuam Mechanicam addictam voluit, ac cogitationes: Hinc ſuimet hieroglyphicum ſtatuit lilium cum lemmate: *Hodie aliquid, cras nihil.*

Hom. 55. ad Pop. & ſer. de brevit.

Orat. 2. in 2. ad Cor.

7. Exercitia, ac opera Mechanica Principibus fuêre familiaria, cum voluptate otio fallendo, ſucciſiváque momenta non citra fœnus recreationis impendendo, certè dulcandæ novercantis fortunæ amaritudini. Ita contigit Dionyſio depulſo uſurpato throno Syracuſarum, dum Corinthi ludimagiſtrum agere non erubuit. Mihi Joſephi Hebræi eruditas paginas evolventi occurrit Ptolomæus Philadelphus Ægyptiorum Rex, quantus quantus Mechanicæ ſtudens. Ingenioſiſſimum in fabrica militarium Machinamentorum, penes Plutarchum, ſe probabat Demetrius Polyorcetes Aſiæ Rex. Suetonius Neronem in ſcenam dat pictorem, cui exercitationi ſe quoque exhibuerunt addictis Imperatores Valentinianus, ac Adrianus. Albertus IV. Dux Auſtriæ, artis architectonicæ peritus floruit, cæterum delicatiſſimus tornatilium operum factor. Philippus IV. Hiſpaniarum, Siciliarum, Indiarùmque Rex, telas coloribus animabat, ac dimidii propemodum Orbis Dominus, novos homines creare videbatur. Cujus frater Ferdinandus Cardin. Infans, ſclopeta conficiebat eximiæ perfectionis, duplò longiùs quàm reliqua, tametſi ejuſdem longitudinis jaculantia. Verùm in ætate floridiore mors immatura illum abſtulit, quemadmodum prætacti Principes fati victimæ occubuêre, quod tàm primates Mechanici, recreationis ergò laborantes, quàm cerdones letho ſubjaceant. Exclamat Joſeph Silos:

l. 2. c. 2. Antiq.

Ingenio, doctaque vales, Mechanice, dextra:
Mira labor, mira & mens operoſa facit.
Quid tornus, quid lima, decempeda, circinus, ulna
Proſunt? cuncta hæc mors inopina terit.
Et terit artifices; volvuntur turbine eodem
Auctor, opus: Caſu diſpereuntque pari.

8. Magnifica humanum parit ingenium, operoſaque dextera ſtupore plena producit, ac admiranda labor improbus, pertinax ſtudium. Dædalus, Plinio fides adhibeatur, Gloriam ſibi vendicat inventionis plurimorum inſtrumentorum; quem æmulatur Archimedes, qui gloriabatur, ſi licuiſſet extra mundum pedem figere, mundum ſe, quocunque libuiſſet, attracturum. Qui tornum, qui limam, qui decempedam, qui circinum, qui ulnam invênere, à letho inventi ſunt: Quique figuli rotam invenit Euphorus, teſte Strabone, humanæ volubilitatis rotam firmando non fuit. Non neſcio, Erichthonium curribus junxiſſe jugales omnium primum, modulante Maronis Muſâ: *Primus Erichthonius currus, & quatuor auſus jungere equos, rapidíſque rotis inſiſtere victor.* Unde orta fabula, atque figmentum, Jovem tanti operis admiratione raptum, in cœlum transſtuliſſe currum, octóque ſtellis ornatum, propè polum locâſſe. Mecoenas quoſdam characteres excogitavit; typus attamen cum nitrato pulvere, belliciſque tormentis, licet multis retro annis viguerit in Indiis; attamen in Europa à Joanne Fauſto Moguntino, Anno 1450. innotuit. Hi omnes coacti, conſpirantéſque, cum ingenioſiſſimorum Mechanicorum comitatu, inventionem pariant, cujus adminiculo lethum interimant. At bombardam non formidat, non machæram, non ſagittas metuit: Omne ſcutum eſt vitreum, fragilis clypeus omnis adverſus illius aſſultus. Cùm Ægyptii texendi artem invenerint, prolixiorem ordiantur ſuæ vitæ telam. Verùm conatus contingit irritus, quoniam *conſtituiſti terminos ejus, qui præteriri non poterunt. Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori.*

9. Quantum verò temporis impenditur, hujuſce farinæ frivolis, futilibúſque opificiis, & nihilo ſecius hujus infallibilis veritatis recordatione ſuperſedetur? Cultelli famulatu Neapoli quidam

dam homuncio mirum quid molitus eſt, tantáque ſubtilitate, uti ferme oculorum aciem effugerit; Quod Proregi præſentatum opifici detrimento fuit, caróque ſtetit: Imperavit enim intrudi in carcerem pretioſi temporis momenta, minutiſſimis infructuoſè impendentem, quò mancipatus ergaſtuli ſqualori reſipiſceret, calculóſque revocaret, ſuperioris ætatis menda redimendo. In pinacotheca quàm inclytiſſima Setallæ Mediolani, quam ſpectatum vel Suecorum Regina Chriſtina, non gravabatur adire, nec non præcipui Europæorum Principum, aſſervatur rheda, cum aurigâ ter binis jugalibus moderante; quæ moles unius duntaxat unguis latitudinem, atque ſpatium occupat. Tempus deeſt vacandi fundendis precibus, ad ſcrutinium, ac examen revocandæ conſcientiæ, quod attamen inutilibus adhibetur, dilapidatur, abliguritur. Suſpicietur mihi jugiter qui cryſtalli fruſtulo cranium inſculpſit lethi; quippe manus labore tam animam, quàm corpus paſcebat, cujus formam putidiuſculus Jacobus Lobranus explorans, arrepto calamo ſic exaravit:

Concolor argento, & pretioſi frigoris altrix
Gemma ſub Arctois vivere nata jugis.
Artifici ſudata manu, ferróque magiſtro
Æmula mentitæ lumina mortis habet.
Inciſáque oculos nive ſculptilis haurit amantes;
Quò magis eſt frangi lubrica, pulchra magis.
Utque adeo caſura placent mortalibus; ipſa
In pretio mors eſt, ſi periiſſe poteſt.

Illum ego laudibus efferam, prolixiùs celebrabo, qui cava in petra horologium fabricavit ſub cranii ſpecie, ubi gemmatum ſpectabatur lethum. Artificium ſudatæ dexteræ, ferrique magiſtri Silos intuitus, oculis mortem luſtrabat, auditu propriæ vitæ fugam percipiebat, eodem tempore geminum ſenſum erudiens; neve manus vacaret, nec eſſet immunis, hos Verſus paginis impreſſit, animo à Lectoribus imbibendos:

Mus. Canic. l. 3. *Quæ gemma fulget turpis calvaria, & auro*
Mole ſub exiguâ nobile claudit opus.
Fronte refert gelidæ mortis ſimulacra, ſed intus
Vivitque, & vitæ tempora certa docet.
Vivere teſtatur pulſu, verſatilis horas
Cum moles agitat irrequieta leves.
Orbibus implicitum ſtamen dat cuncta momenti,
Aureus & funis, qui ligat, ille movet.
Namque volubilibus dum ſpiris implicat axem,
Sollicitat volucres axis & ipſe rotas.
Penſilis, æquato ſtat pondere libra ſupernè.
Orbibus illa fugas præcipit, illa moras.
Excutit hinc moles horas, quas ſingula lambit
Aurea, gemmata & cuſpide certa notat.
Cur metitur, ais, curſum revolubilis ævi,
Dividit & vitæ mortua calva fugam?
Diſcite, mors vita ut diſtent; & qualibet hora
Diſcite, ſupremum claudere poſſe diem.
Deproperare rota currenti diſcite mortem:
Cumque putas vitam currere, fata premunt.
Tandem mors reſonat dum tempora fluxa, monet te,
Semper ut in memori pectore fata geras.

10. Operibus inſudate nobilibus, per vos, Mechanici, gemmeæ fulgeant moles: At in memori pectore fata geſtate, volucres volubilis temporis moras, tam operis, quàm opificis fragilitatem perpenditote, ab Eccleſiaſte proficuum oraculum expiſcantes: *Si Spiritus poteſtatem habentis aſcenderit ſuper te, locum tuum ne demiſeris.* Cap. 10. 2. Reg. Joab, mutato loco, appropinquans hoſtis mœnibus, debellatus elanguit. Abimelech, aliò veſtigium molitus, inauſpicatum imbel- Jud. 9. lis fœminæ trophæum evaſit. Homo ſive tartareis impetatur furiis, ſive pellacis ſæculi vaframentis, carniſve prurientis illecebris, aut tandem exercitiis diſtendatur; nunquam loco decedat neceſſum eſt, *locum tuum ne demiſeris.* Qui locus cinerem, pulverem, ſepulchrùmque deſignat, penes Pſalmographi teſtimonium, atque Pſ. 103. ſuffragia: *in pulverem ſuum revertetur.* Nos nullus tam decet locus

atque

atque ſepulchrum, *ubi conſtituta eſt domus cunctis viventibus*, aſſe- Cap. 30.
verat Job. Impræſentiarum exponere ne pigeat hocce Patientiſſimi vocabulum *Domus.* Ingens oppidò diſcrimen intercedit in Sacris Paginis hoc inter geminum verbum, *domus & tabernaculum.* Tabernaculum namque deſtinatur ad modicum tempus, ac peregrè proficiſcentibus, ut moris eſt apud milites, dum è veſtigio in caſtris erigitur. Domus autem ſtat pro firmiſſimo habitaculo; hinc Jonadas apud Jeremiam ſuis mandavit liberis; *domum non* Cap. 35.
ædificabitis, ſed in tabernaculis habitabitis. In hoc ergo mundo Mortales, haut ſortiuntur ſedem, ubi valeant habere, ſed veluti ſub tentorio ad anguſtum temporis ſpatium ſubſiſtunt, modicas moras nectentes: Quandoquidem cuncta ſæculi perenni volubilitate rotentur, ſuper arundines vi ventorum agitatas, nutantia: *Quid exiſtis in deſertum videre? Arundinem vento agitatam.* Rurſus Seneca: *Commorandi nobis diverſorium natura, non manendi dedit.* Ergo in fovea, ubi jacebimus, quamdiu mundus durabit, noſtram eſſe domum, jure meritiſſimo teſtabimur. Hoc innuiſſe Davidem, affirmat Divus Auguſtinus, quum de opulentis, potentibúſque, ſumptuoſa pallatia fabricantibus, ac nepotinas moles, verba contexuit: Ceu cum æternitate paciſcerentur de incolatu: *Hujuſmodi* in Pſ. 48.
ædificia, non domos, ſed tabernacula eſſe; ſepulchrum eorum, domus eorum in æternum. Tabernacula eorum à progenie in progeniem, vocaverunt nomina ſua in terris ſuis: Effatur Doctorum aquila. Supereſt, ô Mechanice, in cunctis operibus, Calvariam præ oculis habeas, ut expleatur oraculum, *locum tuum ne demiſeris.* Lethum ruminari delectet, caſtretur ut terrenorum appetitus. Mihi morigerari ne reluctetis, cœlo gratificaturus.

11. Architas, qui, recenſente Laërtio, omnium primus conſcripſit Mechanica præcepta, inſtrumentóque Geometricas figuras l. 8.
effinxit; ligneam columbam fabricatus dicitur, per aërem volitantem, alarum remigio, quæ tandem, deficientibus rotis, ac orbibus, præceps humi corruit. Caſſiodorus Boetium celebrat haut abludentem ab Archita, cui ſcribens, ut refert Petrus Crinitus, effatur: *Tibi ardua cognoſcere, & miracula monſtrare propoſitum eſt. Tuæ artis ingenio metalla mugiunt, Diomedes in ære gravius buccinatur, æneus anguis inſibilat, aves ſimulatæ ſunt, & quæ vocem propriam*

 neſciunt

neſciunt habere, dulcedinem cantilenæ probantur emittere. Hæc omnia verò peribunt, nullo tam ingenioſorum operum manente veſtigio. Chriſtianus Danorum Rex, pacis deſiderio ſuccenſus, cæteris muneribus, quæ miſit Moſcoviæ Principi, impetrandæ ejuſdem ergo, ob Livoniæ cruentum bellum, inſtrumentum pariter inſeruit argenteum, cœleſtium motuum æmulum, quod ſuopte impulſo miro artis magiſterio movebatur, à Græcis appellatum, *automata.* Barbaro-Principi dona arrisêre, uno excepto inſtrumento mechanico, quod remiſit his verbis: *Ipſum de cœlo ſatè ſollicitum eſſe, cùm de terra inter ipſos armis certaretur.* Nil prodeſt, Mechanici, veſtra fulgere opera, conſcientiâ peccatorum rubigine obſitâ. Vobis exponam contrariam, repugnantemque Moſcovitæ ſententiam, cur tot exantlatis laborum acerbitates, venaturi in terris plausûs inanem auram, cùm veſtra admiſſa vobiſcum adverſus Regni cæleſtis poſſeſſionem certant? Mox reſolvendorum in cinerem animæ quò migrabunt?

12. Animæ negotiis, lethóque profectò ſtudebitis, ſi veſtram fragilitatem reducatis ad calculos. Potiſſima mortalium felicitas fuerit, ex limo fuiſſe plaſmatos, eſſeque mortales. Lucifer haut fuit redemptus, at homo, teſte Divo Iſidoro, qui rationem adducit: *Prævaricatores quippe Angeli ideo veniam non habuerunt, quia fragilis carnis nullâ gravabantur infirmitate: Homines idcirco poſt peccatum ad veniam reverti poſſunt, propterea quòd pondus infirmitatis ex lutea traxerunt materiâ. Probat Pſalmiſta, quòd propter carnis conditionem reditus pateat eis ad ſalutem; ſic enim ipſe dicit: Ipſe ſcit figmentum noſtrum; memento Domine, quòd terra ſumus.* Frænandæ delinquendi cupiditati, apprime conducit lethi cogitatio. Ad impetrandam à Numine noxarum veniam, hortabatur Iſaias, *aſpergite vos cinere Optimates gregis.* Inter defunctorum pauperes cineres animæ opes accedunt. Hoc documentum vel ipſiſſimæ Gentilitati fuit in pretio. Diogenes Cynicus erudiendus germanæ Philoſophiæ præceptis, imbuendus, informandusque vivendi normâ, cœmeteria frequentabat. Hunc quadam die Magnus Alexander offendens in tali loco, inquit: *Quid tu vivus inter mortuos?* Reſpondit Philoſophus, *Quæro Philippi Macedonum Regis, patris tui, oſſa, neque inter tot alia diſcerno.* Cùm etiam Reges, Imperatores, auguſtum decus, anguſta

2. de diſ. ſpir. c. 13.

Cap. 25.

anguſta claudantur fovea, quid Mechanicis accidet? *Fumus, umbra, nihil.*

13. Satius oppidò fuiſſet, Stratonem Lampſacenum exarâſſe volumen de letho, quàm de conficiendis æneis machinis: Sic etenim ſpectatâ Mortalium fragilitate, vitreos omnino dixiſſet. Mira exiſtit, Mechanici, veſtri origo vitri, quod olim Tiberio Imperatore flexile reddidiſtis, perinde ac aurum, & argentum, ſub malleorum pondere flagellantium tractabile. Quo rurſus Lugduni in Galliis catenam commiſiſtis, quæ humi dejecta nullum ſubibat detrimentum. Phœnice inter Carmeli montis radices palude, cui nomen Cendevia, gaudet; ubi flumen, quod Belum appellant, erumpere creditur. Ad hujus oram appulit navis nitro gravida ſale, quod limoſæ commixtum littoris arenæ, vectores coquendis ferculis, lignorum vice, accendêre; ita ut quà nobilis, qua pellucidi liquoris rivulum formârint, Plinio ſi ſtandum, ſi acquieſcendum. Hoc comperto, dum Nero rerum potiebatur, Vatinius Beneventanus, omnium primus conflando cyathûm pari ſeſe accinxit, ac manum admovit, quos dixerunt *pratos*, quique Romæ pluris veniiſſe dicuntur, quàm quis ſibi perſuadeat, nimirum venundati perhibentur ſex millibus ſeſtertiorum; hinc Martialis:

Vilia ſutoris calices monumenta Vatini, *l. 14.*
Accipe.

Ergo vitri opificium conſideremus juxta noſtrum argumentum, & ad menſuram noſtri ſcopi. Illud ex arena componitur, homo ex humo. Primum ignitâ in fornace abſolvitur, ſecundus materna in alvo. Ignis vitrum emaculare valet, cùm homo originali labe ſordidatus egrediatur, qui ſuperbiâ inflatus ampullatur, nec caſum *Ser. 1. de Verb. Dom.*
formidat, vitro fragilior. Appoſitè Divus Auguſtinus, *ſi vitrei eſſemus, minus caſus timeremus. Quid fragilius vaſe vitreo? Et tamen ſervatur, & durat per ſæcula. Et ſi enim caſus vitreo vaſi timetur, ſenectus ei, & febris non timetur. Nos ergo, fragiliores, & infirmiores ſumus.* Perpende, ſupercilium demittito, tibi fragili vitro mox os ſacrum mugiendo parentaturum.

14. *Quotidie morimur*, inquit Divus Hieronymus ad Eliodorum:

rum: *Quotidie commutamur, & tamen æternos nos eſſe credimus.* Æſtivo torrenti humanam generationem Divus Auguſtinus ſimilem pronuntiat, quod demonſtrare mihi propoſitum eſt, ejuſdem oraculo: *Quomodo enim fluvius repente collectus de pluviâ, & guttis imbrium, it in mare, nec apparet; quia neque apparebat antequam de pluviâ colligeretur: Sic hoc genus humanum de occultis colligitur, & profluit in morte, rurſus in occultum vergit.* En hominis ſimulacrum, typus, figura, ſpeculum, icon. Priùs haut erat, nunc eſt; ampliùs haut eſt, nec erit. Erat in nihili chaos; deinde ex atratis umbris in candidam lucem emerſit. Hinc Mechanicus ſtuduit exoticis, variis formis induit varia, coralliis ſudatâ manu peregrinas adjecit imagines, margarita rore lacrymata exornavit, effecit Diomedes in ære gravius buccinaretur, æneus anguis inſibilaret, marmor erigendis ſtatuis eviſceravit, queis palatiorum frontem animaret, ebur adhibuit, alabaſtrum accivit, pretioſiſſima periſtromata contexuit, ingentia diſpoſuit ſpecula, ceu ſcintillantes cœlos, atque cryſtallinos (auro ſiquidem circumquaque radiabant) in piſcinis nova Maria fabricabat, volucres caveis captivabat, viridaria excoluit, delicias inſeruit, varietate figurarum plantas in Proteos mutavit, fontium carcere liquens, ac lubricum elementum circumſcripſit, æneis luſciniis vocem indulſit, ſeptem mundi miracula conſtruxit, quorum enumeratione ex compoſito ſuperſedeo, quòd prolixitati parcam, ſintque nota lippis, atque tonſoribus. Si quem autem peculiariter illa noſcendi libido ſubiret, ne gravetur conſulere Herodotum, Diodorum, Plinium, Ammianum, Aulum Gellium, Strabonem, Valerium Maximum. Attamen admirabilius duco, Banauſorum tam excellentium operum cum artificibus evanuiſſe; niſi quòd *ſtatutum eſt omnibus hominibus ſemel mori*: Ut ſtupore prorſus careat, eoſdem redactos in pulverem ſordeſcere, ac prætereuntium calcari plantis. Hinc Seneca, noviſſimum hominis momentum expendens, exclamavit; *mihi nec diuturnum videtur illud, in quo aliquid eſt extremum.* Momentanei deprehendimur; ubique gentium nobis ad lethum patet aditus, *undique eadem eſt via ad ſepulchrum*, eructat Diogenes, ad hoc ſepulchrum averem oculos converterent Mechanici. Mien Michai urbe annulus proprii Regis videtur, aſſerit Marcus Polus, ocularis teſtis, ex obryzo conflatus, ad di-

ad digiti craſſitiem; quem coronant aurea tintinnabula, ad levis auræ flatum ſonora. Hæc tintinnabula, Banauſe Narciſſe, excogita, quò ingeratur lethi recordatio ſingulis momentis, an quondam reboaturas campanas, dum tuum funus efferri contigerit.

15. Gaſparus Vimercato Cremenſis docuit, quomodo tormenta bellica clavis obturarentur; cujus experimentum dedit in expeditione Cremenſi; verùm impar eſt habitus eludendo lethi impetum. Balinicus frigidæ invenit ignem, quo Romani mediis in undis Saracenorum naves incenderunt. Quæ verò flamma Mortem comburat, haud reperitur; eſt etenim Libitinæ, mortales in cinerem, favillámque reſolvere. Peletronius quà frœnum, quà ephippium excogitavit domandis equis: At mortis equus nec aurigam formidat, nec camum, nec calcaribus indiget, ultro ad tumulum præcipiti curſu effuſus. Ineluctabilis contingit lethi neceſſitas, affirmabat Joan. Carolus Cardinalis Medicæus, unam ac alteram horam, antequam efflaret animam. Ergo, Mechanice, funeſta lethi memoria, hinc tibi jucundum parturiet exceſſum. Statuarius exeſam Saturni voracitate ſtatuam reſtauraturus æneam, candenti in fornace liquefacit. Igitùr homo vel à mundi incunabulis, ac origine conditus imperfectionis deliquio, divino artifici ſepulchro injicitur fruſtillatim. Ibi nullatenus deſtruitur ſubſtantia corporis, inquit Os aureum in Opere imperfecto ſuper Divum Matthæum; at mortalitas deſtruitur, *corruptione corporis mors ipſa corrumpitur, & mortalitas deſtruitur, & non ſubſtantia corporis.* In cinerem reſolvitur, reſurrecturum refectum, atque glorioſum. Chryſoſtomus expendit illud Apoſtoli oraculum; *nolite ignorare fratres de dormientibus*: Deinde prorumpit, *quemadmodum ſtatua, quando in fornace confringitur, non deletur, ſed renovatur; ſic cùm corpus noſtrum moritur, non perit, ſed inſtauratur. Etenim ſtatuarius corpus aliquod ex ære in fornacem cùm injicit, auream tibi, ac immortalem ex ære imaginem efficit: Ita verò Deus ipſe ex fictili, & mortali corpore in fornacem injecto, auream ac immortalem ſtatuam efficiet.* Hoc idem probis amat accidere, qui, ſtudio frænandæ cupiditatis immorientes, immortalitatis rude donantur, integrántque certamen lethi recordatione, adverſus vitiorum monſtra. Mundus intonat: *Venite, & fruamur bonis, quæ ſunt.* Verbo ne ſis audiens. Manilius

Egeſip. de excid. Jero. l. 3. lius Torquato parenti, triumphi palmâ decorandus haut obtemperavit, qui natum capitis damnavit; contentus ſuccubuit effando: *Quid enim illuſtrius, quàm vitam triumpho claudere?* Sæculi, carnis, dæmonis amaras reſpuamus dulcedines, roſas pollicentium, ſpinas porrigentium; quò pateat campus illuſtris, clarique per lethum triumphi. Hoc inimicorum trinum, lethales adverſus animas jaculatur ſagittas. Qui Banauſi occurritis, ad retundendum hoſtium impetum impenetrabile vobis ſcutum adornate, fabricate munimentum monumentum, ac ſpecimen daturi pietatis, athletæ, pugiléſque ter ſtrenui. Ex Cypro Demetrio Polyorceti, Rhodum obſidione vallanti geminæ loricæ fuêre delatæ; quarum facturus periculum Zoilus artifex, cuſpidato jaculo profundiùs laminam pupugit, catapultâ vibrato eminus: Aſt ictus penitior non eſt inventus, quàm pugionis. Hac ille lorica ſe ſe involvit, alteram Alcimo Epirotæ præſentans. Hujuſmodi armaturis haud ſe muniunt Chriſticolæ. Illas fabricantur in tumulo, lethi recordatione, qui mira noſcitur ſalutis officina. *Ad evitanda ſanè iſtorum tela certaminum* (effatur Divus Petrus Damianus, innuens, ac ſignificans *Lib. 9. Ep. 19.* arma contra vitiorum aſſultus) *nullus mihi validior videtur clypeus, quàm meditatio mortis*; quæ penitiſſimè vos poſſideat, vobis ſit cordi, veſtris adhæreat medullis, Mechanici.

HISTRIONES
AD
FONTEM.

CAPUT VIII.

1. Quid ſibi vult ſanitas? Breves dicerim pugnantium elementorum inducias. Attamen inconſultis mortalibus eſt volupe, obſcœnarum ſcenarum ſolatiis recreari, nec diſparibus compoſitionibus indulgere; cùm apprimè ſibi proſpiciendi in tantâ iterati certa-

certaminis acerbitate, neceſſitas urget, nec non propugnacula munienda veniunt, quò omnis obſepiatur aditus deprædandi animæ fortalitium, ac urbem. *Anima rationalis eſt civitas*, eructavit Olimpiodorus. Corpus ſtat pro mœnibus, unde cingitur illa. Tam autem occurrit fragile, quàm vitrum, tam caducum, quàm folium, quod levi febre correptum corruat. Modicùm durant induciæ; expectatur aſſultus, vóſque, Comici Narciſſi, in orcheſtram deſcendentes, choreas componetis, hoſte in humanitatis propugnacula aſſurgente, ſuáque letho vexilla figente? Scenas illuminabitis, quum inverſorum oculorum umbræ cum tumuli cimmeriis fœdus ſancient? Fabulam exhibebitis, dum eſt, eritque fabula veſtra vita. Hæc fabula ſcenica protinus abſolvitur in ipsâ protaſi tragœdiæ. Plutarchus noſtris aſſertis fidem aſtruet, ac gravius auctoritatis pondus conciliabit: *Vita Comœdia eſt, cujus Epilogus mors eſt.* Et alibi: *Vita Græcis Comœdo-tragædia eſt; nam miſta habet lætis triſtia. Porphyrius matrimonium etiam ſic appellavit.* Hinc Cæſar, apud Suetonium, animam agens eructavit; in hac mundi ſcenâ omnium excelſiſſimam egi perſonam, tanto majeſtatis pondere ſceptrum tractavi, uti terrarum Orbis, quà latè patet, contremuerit. Diadematis jubar auguſta circa tempora, longè latéque radiavit, ac ſcintillavit, nec non ad chlamydis decus obſequiorum tributa, plauſuum vectigal certatim elementa pependêre. Theſauros largâ profudi manu; populis moderatus ſum; hoſtium cervicibus jugum impoſui, frœnum injeci, quod minimè morderent, queis dextera fidem ſancivi, ac propemodum adorator Orbis mihi litabat. Comœdiæ denique coronis eſt addita, colophon impoſitus. Igitur *amici valete, & plaudite.* Verùm enim verò quis feſtivus manebit applauſus, lachrymoſum fabulæ epilogum, ac exitum. Tantæ magnitudinis nervos falx Libitinæ ſuccidit, ſuòque Cæſar oppreſſus pondere jacet. Hinc Juvenalis elicit lachrymarum torrentem, quoniam

Fabula vana ſumus, vita hæc eſt ventus, & umbra.

Luminibus lachrymarum imbre ſubmerſis, funeſtataque mentis ſerenitate, hortatur Eccleſiaſticus, nobis perpendendum eſt lethum: *In fine hominis denudatio operum illius.* Quod & Chry-

cap. 10. in Eccl.

Cap. 11.

ſoſtomus reduxit ad calculos, quoad recitantium repræſentationem: *In præſenti vita paupertas, & divitiæ nihil aliud ſunt, quàm perſonæ. Quemadmodum inſtante veſperâ, ubi fuerint theatro egreſſi, habitúmque fabulæ depoſuerint, qui priùs Reges, ac Duces eſſe videbantur, poſt apparent id, quod ſunt; Ita nunc cùm mors advenit.* In hujus mundi theatro perſonam exhibemus Chriſticolæ, nec non creaturæ, quæ ſingulis ſe momentis Creatoris tribunali ſiſtat. Comædia actu recitatur. *Quomodo fabula, ſic vita,* teſtatur Seneca: Verùm *non quàm diu, ſed quàm benè acta refert.* Oportet nos probemus Evangelii ſequaces, non Alchorani Mahometi; quippe mentitos tandem amictus exuentes, quales inveniemur, ſive probi, ſive ſceleſti, Domino denudabimur. Hinc ſcenicâ dicacitate mihi liceat Scenicorum deliramenta mordere.

2. Nullus ambigo, theatrorum exercitationes levandis animis Literatorum, dulcandiſque curarum amaritudinibus, invectas fuiſſe, ac viguiſſe. Quidam juvenes Athenienſes ſatagebant, animi recreandi, æſtivo tempore, cùm maximè Sol torret; ad quem ſcopum ſuper promiſcuis argumentis dialogos commiſcebant. Hoc autem inſtituebatur aperto, liberóque in campo, eſt etenim viriditatis mentem ſenerare, avidóque cordi jucunditatis pabulum ſuppeditare. Moleſtiis attamen, queis flagellabantur (quis enim illæſus titaneæ lampadis effrænem ſuſtineat ardorem) ad erigenda frondea tabernacula compellebantur; quæ temporis decurſu ex incremento degenerârunt in ſcenas: Hinc Virgilius,

- - - - tum ſylvis ſcena coruſcis
1. Æn. *Deſuper horrentique atrum nemus imminet umbra.*

Ergo in machinis theatralibus, dum oculus aſpicit, Comici Narciſſi, mens moralitatem, adhibita contentione, ac feſtinantia, penſet, quò conſcientiæ ſordes detergere maturet. Arborum ramos cum frondibus ſcena ſuum jactat initium, quandoquidem veſtra mentita palatia, quæ mundi civitates exhibent, ac fora, frondibus mobiliora, magiſque caduca deridentur. Quantocyus frons exſiccatur, extemplo temporis effecta ludibrium, ac ſpolium. Pereunt telæ, machinamenta deſtruuntur, tabulata præcipitant, recitantes pro-

proſternuntur, in quos quadret illud Jobi: *Contra folium, quod vento rapitur, oſtendis potentiam tuam, & ſtipulam ſiccam perſequeris?* Quippe tam Scenæ, quàm Actores folia ſunt ſicca. Scenæ ſumptuoſiſſimæ vitæ ſunt, queis parandis theſauri profuſi diſcuntur, ac exenterata marſupia. Admirabiles omnino Hiſtriones omni penè ætate floruerunt, quò verò receſſêre? Num illarum ſupereſt veſtigium? Utrumque evanuerunt ceu ſomnium, inquit Theodoretus: *Scena humanæ vitæ ab inſomniis nihil differt.* Hinc acutus Chryſoſtomus perſpicaciter eructavit cum Theophylacto, ac Ecumenio, in illud Divi Pauli: *Præterit figura hujus mundi; præterit ſcena hujus mundi.* *in Pſ. 72.*

3. Igitur Mortalibus, licet tam nobili recreatione indulgere, levari ſolatii dulcedine. Verùm Cœleſtis Spiritus meis allabitur præcordiis, meum pectus inflammat, unde deteſtationis virus in hos ſectatores evomam. Et quamvis Eutrapelia probris elabatur, attamen vos, ô Mimi, extractam Veneris lupanaribus, in ſcenam datis adulteratam, proſtitutámque. Vobis Spectatores applaudunt ignaris, à culpâ veſtram fluere laudem, encomia proficiſci, filia non ſalſæ, ſed ſalacis facetiæ, & joci, cùm ſpectantium aures proficiſci deberent. *Adhuc deinde morum quanta labes?* (progreditur Divus Cyprianus) *quæ probrorum fomenta, quæ alimenta vitiorum Hiſtrionibus geſtibus inquinari? Plúſque illic placet, quiſquis virum in fœminam magis fregerit, in laudem creſcit ex crimine, & eò peritior, quò turpior judicatur. Spectatur hìc, proh nefas! Et libenter.* Hìc animus calet, hìc ſpumat, hìc accenditur in libidinem, & quiſque pretio ſibi ſtruit ruinam, vitiorum alimentis, probrorum inhians fomentis. Hìc mollis in Venerem frangitur, eliminatáque diſciplina, dum exulat morum probitas, regnat, triumphàtque corruptela. Proh nefas! Mercede diſcitur animæ jactura, ut nulla mitioris ſortis ſpes affulgeat, dum lubricis præcipitium arridet, quorum pectoribus, quorum votis aſpirant, inſtillant, obſcœna quæque Hiſtrionum audacia, nec non impudens ac operoſa ſolertia. *Quid de Mimis loquar* (iratus eructat Lactantius) *corruptelarum præferentibus diſciplinam? Qui docent adulteria, dum fingunt, & ſimulatis erudiunt ad vera. Quid juvenes, aut virgines facient, cùm & fieri ſine pudore, & ſpectari libenter ab omnibus cernunt? Admonentur utique quid facere poſſint, &* *l. 2. Ep. 2.* *l. 6. div. inſt. c. 20.*

 inflam-

inflammantur libidine, quæ aſpectu maximè concitatur: Ac ſe quiſque pro ſexu in illis imaginibus præfigurat, probántque illa, dum rident, & adhærentibus vitiis corruptiones ad cubicula revertuntur. Meritò proinde dixit Statius:

Huc intrant faciles emi puellæ.

Ubi ſiquidem vehementiùs inflammamur libidine, ubi adhærentibus imaginibus, vitiorum regnum tenaciùs affricat obſcœnorum amorem, ac cultum? Theatra, ſcenæ, queis agglutinatos nulla avellat violentia; calamitatum iliades parturiunt: *Obſcœnum dictum à ſcena, quòd non niſi in ſcena palam dici non habet:* affirmat Varro. Obſcœno verbo per aures ſerpente, cor, & anima venenatur. Quoties pudicas matronas, reduces à theatris defloratas, adulterataſque datur offendere? In teſtem voco Divum Cyprianum: *Adulterium diſcitur, dum videtur, & lenocinante ad vitia publicæ authoritatis malo, quæ pudica fortaſſe ad ſpectaculum Matrona proceſſerat, de ſpectaculo revertitur impudica. Propheta Ezechiel idololatram ſugillavit ſpectatorem comœdiarum; & dixi ad eos, unuſquiſque offenſiones oculorum ſuorum abjiciat, & in idolis Ægypti nolite pollui.* Sanctus Hieronymus explicat: *Ab idolis, hoc eſt, à ſpectaculis, imò offenſionibus Ægypti, quæ rectè idola nominantur, removeamus oculos arenæ Circi, ac Theatrorum, & omnibus, quæ animæ contaminant puritatem, & per ſenſus ingrediuntur ad mentem, impletúrque, quod ſcriptum eſt, mors intravit per feneſtras veſtras.* Theatrum, dæmonis Eccleſiam, deteſtatur Tertullianus: *Quid facis in illo ſuffragiorum impiorum æſtuario? Recogita quid de te fiat in cœlo. Dubitas enim illo momento, quo in diaboli Eccleſia fueris, omnes Angelos proſpicere de cœlo, & ſingulos denotare, quis blaſphemiam dixerit, quis audierit, quis linguam, quis aures diabolo adverſus Deum adminiſtraverit? Non ergo fugies ſedilia hoſtium Chriſti, illam cathedram peſtilentiariam, ipſúmque aërem, qui deſuper incubat ſceleſtis vocibus conſtupratum?* Comicis ſpectaculis, quæ ſanæ mentis conviciis, ac ſibilis conſectetur, perennè pernicies accumbit.

l. 6. delin. lat. — l. 2. Ep. 2. — in c. 20. Ezech. — l. de ſpect.

4. Cùm autem & Hiſtriones, & Mimi damnentur, qui ad prophanas ſcenas varias induunt perſonas; Quis non invehat laxa-

tis

tis habenis in divini verbi adulterinos Præcones, dum in ſacris ſuggeſtibus, ac cathedris, tam ſanctum munus inflectunt in Mimorum, ac Hiſtrionum corruptelas? Utinam illorum unuſquiſque oraculum Doctoris gentium ingeminaret: *Ne fortè cùm aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar.* Modò Ariſtoteles Hiſtriones alloquatur: *Cur Hiſtriones improbis mentibus magnâ ex parte ſunt?* Tandémque reſpondet, *quia non ſe dedunt ſtudio ſapientiæ, & incontinentiæ operam dant.* Quoniam nunquam recordantur mortis, cujus meditatio germanam creat ſapientiam. Hinc Chryſologus, *mortis Philoſophiam*, dixit. Divus autem Hieronymus ad Nepotiani epitaphium: *Platonis ſententia eſt, omnem Sapientum vitam, meditationem eſſe mortis.* Igitur veſtri Publii Syri, quem hiſtoricæ traditiones immane quantùm decantant, exitum perpenditote. In illo conſpirârunt actionis lepor, ingeniique argutia; ac nondum magiſtro experimento lævigatus, ſtudiíque limâ perpolitus, ac antequam tyrocinii rudimenta poneret, vel ab ineunte ætate adulta edidit comicæ perfectionis ſpecimina, ut Hiſtrionum idea ſuſpiceretur. Illius herus hydropicum famulum acriùs increpavit, in apricitate cubantem, *quid in Sole facis?* Tenellus autem Publius repente reſpondens, *aquam calefacio*, unà cachinnos, bilémque Spectatorum pectoribus extorſit, ac excuſſit. In lautiſſima cœna hoſpitaliſſimus homo propoſuit, quod otium eſſet moleſtum, ac oneroſum; cúmque animadverteret, convivas hæſitationis Pelago inerrare, extemplo prorupit, *podagrici pedes.* Ex his præludiis, ipſum futurum clariſſimum Comicum, nullus ibat inficias; eóq; proceſſit famæ, uti Julius Cæſar illum Romam acciverit, Romam imperârit contenderet, ad contendendum adverſus memoratæ facultatis famigeratiſſimos: Quo in ſtadio palmam æmulis præripuit, vel de Laberio triumphum reportans, qui Latinos inter exhibitores Phœnix eminebat. Hinc Publius illi dixit: *Qui cùm contendiſti Scriptor, hunc Spectator ſubleva.* At Laberius his Verſibus reſponſum appoſuit ſtomachabundus;

1. Cor. 9. in probl. ſec. 30. Ep. 3. ad Heli. Macrob. l. 2. c. 7. Satur.

Non poſſunt primi eſſe omnes omni in tempore.
Summum ad gradum cum claritatis veneris,
Conſiſtes ægrè: Et citiùs, quàm aſcendas, decides.
Cecidi ego, cadet qui ſequitur. Laus eſt publica.

De ſummo claritatis gradu deturbatus Laberius, dejectus Publius, vileſcunt; quos æmulabuntur Hiſtriones, Mimique futuri. Ubi nunc Satyrus Mimus, qui, quoſdam Sophoclis Verſus recitans, priùs Demoſtheni recitatos, denudârat, non artem, aſt actionem in illo deſiderari? Cleonem Mimaolum venari perge, qui, viduatus larvâ, denudatus amictibus, citra peregrinas ſuppetias, riſui ciendo par commendabatur, nec non quaſcunque perſonas reddendo. At non invenies. Ubi Neſtor, ubi Aliturus, ubi Faunus, ac Agrippus? *Cecidi ego, cadet qui ſequitur.* Tantâ pernicitate avolârunt illorum momenta, ut meta vix ab initio diſtare ſit viſa. Philemon in poſteram lucem inopino imbre præpeditus, Comœdiam recitandam diſtulit, quam inchoaverat. Statâ die multitudo confluxit reſiduum exceptura. Ad moras nectentem Philemonem deſtinantur nuncii, ut acceſſum maturaret; at, in toro extinctum offendentes, teſte Apulejo, reduces hoc tragicum ſpectaculum præſto-
l. 3. lanti cœtui exponunt: *Philemonem Poëtam, qui expectaretur, quò in theatro fictum argumentum finiret, jam domi veram fabulam conſummâſſe.* En, quì fato concedant Comici, queis, amabò, aures accommodare dedignator.

5. E diametro, è regione utinam ex propitii, amicique cœli indulgentiâ quiſque, inſtar Geneſii, ſupremæ neceſſitati faceret ſatis. Hunc æmulari delectet, ô Vos, qui cothurnum, ac ſaccum induitis. Diocletianus, purpuram ſibi tincturus Martyrum cruore, Chriſticolis ſe probat inviſum. Geneſius Hiſtrio, tyranno morigeraturus, per jocum, atque ludibrium, ſacris undis ablui ſuſpirat, ut baptiſmo regeneraretur. Advolat cœleſtis Paranymphus, qui ab infantiâ contractas labes, ac maculas, ſordéſque, aduſque illam diem, enumeret, ſpondeatque futurum, ut regenerationis fonte detergantur, eradantur, expungantur. Novo ſpectaculo Geneſius attonatur; Hinc à cœleſti Genio roboratus, in ſpem erigitur, jamque coram, palámque confitetur, ac proteſtatur, non ſimulatione ſpecioſâ, larvatiſque mendaciis, at ardore ſalutis æternæ viſcera inflammante, ſacras ſe baptiſmi undas, magis magiſque ſitire. Hæc actio Diocletiani plauſus meruit, opinantis Hiſtrionem ad vivum exhibuiſſe. Accurrunt Comici ſatellites, ceu damnatum ad ſuppliciorum acerbitatem rapere conarentur. Geneſius Veneris ſtatuæ, quam incen-

centivam libidinis torvis aſpicit oculis, ſuccenſens, ſicque Sirenes prætermavigans, germanum ſe Chriſticolam, non fictum affirmat, ex Hiſtrione Apoſtolum, ex mancipio dæmonis cœli pugilem, ac laureatum athletham. Tyrannus, furiis averni mentem diſcurrentibus, ac pectore minarum ſpirante, ſpumat in carnificinam, ſtrages anhelat, inhiat excidio. En crudelis cataſtrophe, en barbaram metamorphoſin! Crudeliſſimis mancipatur tormentis, quorum impetum cùm adamantinâ eluiſſet conſtantiâ, tandem capite diminuitur, quà cruenta, quà innoxia victima; cujus interitu Diocletianus proprio parentavit furori. Cur autem hac ferreâ ætate inter theatra, nulla ſpectatur pietatis peripetia? In promptu cauſa eſt; quoniam morſo modeſtiæ frœno, perfricatâ fronte impudentiæ litatur idolis; & qui ſexus ſequior, mollis, imbelliſque in Penatum penetralibus latere deberet, velut Catharina Senenſis, Herodiadum more, incompoſitus in ſcenis choreas ducit, effræni licentia effunditur in prætextatos mores, ac laſciviâ diffluit.

6. Crimen abominor intolerabile ducentium conjuges, atque filias, recitatum in theatris. Superſedeo detrimentis, quæ Auditoribus creant, atque generant; quoniam, *colloquium illius quaſi ignis exardeſcit.* *Eccl. 9.* Vita umbratilis, ac delicata mulierum, nunquam fermè ad laſciviæ ſcopulos allidet. Candaules Lydorum Rex, quum uxorem haberet longè formoſiſſimam, haut contentus ſecretâ voluptatum ſuarum licentiâ, & conſcientiâ, eam Gygi amico nudam oſtendit: Quo pacto ſodalem Reginæ captum ſpecie ex amico hoſtem fecit, & tanto propoſito præmio in necem ſuam pellexit, uxorémque, & regnum dotale veluti in manum tradidit. Vos, Comici, venalem exponitis veſtrarum uxorum, filiarùmque pudicitiam, queis ut conſueſcere ardeant Spectatores, muliebri mundo comptiſſimas exhibere nullatenus erubeſcitis. Adde (pudet dicere, at juvat) exertas mammas, ceruſſâ, purpuriſſoque vernantes genas; Unde quiſquis aſpexerit, non tam voluptatem hauriat, ac derivet, quàm laceratæ conſcientiæ ſpinas, ac ſentes ſentiat. Aaron mulieribus monilia, torquéſque detraxit cum annulis, fundendo, quod populus expetebat, idolo; verùm in fuſione monſtroſus vitulus apparuit: Quid enim ex luxu, cultûque muliebri, præter vituli caput, emerget? Hìc nolo exclamare cum Dio-

Diogene Sinopeo; qui, Megarenſes gregis curæ addictiſſimos animadvertens, modicam verò navantes operam educandæ ritè proli, liberiſque informandis, ac imbuendis, efflavit, malle ſe Megarenſium eſſe capram, quàm filium. Quid autem Divus Gregorius Magnus ſentiat, quid memoret, atque referat, pronis audiamus auribus.

Hiſt. Trip. l. 7.

7. Abbas Pambo Alexandriâ revertens, mulierem offendit, in theatro ſonantem. Ad lætum ſpectaculum funeſtatur illius animus, ac muliere eburneâ manu plectrum plectente, amariſſimas lachrymas effudit. Rogantibus cauſam reſpondit: *Duæ cauſæ movent me; una eſt, quòd toto tempore vitæ meæ non ſic ſtudui, nec tantùm laboravi placere Deo meo, ut iſta ſtudet placere mundo. Secunda cauſa eſt perditio ipſius.* Cur tantum ſæculo, nihil Deo? Cur, comica adoleſcentula, ſpeculum conſulis, quò Spectatorum tibi corda devincias? Roſæ purpura, quæ tuis in genis vernat, mox evaneſcet; Momentis tranſvolantibus rapta flacceſcet. Rugæ frontis decus arabunt, ac ubi riſit floridæ venuſtatis amœnitas, thronum eriget exſucci horroris hyems. Quære Lucejam, quæ integro ſæculo Orcheſtras frequentavit, quæ centum annorum ſpatio locuta, totâ nunc æternitate obmuteſcit. Galeriam quære, cum Quintilia; quæ complex conſpirationis Pompidii adverſus Caligulam habita, infractâ conſtantiâ tormentorum barbaram eludens lanienam, veritatem judicibus palliare calebat, quam æterno Judici negare minimè potuit. Ubi Cytheris, quæ neſcivit in Scenis triumphare, quin triumpharet ſupra currum, generoſis vectum leonibus cum Marco Antonio, poſt Pharſaliæ prœlia, Comici, comicæque fato concedunt. Quid tu, Antiochena Pelagia? A ſcena transſivi ad eremi ſolitudinem, ad inhoſpitâ eremo ad cœlitum conſortium. Mihi cella cœlum peperit, hactenus ſcorto, modò pœnitenti; cujus olim oculi theatris illuminandis pares adamabantur: Celebris Comica meis illiciis audientium animos hamavi, ineſcavi, Phlegetontis laqueis irretivi: Quam Nonni præfervida concio ad bonam frugem reduxit. Fluxorum pertæſa, baccata projeci, gemmeis iraſcens, mihique nullum fuit pretium pretioſiſſimorum. Lachrymatos plorantibus oculis uniones accivi, byſſum cum pungentibus commutans ciliciis. Montem Oliveti cogitatio-

num

num alis adivi, inter olivas almæ pacis ſymbolum, perduelli meo corpori bellum paratura, inque auſteritatis caſtris, aſtris vim illatura. Quæ nuper meo ſexui fui ſcandalo, impræſentiarum integritatis ſpeculum reperior. O fœneraria Metamorphoſis! Huc advolate Comœdiis militantes, depoſitóque cingulo, Chriſti loricam induite. Quid moras nectitis vobiſmet inviſæ? Sapientis fuerit ægroti, præſentiſſimum pharmacum, everſo cunctationis poculo, avidiùs haurire, ac exſiccare.

8. Non ſine lachrymarum imbre, ac ſuſpiriorum tonitru recordor Euripidis, Terentii, Plautique; quorum opera antiquitatis umbris obſita nemo revolvat, quin animæ lethale vulnus infligat, de quibus tritum illud, ac vulgare repetat, *latet anguis in herba.* Mea tibi, Lector, officia exprobrabo, quoties reluctaberis meis acquieſcere monitis.

9. Itaque Comici compoſitores, caſtas, ac ſororantes Parnaſſi Muſas proſtituendo, obſcœna quæque ſuggerendo, propriam conſcientiam lethali labe devenuſtant, ac ingenuitatis candori maculam aſpergunt, digni inuri infidelitatis cauterio. Cujus rationem adducit Divus Thomas: *Quia turpibus, laſcivisque non remittitur* 2. 2. q.
animus, ſed alligatur, ſed opprimitur, ſed vulneratur, & ſæpe oc- 168.
ciditur; atque, ut quidam ait, obſcœni hi ludi civitatem vitiorum, ac art. 3.
turpitudinum ſervam faciunt, & ſluprorum, adulteriorum, incæſtuum, ſacrilegiorum ancillam. Pariter delinquunt, ac committunt in Numen Spectatores, quatenus cooperantur ad malum Hiſtrionum, periculo proximo ruinæ ſpiritualis exponunt ſe ſe: Si enim ſpectatum accedere detrectarent, illámque vitiorum metropolim declinarent, Mimi neutiquam in ſcenis ſaltarent. Hirundo tectum deſerit perdilectum, quàmprimum ruinam imminere comperit. Vóſque non maturatis vos ſubtrahere præcipitio, quod Comœdiis paſſim accumbit? Cur autem, niſi ſcelera ſceleribus cumulaturi, Comicis ſpectaculis mulieres miſcetis, Hiſtriones nëoterici, dramaturgiarum Scriptores, quîs nil pejus? Protagoras rogatus, quid eſſet conſilii, quid ſibi vellet, quod filiam jugalibus vinculis uni ſuorum hoſtium copulâſſet, reſpondit: *Quia nil illi dare poteram deterius.* Democritus æquè reſpondit interroganti, cur tam brevem duxiſſet uxorem: *Ego ex omnibus malis minimum elegi.* Quid ete-

nim fœmineo ſexu deterius, qui periculoſum ſemper offenditur? Eſt ergo vana vena Comicorum Poëtarum, nî eorundem compoſitiones colliment ad exhibendam conditorum vanitatem imorum, unde reſultet, *ſtatutum eſt omnibus hominibus ſemel mori.* Authores, Actores cum Spectatoribus, redigentur in pulverem, reſolventur in cinerem. Veſtro ridiculo lethi copulatur ſerium. En ſuaviſſimus Silos Cygnus;

Si te Mime, tuo ſpectes in fonte, videbis
Protinus, ut vitæ ſit tibi ſcena brevis.
Exhilaras ſalibus, ſolvis riſuque Catones;
Non ideo Parca eſt mitior ipſa tibi.

Hiſtriones inſulſi ſalibus, lethi acerbæ memoriæ condiendæ non ſunt, queis haut mitior Parca non parcit. Cur ergo non revocant calculos, ſéque pietatis cultui dedunt, calamum prohibentes à lubricis compoſitionibus? Aurato crine comptus, in theatro Abſalonis perſonam exhibebat inauſpicatus juvenis. Hoc capillitium ſexcentis irradiatum ſcenæ luminibus, haut ſecus atque coma Berenices, inter ſcintillantes cœli pyropos, fulgebat. Aſcititium decus dum jactat, præque ampullatur fucatis phaleris, ac emendicato jubare, aureas inter crinis undas, illius mens pauper ſubit naufragium. Dementatus locum fecit Lobrani Poëtico ludo, luſúſque luſûs mordacitatem expertus eſt;

Inſanis, juvenem inſanum dum Mimicus effers,
Et furis, in patrium dum furit ille genus.
Par ambos finis, par exitus excipit ambos.
Ille Comâ periit, tuque peris capite.

Ergo in Scenis mentis jactura ſubitur; quiſquis enim ſe mortalem agnoſcens, theatra frequentat, fatuitate laborat, quoniam propriam animam impietatis ancillam conſtituit. Nero, infamiâ famoſus, quocùmque monſtro crudelior, ferâ ferocior, auguſtæ majeſtatis diſpendio, atque probro, in theatris recitans lucrum ſitiebat, ſordidiſſimo miniſterio locans operam. Tam Comicus, quàm

quàm Imperator fuit, utriuſque munere defunctus. Nihilo ſecius defunctis aſcriptum nullus deflet. Non potentia, non lenociniorum ſuavitas, atque dulcedo lethi furorem demulcebit, cohibebitque.

Non ideo Parca eſt mitior ipſa tibi.

11. Ad hoc reſpiciens Clemens Alexandrinus efflavit, *homo eſt cythara*: Sicut enim cytharam fidium conſtituit diverſitas, æquâ lance homo conſtat ex animâ, & corpore, honorum gradibus, unde emergit harmonia in Numinis laudem, patriæ, ſui ipſius decus. Quid autem? *Rumpitur hæc cythara dolore, & morte.* Poſt funus autem quid accidet? Legant in Exodo divina myſteria recentiores Hiſtriones, ac Mimi, ſic figurarum velo recondita; qui cervicoſi theatra frequentare non deſinunt, nec errata ſuperioris ætatis redimere maturant: *Pluit Dominus grandinem ſuper terras Ægypti, & grando, & ignis miſta pariter deferebantur; & percuſſit grando in omni terrâ Ægypti cuncta, quæ fuerant in agris, ab homine uſque ad jumentum.* Ægyptus, cujus nomini inſunt cimmeriæ, deſignat tenebricoſam, cœcámque profligatiſſimorum delinquentium vitam, dum oculis inſtructi, pernitiem à ſcelere partam haud deprehendunt. Inveniuntur *in agris*, in voluptatum arvis, ſub deliciarum arboribus, ſuper molles amoris herbas; quoniam in Comœdiarum theatro, quod Codri appellant tempe, amoris gaudent peripetiis, cataſtrophibúſque inauſpicatorum amantium, ſalacibúſque facetiis; queis adjicias argutias Satyricas, obſcœnos motus, Veneris, Cupidiniſque flammas, atque languores. Sed ecce nubili cœli inopina tempeſtas, en ægritudinem, ô Actor, ô Spectator: *Percuſſit ab homine uſque ad jumentum*: Cùm enim homo conſtet animâ ac corpore, hìc oſtenditur utraque mors, ſpiritualis, ac temporalis.

In orat. cont. gent.

12. In Comicorum repræſentationes Plutarchi quadrat oraculum, de lætitiâ mœrori commixta in Ægei obitu, dum Oſcophoria celebrarentur triumphante lætitiâ: *Litatione demum peractâ, Ægei mortem expoſuit. Itaque raptim in urbem aſcenſum eſt cum fletu, ac tumultu. Unde nunc quoque Oſcophoria celebrantur, ita dicta à frondium geſtatione ſolemni inter libandum acclamatur à præſentibus. Ele*

ſeu Jù ju, quarum prior lætantium militaris vox eſt, altera conſternationem, & mœrorem ſignificat. En populi plauſus, en cachinnos, en jubilorum voces in Comœdiis! At eodem tempore deploranda venit mors animæ, atque corporis.

13. Lucianus Sophiſta narrat, evolutis ſæculis Magiſtratum viguiſſe, qui ineptè, nec pro dignitate Deorum, perſonas non exhibentes in theatro, multabat, parùm ſollicitus, num ſervos æmularentur ad unguem, ac ritè: *Servum enim, vel nuncium minùs aptè repræſentare, parvus error, at Jovem ipſum, ſeu Herculem haut pro dignitate Spectatoribus oſtendere, turpe, ac piaculo ſimile eſſe videtur.* Itaque quòd Comici, quæ ſunt corporis accuratiùs quàm animæ negotia peragant, culpandi veniunt, ſuóque decedunt munere. Comicus inconditæ multitudinis deliciis ſtudet, cum otium vix ſufficiat invigilando animæ ſaluti. A momentis igitur pendet noſter exitus, aut prœmio, aut æternis ſuppliciis afficiendi noſcimur: Quod attamen haut reducimus ad calculos, Comicis oblectamentis prolixiùs indulgentes, otiúmque nacti magis otioſum; omnium pretioſiſſimum dilapidamus, dum nullius momenti, nullius ponderis ſpectaculis impendimus, niſi quòd æternæ damnationis pondus crebriùs operentur. Rurſus quoniam in Venere animæ Symbolum locatum agnoſcitur, neceſſum eſt fateri; Cupidinem ejus eſſe filium, quandoquidem amor ejuſdem occurrat paſſio; hincque veſtra perfidia cubitalis deprehenditur: Nullus ambigo, nullus ibit inficias, amorem in mundo natales fuiſſe ſortitum, in commodum, ac beneficium mundi. Vos autem illum contaminantes, univerſo maleficium effeciſtis. Si in Academia hoc proponeretur problema; Amor creatis obfuitne, an profuit? Utili ego adhærerem. Hinc latiùs vagandi animum libido ſubit, quò eluceſcat, quantam pernitiem ſceleſti Comici omni ætate creârint: Spe fretus, neque cervicoſum meis aſſertis fidem ſubtracturum, eſto ſupervacaneum ducam, conglobatis argumentis indulgere, cum luce meridianâ hoc clariùs appareat.

Dial. Piſ.

14. Vim amoris expendens, miroſque effectus, Marſilius Ficinus prorupit: *Singula quidem amoris beneficia generi humano collata referre, ſupervacaneum eſt, præſertim cùm ſummatim comprehendi omnia non poſſint.* Hinc cunctis ſuperſedens, unum duntaxat trutinabo,

tinabo, cujus conſideratio plurimum ponderis meæ propoſitioni conciliabit. Nemine communibus votis, atque ſuffragiis reluctante, venuſtas quidam divinitatis radius, ſplendor, ac jubar ſuſpicitur: Ita memoratus Marſilius: *Pulchritudo nihil aliud eſt, quàm ſummi boni ſplendor.* Rurſus: *Contemplans aliquis pulchrum, quod corporibus ineſt, ex eo progreditur ad animi pulchritudinem, hinc ad alteram, quæ in inſtitutis, ac legibus, deinde ad immenſum pelagum ipſius pulchri.* Et alibi; *Quò fit, ut pulchritudo circulus quidam divinæ lucis exiſtat, à bono manans, in bono reſidens, per bonum ad bonum ſempiter nè reflexus.* Nihilo ſecius ſingulis diebus ſplendent aurea ſydera; certatim florent florum familia, roſam coronatura Reginam, quæ nativam ſibi purpuram tinxit; Pelagus immenſis ſcatet gazis; oculi ſpectantur; in ore ſtellarum inſtar fulgurantes, quod & majeſtatem undique, leporem undique, amœnitatémque ſpiret, ac in ſui rapiat admirationem. Quo verò ſcaturit fonte tam larga voluptatis germanæ vena? Oculi terreni reperiuntur invalidi ad luſtrandum divinum radium, qui penes mortales audit venuſtas; niſi priùs amoris efficacitate, detractis obicibus, hauriendi luminis capaces evadant. Haut conſonat veritati, viſam pulchritudinem amari; priùs enim amatur quàm ſpectetur: Quod qui intelligendum ſit, dilucidabo (ſi clariore notitiâ opus foret) cum Platonicorum torrente; Quoniam priùs amatur pulchritudo in univerſi legibus, quàm in nobiſmet ipſis experiamur, quam poſtmodum videmus per materiales oculos, in objectis itidem materialibus. Hoc ingens emolumentum, quod amor affert, ſignificant apud Apulejum ſacræ caligines myſticæ vitæ, qua Cupidinis oculi involvuntur. Hoc idem adducit Natalis Comes in Quarto Fabularum: *Tunc cæcum Cupidinem dixerunt ob turpitudines, quæ ab hominibus, dignitatis ſuæ oblitis, committuntur, cùm illum potiùs ad divinorum conſiliorum mirabilitatem ſpectet, ad quæ cognoſcenda cæcum eſt, & infans prorſus humanum genus.* Quidquid autem probandum aſſumpſit, ſat ſuperque ſtabilivit. Lucianus Philoſophus, ita ut recens argumentum, apud illius authoritatem otioſum, ac ſupervacaneum, certè infans haberetur. In Tertio Dialogorum introducit inter Deos Venerem, irâ ſuccenſam, ac excandeſcentem, nec non exprobrantem tot ſcelera in Cupidinem, ceu pie-

tatis oblitam maternæ. In ſe derivatam culpam exoneraturus Cupido, blandè tranquillato exacerbatæ, ac recrudeſcentis æſtu, ſic effatur: *Poſtremò quid ego pecco, cùm res pulchras, ut ſunt, offero, ac demonſtro? Ergo,* concludit Marſilius: *Amorem eſſe Deum magnum, atque mirandum, nobilem præterea, & maximè utilem, ſine controverſiâ fateamur.*

15. Ecce quomodo Comici amorem natum, ad illuminandos mortalium oculos, inflectant in inſtrumentum cœcitatis, quò minus Numen ſpectari queat. Venuſtas in theatro non amplius pro ſcalâ deſervit, ut per gradus aſcendat ad Creatoris limpidam cognitionem, at in profundas præcipitat abyſſos, in barathrum deturbat. Quod mundo ſalubre fuit, exitiale occurrit. Cœleſte migravit in tartareum. Qui amor, Comici Narciſſi, candorem ſpirabat, puritatem, atque ingenuitatem, per veſtras corruptelas totus eſt mutatus ab illo. Quis ergo Deus vobis indulgebit, quod erit ſupplicium? Altiſſimus totus in fermento, in Vos excandeſcens, furoris ſui fulmina in veſtra vibrabit capita. Attamen callum obducentes improbitati, theatra frequentatis, nec Scenis valedicitis, utut occiduæ, rugoſæque ſenectutis pondere penitus oppreſſi langueatis. Anus edentulæ dum in theatris ſe repræſentant, ætatis damna compenſant artis præſidio, ut, ubi natura deliquio, fœditas oris regnat, rideat amœnitas, expleto Ovidii dicto:

l. 2. de art. am.

Illæ munditiis annorum damna rependunt,
Et faciunt curâ, ne videantur anus.

l. de Nabut. c. 5. De mulieribus quid ſentiat Divus Ambroſius, audite: *Delectantur & compedibus mulieres, dummodo auro ligentur: Non putant vincula eſſe, ſi theſauri coruſcant: delectant & vulnera, ut aurum auribus inſeratur.* Hinc oneratæ aſcititiis ornatibus onerantur & reatibus, *Ep. 2.* *quas oneratas peccatis* appellat Apoſtolus. Quod peccatum adeò grave eſt, ut primus Angelus cœli apud ſe illud pati non potuerit. Quo, Vos Comici onerati, miror, quomodo in theatro non opprimamini, niſi quòd ſuccollantibus tartaris, queis pergratum facitis, ſalvi maneatis. Plautus nobilis Hiſtrio, de Comica dixit: *mihi adveniente upupâ, quæ me delectet, eſt data.* Appoſitè upupam vocavit,

vit, quoniam hæc avis venuſtiſſimis veſtita plumis, ſpectantium oculos demulcet; at amat nidum conſtruere inter ſordida quæque, ac immunda. In quam hoc quadret, *amplexatur ſtercora*, proindéque graveolentiam halat, ac ſpirat. En prototypum Hiſtrionum, qui verſicoloribus amiciti, alliciunt, ore obſcœnorum verborum ſtercora eructante, unde Auditorum corda inquinentur. Cùm autem upupæ ſit familiare, contingátque ſolemne, nidificare prope ſepulchra, ſupra cadavera incedere; te mortalem eſſe conſidera, ut reſipiſcas, ut calculos revoces. Porrò Epicediis ſæpe ſæpius miſcentur genethliaca.

16. Liffardus, Monachus Colonienſis, Monaſterio valedicere tentat. Dum cœcæ noctis beneficio executioni id mandare maturat, Angelum cuſtodem aſpicit, cujus ductu ad Cœmeterium dirigitur. Deſtinatum locum attingens, mox ſepulchra ſua ſponte reſerata miratur, ex quibus tam gravis fœtor erumpebat, ut animam exhalaſſet, niſi, arcano Numinis conſilio, per Genium cœleſtem cuſtoditus fuiſſet. Aſpice, dixit empyreus Spiritus, aſpice hujus cadaver hominis, recèns defuncti: Exiguâ temporis intercapedine talem te futurum ſcias, videlicet putredinem, horridúmque ſpectaculum. Cùmque novum tumulum inviſere moliretur, præ Angeli ſuggeſtione, ſemianimis exclamavit: *Parce mihi Domine, parce: Non enim illa poſſum videre.* Comici, vibrate cogitationum jacula ad ſepulchra, lethum ob oculos vobis ponite. *Cæſar. l. 2.*

17. Hoc factum approbat Prophetæ eventum, quando Goliath proſtravit ipſiuſmet gladio. Cùm David iterum cum Saul contendere meditaretur, dicit Sacerdoti Achimelec, *ſi habes ad manum haſtam, aut gladium, da mihi.* David renuens gladium evitati Goliath, ſibi oblatum effatur; *Non eſt huic alter ſimilis, da mihi eum.* David pugnaturus adverſus Goliath, reſpuit Saulis arma, certaturus cum Saule Philiſtæi gladium appetit. At quemadmodum Goliath peccatum adumbrat, ſic Saul mundum. Ad dimicandum contra mundum, qui armatus dearmatis deliciis occurrit, obſcœniſque oblectamentis, neceſſarius eſt Goliath enſis, qui illum interſecerat, quique cruentatus mortis Machæra noſcebatur. Ad ſpectaculum enſis Libitinæ, mundus cedit, ſuccumbit, proſternitur *Non eſt huic alter ſimilis, da mihi eum.* Ad fulmineum ipſius jubar Scenæ, theatra

corruunt,

corruunt. Laudabilis extitit Prophetæ Danielis calliditas, aſtus, ac vaframentum, in condemnandis Sacerdotibus Idoli Bel; qui affirmabant, Bel ſuæ oblitum divinitatis non ſolùm comediſſe, ſed inſuper integram Provinciam devorâſſe, cùm tamen Sacerdotibus illis id tribuendum erat, quoniam memoratum idolum vanum agnoſcebatur erroris ſimulacrum. Daniel ad altare circumcirca cinerem diſſeminavit, queis impreſſa apparebant veſtigia diluculo, victimas intempeſtâ nocte compilantium. In Bel figura delinquentis elucеſcit. Miniſtri ſunt mundus, caro, dæmon. Templum nos ſumus, *templum Dei Sanctum eſt, quod eſtis vos*: Qui, utpote peccatores, degeneramus in templum Bel. Fraudulenti Miniſtri ſuadent, reatum eſſe voluptarium, cui omne bonum inſit, Comœdias eſſe jucundas, ac idoneas dulcandis curarum amaris. Allubeſcitne technas detegere, ac denudare? Sparge cinerem circa cor tuum, circa caput tuum, circa mentem tuam, diſſolutam in vanas cogitationes, luxuriâ diffluens corpus cinere velato, te mortalem eſſe cognoſce, nec non vitæ tuæ finem, æternitatis prologum; ita ut aut prœmium, aut ſupplicium te maneat, aut mœror, aut lætitia tuis reſpondeat operibus, prout probè, improbéve vixeris.

VENATORES
Ac
PISCATORES
AD
FONTEM.

CAPUT IX.

1. UMbroſas peto ſylvas, ad ſolitarias oras contendo, utpote loca meis funeſtis cogitationibus conſentanea, quæ ad lethum

lethum omnino collimant. At quid crudelem mortem inter inhoſpita, inter opaca nemorum, mutàque littora venor, expiſcor, undique occurrentem? Herbarum quælibet, ſingulæ arenæ mihi vivam mortis objiciunt imaginem. Sub opacâ annoſæ fagi umbrâ mihi recumbenti, tacitóque, necnon circumactum curarum erroribus caput dexterâ ſuffulcienti, plurimis ſtipatus canibus Venator juvevis obviat, obſtrepentibus latratibus cœlum implens, ac quietis otium horrore ſubmovens. Quò properas, ajo, arcum lævâ ſtringente, pendente à latere pharetrâ, innoxie Venator, cùm à tergo acutiſſimis inſtructum ſagittis fatum inſtare cognoſcas? Siſte greſſum, frænato feſtigium, progreſſum moliri ne tentes, atque matures, mecùmque tuis in armis, ac apparatu, cordi tibi ſit inſolentia contemplari. Nónne hoc ſclopeto vitam volucribus amas adimere? En ignarium, en petram ignariam. Hæc petra reperitur coloris tetrici, atrique. At tali colore cœli æmulari videtur gloriam; obſcurum enim fulget. Hanc forſitan petram accendit Xenophanes, ſui Solis radios formaturus. Illam nuncupabo compendioſam Ætnam, montium Semelem, elementorum Chimæram, cujus ope terra flammæque coeunt. Petra illa ferro percuſſa, ſcintillas elicit, ſuum ſplendorem declaratura, cujus duris mariti oſculis excitata, amoris flammas emittit; ex vulneribus non ſanguinem, at ignem effundens. Vilis apparet, inculta, ſordidàque gleba; quæ tamen, ceu petrarum Regina, coronam ſibi momentaneis exornat pyropis, fugacibus coronat favillis. Ad hæc poſtrema verba ſubſiſte, Venator Narciſſe, nec non cum Job eructato, *aſſimilatus ſum favillæ, & cineri.* Repete, *ſicut paleæ ante faciem venti, & ſicut favilla, quam turbo diſpergit.* Hodie vivit, hodie extinguitur. Hoc nemus Venator 30. 15.
diſcurrit, cervos, cunicuólſque deprædaturus. Cras erit vermium audacium inauſpicata præda; aut, ſi placet, cum Lactantio Firmiano interpretemur allatam figuram, *aſſimilatus ſum favillæ, & cineri.* Corpus terra eſt, petra, cinisque, ignis anima: *Ergo ſi anima ignis eſt, in cœlum debet eniti, ſicut ignis ne extinguatur, hoc eſt ad immortalitatem, quæ in cœlo eſt. Et ſicut ardere, & vivere non poteſt ignis, niſi aliquâ pingui materiâ teneatur, in qua habeat alimentum; ſic animæ materia, & cibus eſt ſola juſtitia, qua tenetur ad vitam.* Nullatenus ſæculi deliciæ, infructuoſáque ſolatia cum voluptatibus, at æ-

l.2.c.11. Et de Opif. c. 17.

quitatis exercitium, divinorùmque præceptorum cultus, & obſequium animam alunt, quæ, utpote ignea, ſurſum enitatur oportet in empyreum. Sin ſe demittere gaudeat, ſepulchrum recogitet, ubi cineres offendet gelidos, ignis effectus; *aſſimilatus ſum favillæ, & cineri*: Favilla, quæ proſilit ex igniariâ petrâ, ſplendida apparet, ac tandem obſcuratur. Porro lætum, fauſtumque ſortitur exordium vita mortalium! Undique aurora, lux undique; verùm occidit horrida, nec non funeſta.

2. *Aſſimilatus ſum favillæ, & cineri.* Licet autem favilla momentanea reperiatur, pro viribus in ſublime enititur, flante præcipuè aurâ. Argumenta, vos evehendi ad cœleſtium amorem, vobis affatim ſuppeditantur, Venatores, inter ſylvas, miniſtris volucribus, queis inſidiamini, quò mentis alis ad ſuperna præpetes evoletis. Admirationis terminos egreditur, quod Camerarius ſuis inſeruit voluminibus, in Saracenorum ſolo nutriri aviculam, nomine ſoroactem, duplici, eàque mirâ proprietate præditam. Nam à Dominicâ Paſſionis ad uſque feſtum Paſchatis diem, abſtinet modulamine, ſed linguam ligat alto ſilentio, in commemorationem ligaminum, quibus Chriſtus obſtringebatur. Toto eo tempore volatum haut vibrat, quòd in trunco vulneratus Redemptor, motu fuerit viduatus. Ceu mortua alas expandit in modum crucis, ex ramis aridæ præ mœſtitiâ arboris pendet, unguibus ſuſpenſa tenacibus. Architæ columba volando, ſtuporem diſſeminabat, quam ſuperat avicula memorata. Vocali ſilentio cum Divo Gregorio enuntiatrix auditur: *Cœli eum cognoverunt, mare cognovit, & volatilia cœli.* (dicere videtur avicula) *ſaxa, & parietes cognoverunt, quia ſciſſa ſunt: Etiam infernus cognovit, quia hos, quos tenebat mortuos, reddidit.* Nihilò ſecius Numinis mortalitatis ſpoliis circumdati obitus, quod planta elementorum ac pennatorum, haud defletur: Imo Venatorum corda, *duriora ſaxis, ſcindi ad pœnitendum voluit.*

Hom. 10. in Evang.

3. Secunda proprietas eſt, quòd, regnante Lunæ eclypſi, illius cor convertatur propemodum in aliud, quoniam obruitur humanâ caligine, oculi adumbrantur, veluti quadam nube. Tunc Virginem Matrem figurat, de qua dicitur: *pulchra ut Luna.* Eclypſata fuit Luna in Paſſione Reginæ cœli, & hæc avis ex naturæ prodigio lachrymas fundit, utriuſque parentis illachrymans funeri. Avicula magiſtra,

tra, pennatus Doctor erudis, in lethi cogitatione vivere vitam, dum te mortuam mentita vivis. Inter ſylvas ne ſylveſcant mores Venatorum, hortaris. Hoſpes nemorum, opportunam inhoſpitorum tumulorum cogitationem declaras. Etiam vitulinum paſſerem pendentem nanciſcêre, Narciſſe Venator. In Mexico, mirabili naturæ theatro, recentia jugiter emergunt portenta. Ibi avis illa nidulatur, Lycoſthenis ſuffragiis, recenſente Cardano, apum Regem magnitudine nullatenus ſuperans. A menſe Octobri uſque ad Aprilis exitum, per viridem frondem pendula ſe demittit, mortuæ quàm vivæ ſimilis. Appetente verò Veris floridâ amœnitate, cùm tellus hilarem induit faciem, excuſſo lethargo, reviviſcit, auditque paſſim paſſer reſuſcitatus. Itaque vel inter ſylvarum umbras umbræ mortis occurrunt. Ubique ſuum mors exercet imperium, ubique regnat, ubique triumphat, ubique mortales erudit, informat, ac imbuit. Quin imò pietatis ignara, indoçilis flecti, ſurda precantibus, quò minus irrito conatu aut ſpiculam vibret, aut falcem rotet, nullum haut profitetur exercitium, exercet profeſſionem, ſepulchrorum Proteus; ut, dum ſingulorum formas aſſumit, omnes, nullo dempto, perniciter rapiat.

4. Autumatiſne, lethum haud Venatoris munere fungi? Vobis oppidò conſtat, tyronem Venatorem à ſcopo crebriùs aberrare. Hinc iteratis ictibus demum prædam proſternit. At artis peritus Venator, diu, multùmque verſatus, nullum agnoſcit fruſtratum jactum, aut incaſſum explodit ſclopetum. Æquâ lance jaculatrix mors in infantis mundi incunabulis, Venatoriæ artis ignara, vacillanti manu nongentos annos ſupra triginta, evitando inſudavit Adamo; donec probum proſternet Seth, nongenti ac duodecim anni effluxêre; Enos è medio tollendo, nongentos, ac quinque impendit, Cainan nongentos ſupra bis quinque: Ne memorem Mahaleel, Jared, Enoch, queis perimendis (ut eruditi exploratum habent) plurimum temporis inſumpſit. Impræſentiarum autem abſoluta venatrix, non ſæculo, non die, non horæ ſpatio indiget, ut metam attingatat, unum ſufficit momentum; unoquoque ictu plures evitans, filio parentibuſque unà corruentibus. Hinc Rex Antigonus, nuntiato Alcinoris mellitiſſimi pignoris obitu, vultu ad hilaritatem compoſito, efflavit: *Obiit cogitatione ſeriùs*: Acerbiſſimæ

calamitatis ictum molliter ferendo. Proinde Juvenalis,

Ipſa rapit juvenes, prima florente juventa.

Quiſquis igitur meam explodet ſententiam, enervabit, ac delumbabit aſſertum?

5. Quot aſtus impenditis, Venatores, quàm laboratis irretiendis avibus, ac quadrupedibus, tot utitur mors, tám prolixè deſudat in vos inauſpicatos deprædando: Apud quam voluiſſe perfeciſſe eſt. Infelix, ac infauſta otis, cunctarum eſt meta technarum; cujus ſaluti plumæ nil proſunt, nec pennæ. Vulpes antipathiâ percita, inſidias illi ſtruitura, humi expanſa, capite demiſſo, prolixam caudam àttollit, inflexàmque colli ritu denudat. Hinc avis memorata ſociam rata, appropinquat mendacio, vulpique fit præda. Rurſus equo decipitur, juxta illud Oppiani, *attamen cervum amat, perdix damum, otis equum.*

Ælian. l. 8. de animal. c. 24.

6. Verùm otide remotâ, ad quam mox revertemur, profuturæ moralitati vacare juvabit. Huc quiſquis vacat. Per tranſennam probabimus, dæmonem, dum voluptatibus animas irretire laborat, æmulari Venatorem. Jacit enim rete, laqueos tendit tantâ dexteritate, calliditateque, ut voluptatum eſcis agglutinatas, deliciarum viſco adhærentes captet: Quæ fucatâ dulcedine tactæ, libertatem cum captivitate commutant. Meis aſſertis fidem aſtruit Divus Bernardus: *Habet quippe nequiſſimus ille laqueos, utpote callidiſſimus venator hominum, ſolum ſitiens ſanguinem animarum. Voluptatibus irretire laborat.* En in Proverbiis ſtratum lectum, omni deliciarum apparatu conſpicuum: Quem ſi quis rete inſidioſis contextum laqueis appellaret, haud hallucinaretur: *Intexui funibus lectulum meum.* Inſtituitque calidiſſimus tartareus Venator, quò ſuæ nullus elabatur rapinæ, prope ſuaviter moduletur mulier, *præparata ad capiendas animas*; aut, juxta ſeptuaginta, *quæ facit Juvenum volare corda.* Ac ſi avis foret in cavea, circumvolantes ſocias ad eſcam invitans, quas decipiat. Canit, canendòque perditè prorſus auditur: *Aſperſi cubile meum myrrhâ, & aloë, & cinamomo.* Huc ergo quiſquis tranſis, per hunc volas aërem; *Inebriemur uberibus, & fruamur cupitis amplexibus, donec luceſcat dies.* Accedit incautus, mol-

Ser. 1. in die S. Andr.

mollibus cubat plumis, ignarus eſſe aquilæ, quarum contactu columbæ pennæ rodantur. Illis in plumis inducias ſe concedere ſperat laſſis alis, toróque commendatus, à laboribus reſpirare, nec non amoris thronum offendere, ubi tranquillè triumphare liceat, Gratiis deliciarum ſtipantibus, blandientibus voluptatum Sirenibus. Verùm enim verò non amoris eſt illud tentorium, at belli, illæque byſſinæ telæ abyſſum tormentorum velare reperiuntur: *Irretivit eum multis ſermonibus*: Concludit Sapiens: *Statim eam ſequitur, velut ſi avis feſtinet ad laqueum.* In hanc periocham audite Lyranum egregiè commentantem: *Irretivit eum multis ſermonibus, id eſt, detinuit, & paſſione concupiſcentiæ quaſi reti involvit: Statim eam ſequitur quaſi avis, quæ ex appetitu modici cibi illaqueatur, & interficitur. Sic incontinens ex appetitu delectationis momentaneæ incurrit laqueum culpæ, & mortem gehennæ*: Quoniam tartareus Venator, teſte David, jam *ſedet in inſidiis, in occultis, ut interficiat innocentem.* Pſ. 9. 29

7. Ubi detineris, ô Marce Antoni? mihi teſtem te accerſo. Tune ille es, qui, poſttergato patrio tecto, natali ſolo, ampliſſimis Romæ mœnibus, velut anguſtum forent theatrum tuæ magnitudini, in Oriente vaſtiſſimum venatur campum? Qui ſuperba deſerens Capitolii culmina, hoſtilibus oſſibus alibi victoriis ſuis Olympum erigere tentat? Quì proinde neglectis glorioſis Tiberis oris, ad cœnoſa Nili littora, Ægypti captivus ſordeſcis? Qui Cleopatræ pendes ex nutu? Mœſtus reſpondet: illaqueatus invenior. Ut illam vidi, ut ſpectavi, ut appropinquavi, recedere potis haut habeor; quandoquidem, *in convictu laquei inerant inevitabiles*, aſtipulatur Plutarchus. At barbaræ Reginæ ductu, Leucotæ ponto immerſus, adverſus Cæſarem dimicaturus, de potiſſimo propemodum mundi Imperio, quod anhelas, ad quod aſpiras; ſaltem momento ſubſiſte! Verum non valet: Cleopatra erumpit: *Et eam, quæ ipſum, & ſe ipſam perdiderat, ſecutus eſt.* Cur hoc? *Irretivit eum multis ſermonibus. Statim eam ſequitur velut ſi avis feſtinet ad laqueum.* En otidis ſpectaculum, quæ dum equum deperit, illaqueatur.

8. Jure meritiſſimo proinde Salomon exclamat: *Inveni amariorem morte mulierem, quæ laqueus Venatorum eſt. Id eſt dæmonum.* Interpretatur Cardinalis Hugo: *Qui venantur animas hominum ad mor-*

mortem ; Hunc laqueum tendunt dæmones ad capiendas animas inſipientium. Nec eſt una mulier unus laqueus ; Imò quot membra, vel membrorum ornamenta habet, tot laqueos habet, ita ut à planta pedis uſque ad verticem non ſit in ea videre niſi laqueos ; ad quos feſtinent amaſii, quorum animas negotiantur tartarei Venatores. Prætactus Purpuratus feliciſſimo ſuo ingenio Judith expendit longè venuſtiſſimam, quæ, licet inermis, imbellis, omnique viduata ornamento, par ſuſpiceretur debellandis ſpectantium cordibus : Attamen in penitiſſimum ſecedens Penatum penetrale, *omnibus ornamentis ſuis armavit ſe ad capiendum Holofernem per oculos.* Undique lenociniis armata ſuavitatem ſpirabat, atque dulcedinem. Charitum ſtipata coronâ ſtrenuiſſimos militum mulcebat, quos Holofernes cuſtodes habebat. Hic admiratione tantæ Venuſtatis defixus, aliò quàm ad ritè tractanda arma, cogitationes dirigebat ; quoniam *ſandalia ejus rapuerunt oculos eju* . En proinde expletum Hugonis oraculum ! *Quot membra, vel membrorum ornamenta habet, tot laqueos habet.* Holofernem profundo ſopore ſepultum, intempeſtâ nocte adit Judith, evaginatàque obtruncat machærâ. Itaque hoc perpetrato, *abſtulit conopeum ejus, & evolvit corpus ejus truncum.* Quoties hujus facinoris ſeriem, atque catenam expendo, quantus quantus admiratione defigor. Non excubiarum præ foribus ſatellitium, non brachii invicti robur, ac fortitudo, non quodvis aliud adminiculum profuit, quin Holofernis Judith furori cruenta victima proſterneretur. Quid, Holofernes, moras nectis, cur te propinquo diſcrimini ſubtrahere non maturas ? *Abſtulit conopeum ejus, & evolvit corpus ejus truncum.* Ita decuit inſtituiſſe, progreditur Hugo : *Abſtulit conopeum, ut melius crederetur ei. Eſt autem conopeum rete muſcarum, & ſignificat voluptates hujus ſæculi, in quibus immundi homines capiuntur.* Hæc eſt Venatio tartarei aucupis, hæc ineluctabilia retia, ac laquei !

9. Non eſcæ arrogandum venit, inquit ille. Meis viſceribus dulcis ſerpit ignis, cujus ardore percitus ad ſphæram, quæ me ſuaviter inflammavit, contendo. En novum Venationis genus, nova fraudis ſpecies ; ignis etenim miniſterio paſſeres ſoporati capiuntur. Nulla volucrum paſſere ſalacior. Virulentis veſcitur ſeminibus citra detrimentum, ac labem ; quod tenuiſſimarum Venarum

rum meatibus tribuitur. Utut paſſer veneni vim minimè formidet, attamen inſtantem abhorret accipitrem, quorum unus olim, ſibi proſpecturus, in ſinum Xenocratis evolavit. Mortales autem dæmoni non ſuccenſent, quos deprædandi gratiâ laſciviæ retibus, nullam non admovet machinam, perdendorum ſatagit? Amplo expanſo reti Venator facem præfigit accenſam, vaferrimis paſſeribus capiendis; qui dum tenebris circumdati deterrentur, poſtquam expulſi fuêre fronde, ſub qua dormientes latitabant, ad lumen feſtinant, ſicque irretiti Venatoris manus, atque rapinam haut eludunt: Qui Dianæ Venationis Deæ genio ſe ſe accommodans, dormientes Endymiones duntaxat adamantis, ob prædam lætitiâ triumphat. Hanc igitur Venationem deprehendere eſt in Plutarcho. Timandræ in ædibus Alcibiadem amore ferventem, ſomni occupabat dulcedo. Lyſander illi infenſus, ac implacabilis hoſtis irâ ſuccenſus, palatium, ubi Alcibiades ſuas cupiditates ſuccubo ſcorto ſaturabat, ardentiſſimis flammis coronari mandat. Ignis latiùs ſerpit, ſuæ fami pabulum paraturus. Stridentibus flammis avis ſoporata, mancipium Veneris expergiſcitur. Medias per flammas illæſus aufugit amaſius, ſervandus retis præda: Quippe incendiarii inſidiatores præpetem ſexcentis confoſſum ſagittis, proſternunt. *Hoc pacto* (tradit Plutarchus) *trucidatum Alcibiadem Timandra digreſſis Barbaris, ſuſtulit, & iis, quas ſuas in promptu habebat, tunicis velatum, ſepelivit.* Succuba meritò amaſionem tunicis velat trucidatum; quem ſpirantem laqueis conſtrinxerat. En ignis Venationem! Hinc veritati reſpondet, quòd laſcivia *ignis eſt uſque ad perditionem devorans.*

10. Digredi delectet ad lethi Venationem, quod ceu otides nos deprædatur. Cauda vulpis habita ſocia, otidi necem machinatur. Quot perſonati amici, quot depravati, mortis inſtrumentum reperiuntur? Hoc Cæſar expertus eſt, quum ad Brutum converſus efflavit: *Tu quoque Brute, fili mi?* Ac viginti duobus confoſſus vulneribus expiravit. Hoc affirmat Simon Judæorum Princeps, dum velut avis appropinquans eſcis opipari ſympoſii, mortem incurrit ſibi ſtructam à genero Ptolomæo. Aliis arridet navigatio. Verùm quot ſubmerſi ampliùs non ſpectabantur? Vel Palinuris puppis imponit, natatoréſque Leandri ſubmerguntur. Anacreon meri appetens, acino uvæ paſſæ ſtrangulatus periit.

Tan-

Tandem acino paſſæ cæde interceptus ab uvæ.

En mutata in hiſtoriam lugubris Adonidis fabula ! Munacciarus Mengreliæ Princeps, pari pacto ſupremam diem clauſit. Fortaſſis, *in Hiſt. Cl. Reg. pag. 2. l. 3. an.* quòd, inquit Joſephus Silos: *Sagittâ, & arcu valent, quibus in ferarum ſtragem utuntur. Principes ut canum, ac circumfuſâ hominum multitudine plenum aleæ venatum faciunt. Contingit namque ſæpius, in eo rerum æſtu, jactuque telorum multiplici, pro feris tranſverberari ipſos homines.* Itaque quot artibus Venator utitur in Venationis æſtu, fervoréque, in ferarum ſtragem; totidem adverſus illos mors adhibet, tam falce, quàm ſpiculo prævalida.

11. Turtur, quà choreis, quà fiſtulæ ſono gaudere perhibetur; quâ ſubinde capitur technâ. Sic Uladiſlaus Poloniæ Rex, delectatus inter ſylvarum opaca, prolixo luſciniæ modulamine; præ aëris inclementia, cœlique non amici intemperie, momento ſuffocatus occubuit. Brevis illi delectatio, vitæ diſpendio ſtetit. Modò turturum Venatorem affatur, ac interpellat Divus Ambroſius: *Vides, quantam Dominus etiam in minuſculis infundit prudentiam: Turtur nido ſuo, ne pullos ſuos incurſet lupus, ſquillæ folia ſuperjacet. Novit enim, quòd hujuſmodi folia lupi fugere conſueverint: novit avicula, quomodo poſteritatem foveat ſuam. Et tu ignoras, & tu negligis, quomodo adverſum lupum nequitiæ ſpiritualis, poſteritatem vitæ hujus habes tutiorem?* Plinius hoc teſtatum reliquit: *Turtures, & pſittaci, amici ſunt.* Pſittaci ritu ecquid in loquacem evadere non contendis, media lachrymoſa mendorum confeſſione? Turtur uno contentus marito, ad ſecundum thalamum tranſire dedignatur. Extincti memor conſortis, inter nemoroſam opacitatem in fletum effunditur; viduùſque nullius ſolatii ſociam dulcedinem admittit. Avis amat ſuorum obitum memorare. Quidni tuorum recorderis, Venator, quos umbra mortis poſſidet, ac involvit, quem lethi quoque cimmeriæ manent, ac expectant? Porrò tibi turgeo, nec inficiabor tibi colubrum in ſinu fœtum iri. Herous inſurgas in deſidiæ monſtrum; redolet enim fatuitatem, ſapit amentiam, præſentibus calamitatibus indormire, non invigilare futuris, ac iratæ, novercantiſque fortunæ procellas, fulminàque præcavere nequaquam; Quid frivo-

frivolis, tranſvolantibus rapiendis momentis immori, in deliciis, ad palatum eſt? Superna ſitiamus oportet, ac juvat. Amabò, amabò, pietatis cultùi litare maturato, ſuaviſſimis illius amplexibus te implica; cujus ſuavia ſuavia ſuper mel Hyblæum, ſuper ambroſiam, atque nectar.

12. Teneor deſiderio intelligendi, Venatores Narciſſi, cur Altiſſimus in Levitico mandet, ſedulò colligantur avium pennæ, quæ in holocauſtum illi offerrerentur, projicerentùrque in locum cinerum ad portam Orientalem. At nos ſumus aves, opes pennæ, nec non voluptates. Deus imperat, ut projiciantur, miſceantùrque cineribus in lethi cogitatione. Cur autem ad Orientem projiciendæ veniunt? Quò natalium pariter recordemur, quatenus in lucem haut editi ſumus Venationibus, at ſalvandæ animæ: Ut originis eluat memoria, ſi quid ſuperbiæ regnum affricaret: Uti nudos natos nos eſſe recordemur, volucrum inſtar, ideóque non agglutinemur voluptatibus, ſed lachrymis prolixiùs indulgeamus. Ad Orientem, ne obliviſcamur, qua die mane primam lucem aſpeximus, ad veſperam nos defungi. Cùrque Deus voluit, ut mortuis cibaremur? Ne deeſſet occaſio perennè meditandi mortem, ex qua nutrimentum, ac vitam hauriremus. Hinc Seneca: *Quidquid avium volitat, quidquid piſcium natat, quidquid ferarum diſcurrit, noſtris ſepelitur ventribus. Quare nunc, non ſubitò morimur, quia mortibus vivimus?* Defungendum eſt, attamen voluptates appetimus, venationibus indulgemus, ſaginatas aves ſepelimus. Cùm autem phaſiani, quò magis pingueſcunt, eò magis pennas amittant; cur tu illos æmulatus, inter voluptates ſaginatus, pennas tuarum caſſarum cogitationum cineribus injicere cunctaris? Avis illa robuſta, quæ à capite uſque ad caudam aliam volucrem nervoſam diſcerpere conſuevit, falco videlicet bellicoſus, qui quinque gruibus obſeſſus omnes interimit; ne oculorum tuorum aciem effugiat, quotieſcunque colorem mutat. Quippe intra Moſcoviæ limites albus, in Norvegia, Hiberniáque candidus ſpectatur. Putidiuſculè rimator hujus valentiam pennati; igneo ſiquidem pollens vigore, frigore gaudet, ita ut ſupra gelu, marmórque incubet algidum. Utinam æquâ lance Mortales conſiderent ad marmoreos ſepulchrorum lapides, expendentes, vitam liqueſcere ceu nivem Solis perviam radiis.

Hæc tam fortis volucris, nonnunquam laborat adversâ valetudine, ut eluceſcat, nullum in mundo corpus non ſubjacere infirmitatibus, ac deſtructioni. Suas deprehendens ſordes, non frigidæ, ſed arenæ ſubſidiis detergit; Venatores erudiens, quorum ſtringitur pugno, arenam, cinerem, pulverem, lethique memoriam duntaxat parem agnoſci ſordibus ab animâ arcendis. Scythiæ Reges, Venationibus addictiſſimi, forſitan falconem habent magiſtrum? Quoties enim illorum quidam Rex inauguratur, undique cinere, terráque ſepitur, quodam Satraparum intonante: *Hæc tua eſt origo, videre, quid ſuperbè agas.*

13. Etiam canes præter falcones Venationi deſerviunt; qui validi reperiuntur ad imbuendos, informandóſque præceptis moralibus proprios heros. Canes cœci in lucem eduntur, & quò uberiore lacte nutriuntur, eò ſeriùs oculos revelant; quos niſi evolutâ ſeptimâ die reſerare neſciunt, aut poſt vigeſimam. Oculatâ obſervatione conſtat, ſi unus duntaxat canis ex matris alvo proſiliat, nonam diem oculorum uſurâ beari, ſi duos, decimam, ſi tres, undecimam, ſi quatuor, duodecimam. Exuberans illa copia deliciarum, mortales excœcat ad ſpectandum noviſſimum finem; quoniam jucunditate pellecti, atque pinguedine, fatuè cenſemus, nunquam nos futuros Libitinæ victimas: Cœci evadimus, quominus deprehendamus; quòd ſicut canis anhelus, in leporis ſpumans veſtigia, ac inhians prædæ, caput intra ſpinarum aculeos immittere non dubitat, donec fugientem aſſequatur; Æquè Chriſtum hominem deprædaturus, aſperrima quæque ſubjiſſe; *Fecit* in 1. Can. *Dominus* (effatur Hugo Carenſis) *ſicut canis venaticus, qui feram inſequens, caput intra ſpinarum aculeos immittit, non timens exulcerationem, ut feram capiat.* Adeò jucundæ Venationis nullatenus ſuavitate perfundimus, nec tam lætis, amœniſque ſpectaculis intereſſe conceditur, voluptatibus minimè voluptariis mortalium oculos obumbrantibus, atque velantibus. Ergo, hortatur Salmeron, ſylvarum vanitati præpes mittatur nuncius, aves eliminentur, damæ rupium exeſæ poſſideant in inhoſpito ſolo, quò nulli pateat acceſſus, venatici canes dulci pacis otio lætentur: *Et ut ſagax canis Venaticus prædam inter ſpinas etiam deliteſcentem quærit; ita tu quære, ut Chriſtum, tanquam prædam, aſſequaris, etiamſi in ſpinas laborum,*

ac

ac dolorum incidere debeas. Identidem, ac in omni temporis articulo, puncto, ac circumſtantia, Chriſti ſagacem ſe Venatorem probavit meus fulgidiſſimus Patriarcha Divus Cajetanus Thienæus; qui vivus, mortuus inventus eſt laudabilibus voluptatibus, ut mortuus viveret patrandis eximiis miraculis. Itaque intra cubiculi anguſtias tumulatur vivus, ut tumulatus vivat. Spinas non horruit, non horruit tribulos, nec ſentes ſenſit, niſi quatenus incitabatur ad decurrendum perfectionis ſtadium. At quid calcar additur ultro contendenti, quis facem admovit accenſo? Amor divinus, cujus eſt, tarda neſcire molimina, Vitæ aſperitatem aſpernatur emollire, tanquam Venaticus canis prædiis ardentiùs inſiſtens. Igitur æſtu ſiticuloſus, nec tamen pondere exantlati laboris oppreſſus, ſuæ in prædæ vulnere ſitim explere meruit, ac extinguere per amoris ignem. Qua tempeſtate Cajetanus auſpicatus Venator evaſit, Chriſti lateri adhærentibus labiis; ſimiliter avis effectus eſt, ut volaret futurus Numinis præda. Dum etenim præfervidas fundit preces, in extaſim rapitur, flammantíque cordi accedentibus igneis alis, Cajetani corporis portio nobilior cœli ſublimia petit. Volat prædator, ac præda. Qui terrenæ Venationi indulgere dedignatus es, cœleſti hilareſcis. Venaticis infenſus canibus, calcandis canis cœleſtis ſyderibus deſtinaris. Plenilunii canes ad umbram Hyænæ latratibus viduantur. Cajetanus, qui canis extitit pernix, juxta Chriſtum in plenilunio Virginis Matris, ac liliatæ Partheniæ in vocalem migravit, accenſoque languentis Cleri tepore, reſtauratis templorum modulaminibus, ſuaviſſima Philomela, cœleſtibus inſeritur Choris. En dulcem fructum amaræ mortis recordationis! Ecce qui lævâtus triumphet lethum expendens, & ad vivam mortis imaginem quantus quantus exultet, ac ovet! Crucifixi pedibus (quibus baſibus humanæ ſalutis moles innititur) provolutus, dexterâ effœtum macerationis tyrannide pectus, crebrâ verberatione tundente, lævâque calvariam ſtringente, ſupremam luctam ruminatur, ruminantique terrena deſipit ſapientia, cui ſint in pretio tranſvolantibus rapienda momentis, vitrum fragiliter ſplendidum. Igitur omni momento memento Libitinæ, cujus munere immunis occurres culpæ, nunquam immunis offenderis, ſi ſemper vacabis ejuſdem contemplationi.

15. Mortem recogitetis, Narciſſi Venatores, vobis propinquam. Cur volucrum pulli in grandiorem aſpirant ætatem, à vobis interficiendi; niſi ut humanæ vitæ curſum deſignent, ad lethi metam feſtinantem. Ætas ætatem impellit, pueritiam infantia, infantia juventutem; hæc autem ferarum prædam Venationis beneficio anhelat. Num catenatos canes in leporis interitum reſolves? num avidos libertate donabis, captioſi captivent ut liberum? Frænato impetu tam inconſultæ, quàm jejunæ cupiditatis. Lepus mirâ quidem pernicitate pollet, at mors longis paraſangis antevertit annorum curriculo. Una lepori ſalus fuga. Tu moras nectes: tu non maturabis ſeceſſum ex mundi pellacis luctuoſis inſidiis, cœleſtium contemplationi mancipandus? Lepus oculis indormit apertis. Quid tu animæ non invigilas commodo? Nullatenus veritatis candori reſpondet Archelai ſententia, mares lepores, hermaphroditorum more, gravidari, unde tanta ſit illorum animalium copia: Quæ leporum ſententia lepida quidem cenſetur, aſt inſulſa. Satius affirmaveris,
l.6. cap. 33. Ariſtotelis ſocius, lepores jam imprægnatos, rurſus in ipſo graviditatis actu gravidari: Quæ conditio peculiaris, cœlitus conceditur duntaxat leporibus, humaniſque mulieribus. Tu verò cur tam ſterilis virtutum, vitiorum fœcundus occurris? Cur magiſtris leporibus, graviditatem graviditati non copulas, fœcunditate fœcunditatem minimè copulas, humilitatem pudicitiâ, ut expleatur Pſal-
Hiſt. l. 3. c. 12. tis oraculum, *ibunt de virtute in virtutem*? Dempto lepore, nullum animantium (ſi ſtandum Peripateticorum Principi) pilos habet in ore, pilos ſub pedibus. Voluptates ſordida vitiorum excrementa ſugillo, quorum ſymbolum habentur pili, itidem excrementa. Ore geſtas delicias, Venationem devorans opiparam. Hæc omnia tuis quoque ſubdito plantis, in Numinis, triſagiæ, ac ambidextræ Majeſtatis obſequium: Quoniam citò peribunt, *ſtatutum eſt omnibus hominibus ſemel mori.* Memorant Eudoſius, atque Porphyrius, Pythagoram imprimis alienum extitiſſe à Venationis exercitationibus. Saluſtius quoque Venationem ſtomachari videtur: *Non fuit conſilium, agrum colendo, aut venando, ſervilibus officiis intentum, ætatem agere.* Divus Auguſtinus appellávit Venationem, *artem nequiſ-*
in Proœ. Catil. *ſimam.* Divus Hieronymus autem teſtabatur, *Piſcatorem ſanctum legi, Venatorem non legi.* Et quamvis glorioſus Euſtachius, ſanctitatis famâ

famâ floruerit, accidit, poſtquam Venationi valedixit, ut ſylvas non frequentârit. Apoſtolos, Piſcatores ſanctos agnoſcimus. At mihi allubeſcit ad tumulum ſanctimoniam haurire, cujus ſemina & pullulant, & ad maturitatem adoleſcunt, lethi recordatione. Silos Venatores, Piſcatoréſque talibus alloquitur; *In Pſ. 90.*

Venator ſylvas, Piſcator territat æquor;
Hic piſces, volucres impetit ille feras.
Per mare, per ſaltus piſcatrix ſæva, feróxque
Venatrix æquè vos Libitina petit.
Nempe vorax Scylla eſt pelago, ſylviſque leæna eſt;
Dira ſolo mors eſt improba, dira ſalo.

16. Per ſaltus mors Venatores venatur venatrix, quæ ſors Piſcatores æquè manebit, tam enim in ſalo, quàm in ſolo conſuetas texit inſidias, prædiſque gravidatur, utut nunquam ſaginata, *ſtatutum eſt omnibus hominibus ſemel mori.* Meam vobis obſtringo fidem, ac oppignoro, Deúmque tacto teſtor pectore, futurum, ut ad ſepulchra, quàm ad æquoris oram, ſuaviores delicias, ac gazas deprehendatis. Nudis pedibus pannoſus Piſcator, ſecus littora calcabat arenas, profeſſionis experimentum facturus. In undis ejectam calvariam incidit; Inauſpicati acerbam ſortem amariſſimè deflet, fatùmque deteſtatus, ſydera barbara vocat. Inde teneritudine tactus, humare incipit, quem pontus abſorpſerat, dum foveam eruit, theſaurum offendit. Tunc quidam Græco epigrammate luſit in illum, quod Latio donatum Idiomate ſic ſonat;

Capturo piſces hamata in littore ſeta,
Naufraga fortè hominis calva prehenſa fuit.
Qui caput avulſum membris miſeratus, inermi,
Quæ ſuper hinc fuerat, condidit oſſa manu.
Pondus ubi infoſſi terræ grave reperit auri.
Gratia ſic juſtis nulla, boníſque perit.

Et tametſi lethum contemplatus nihil in tumulo reperias, tamet (quod caput agnoſco) tibi ſubtractum, ac cœlo, reperies, atque

que reſtitues. Hoc ergo tuæ menti non ſit alienum.

17. Nondum alto creditus, at littora legens, hæc omnia deprehendes, Narciſſe Piſcator; quandoquidem ſicut omnia flumina, neceſſum eſt, exonerentur in mare, pariter mortalium univerſitas, urgente fato, ſepulchris appropinquet, quorum præceps eſt decurſus ad tumulum. Niſi tibi perſuadeas, lethum cuncta deprædari, tuum redundabit in caput. Amabò, deſine fatuitatis, ex prudentiæ mendicitate quantocyus emergito. Itaque in hoc horroris Oceano, cui pro piſcibus putredo, ac vermes ſunt, invenies unde animam affatim locupletes. Animal (vulgò alforas) dum ægrotat, terram petit, ubi præter caput, ac oculos, prorſus propriæ carnis detrimentum patitur; ſin celeriter undis reſtituatur, renovatur, vegetior evadit, vivacitatem ſuam prorogans, haut ſecus atque inter volatilia Phœnix. Piſcator, hæres in ſcopulo, animâ gratiæ donis denudatâ; caput ſi demes ac oculos, nil in te vitæ remanſit, oculos ad ſpectanda ſepulchra, caput ad meditandum noviſſimum finem. Cogitationis anchorâ in lethi te figas Oceano: Protinus voluptatibus frœnum, quod minimè mordeant, injicies. Siluro nullus piſcium robuſtior; cujus cauda proſternitur homo, craſſum truncatur lignum, favillæ eliciuntur ex Silice, ſi contingat rotari. Hic attamen æquoris Hercules, ſquameâ armatus clavâ, in Albi flumine contabeſcit. Oppidò quiſquis cogitationum hamo ingredietur mortis flumen, nullam ex voluptatibus voluptatem hauriet. Sicut enim antiqui Romani ſuæ magnitudini, imperiòque terminum poſuêre prætactum flumen; perinde mors vitæ meta eſt, cujus mœſtâ recordatione cunctæ ſæculi deliciæ deſipiunt, ac quodammodo contabeſcunt: Sicque fiet, derelicto Piſcatu, littore decedas, quin imò ſubſiſtens in littore, medio in mari Numini te dedas, mancipes, atque dones.

Alb. Mag. l. 24. de animal.

18. Jonæ cetus ſepulchri ſymbolum extitit, naufragium mortis; hinc Chriſtus, *ſicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, ſic erit filius hominis in corde terræ.* Explicat Chryſoſtomus: *Non enim ait in terra, ſed in corde terræ, ut ſepulchrum denotet, & ſuſpicationem effugiat. Tribus autem diebus mortuus eſſe voluit, ut nemo mortem eſſe ambigeret.* Jonas, divinum præceptum violaturus, fugam arripere meditabatur; utque velociùs auffugeret, alis

Hom. 1. in Matt. c. 2.

alis columbæ, quam geſtabat in nomine, omine dextero expanſorum alas velorum adjicere maturabat navis, qua veheretur. Solvit alacriter, ridente cœlo, blandiente malacia. Aſt ſerenam ætheris faciem nubibus involventibus, dum mugiunt tonitrua, fulmina ſerpunt, navigium periclitatur, Jonáſque ceti injicitur ventri, ac deglutitur. En deploratum in vivo ſepulchro naufragum. Sed ô mira vis ſepulchri! Qui Jonas Numinis conſpectui ſe ſubtrahere moliebatur, nunc in alto ſe totum Altiſſimo mancipat: *Ego autem in voce laudis immolabo tibi: Quæcumque vovi, reddam pro ſalute Domino.* En, Piſcator Narciſſe, quid efficiat lethi memoria! Ad trutinam expendas, piſces utut longævos, mortis evadere prædam. Conradus Celte monumentis conſignavit, tradente Geſner, à Friderico Imperatore ſtagno piſcem fuiſſe impoſitum, qui ævum prorogârit ad annos 267. quod teſtabatur æneus annulus præfato lucio annexus, cum Græcâ inſcriptione: *Ego ſum ille piſcis huic ſtagno omnium primus impoſitus, per mundi Rectoris Friderici 2. manus, die 5. Octobris.* Ipſiſſimus, Piſcator, mortuos abaptiſtos aſpices, unam ſi demas anguillam defunctam, ſuffragantibus Plinio, ac Ariſtotele.

19. Delphinum pariter piſcium regem mors manet; quem ſolertiùs rimatus, Creatoris obſtupeſco Omnipotentiam. Celebratur, ac decantatur in aëre aquilæ perſpicacitas, lyncis in terra, delphinis in mari; eſt enim præditus tantâ oculorum acrimoniâ, uti piſces vel in profundo fundo cavernarum ponticarum depræhendat. Mirâ pariter pernicitate pollens, navi velociſſimæ anteſtat. Currendo ludit, ludendòque regnantibus alcedoniis, unde venit ibi tempeſtatem præſagit, inque procellis caudâ aquam diſſeminante, tranquillitatem annunciat. Mutuum, reciprocùmque delphinorum amorem, qui non miretur, eſt nemo. Illorum unus ſi capiatur, experimento magiſtro, reliqui ſodales ad littus certatim accurrunt, donec in libertatem aſſeruerint, ac vindicârint. Homini ſe probant addictiſſimos, amicoſque, ad humanum ſibilum accedentes; quîs ſæpe ſæpius opitulati ſunt propemodum naufragis. Nobis inſuper cum thinis, Quadrageſimæ tempore, ſuppeditant alimenta, cibúmque miniſtrant. Præſtat autem, antequam ad moralitatem deſcendamus, de thinis ratiocinemur, huncque ſpectemus piſcatum, del-

delphinis calliditatem, ut immortales tot beneficiis grates rependamus, ad examen vocando. Thini, licet multis in locis piſcatui deſerviant, attamen prope Conſtantinopolim major eſt copia ex naturæ Imperio, indulgentiâque. Gignuntur in Mæoticis paludibus. Gaudent amici cœli clementiâ, tempeſtatis procellas prævidentes. Dextero quàm ſiniſtro oculo clariùs aſpiciunt, penes Ariſtotelem. Alii thinorum greges in Oceano decurrunt, haut abludentium ab illis, qui, torrente in Ariete Sole, ad fœcundæ Siciliæ littora capiuntur. Expanſis retibus, funibuſque tenſis, delphinus ludens apparet, ad deſtinatum capturæ locum fraudulenter thinos catervatim deducendo. Nunc ad moralitatem. Dum mundum ingredimur, maréque amarum mundanarum voluptatum decurrentes, vitæ funem incurrimus, pérque præſentis vitæ filum, ad mortem contendimus. Horas dico greſſus, quibus metæ fatali appropinquamus, thinis velociores, atque delphinis; ut jure meritiſſimo exclamet Seneca: *Majors pars mortalium de naturæ malignitate conqueritur, quòd in exiguum ævi gignitur, quòd hæc tam velociter, tam rapidè dati nobis temporis ſpatia decurrant: Adeò ut, exceptis admodum paucis, cæteros in ipſo vitæ apparatu vita deſtituat.* Alberti teſtimonium declarat, ad trinum ſæculum delphinum vivere. Nihilo ſecius ejus reſonant lamenta, quamvis piſces non noſcantur vocales. *Delphinis* (affirmat Plinius) *pro voce gemitus eſt, humano ſimilis.* Igitur, Piſcator Narciſſe, Piſces magiſtros aſſumas; inque maris volubilitate, tanquam in ſpeculo, in exiguum ævi te genitum luculenter agnoſcito, ita quidem, ut deſtituaris in ipſo vitæ apparatu, ac limine, quoniam dati temporis ſpatia rapidè decurrant.

20. Craſſus lauta adamatæ Murænæ alimenta miniſtrabat, blanditiis fovebat, ornabat monilibus, æquoris pauperiem gemmeis locupletans; His tamen non obſtantibus, lethi neceſſitatem haut eluſit, cui extinctæ parentaturus Craſſus ad tumulum, dolori frœnum injicere neſcivit. Hinc feſtivus, lepidúſque Silos calamus, moralitatem Poëſi commiſcens, ita prompſit:

Pictam adamat Craſſus Murænam, ornatque, politque;
Ipſe ſua lautus fert alimenta manu.
Eſſet Nereidum mollis velut una ſororum,

Al-

Altera cæruleo ſeu Venus orta mari.
Dum perit at piſcis, creſcunt vivaria fletu,
Triſtia & atratus, funera Craſſus obit.
Nec cineri deſunt flores. Nunc flebilis urna
His doleat, ſcriptis illachrymétque notis.
Delicium latet hic Domini, murænula; mortis
Effugiſſe manus lubrica non potuit.

Poſtrema perpendantur verba, Piſcator: *Mortis effugiſſe manus lubrica non potuit.* Nullo ſiquidem munimur clypeo adverſus mortis impetum; nullus conducit niſus, nulla ſolertia, nulla ſcientia; pulchritudo, ætas nulla adminiculatur: *Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori.* Continuo ſtillant lachrymæ ſuper amicorum, ac conſanguineorum tumulos; quilibet quid peculiare deplorat, ut ſuam Craſſus deploravit Murænam. Tunc Domitius Cenſor; *Stulte Craſſe, murænam fleviſti mortuam?* Reſpondit: *Equidem ego de beſtiæ morte flevi, tu verò nullos, ne ex trium quidem uxorum interitu, quas ad ſepulturam dediſti, luctum percepiſti.* Sic contingit nonnullis, animæ commodis indormientibus. Efferri funera conſpicimus, nec guttam ex lachrymarum fonte derivantes. Lubricum intelligimus viventium ad mortem veſtigium, nec flectimur. Cuncta, velut aquam, ad lethum decurrere ſpectamus, & marmorei, ſaxiſque duriores nullatenus emollimur. Plinius aſſerit, murænam aceto libato excandeſcere, Ælianus, torpere ſemel percuſſam, iteratò verberatam, anguis venenoſæ more, vehementiùs iraſci. Unus homo mundanarum calamitatum aceto potus, haut excitatur; non cœli ſolicitatur calcaribus, non accenditur face: Sed inſenſatus lethargum excutere neſcit, præſtigiis, faſcinationibuſque voluptatum mancipium, mancipare ſeſe pietatis cultui, lethi ſtudio repugnans, quem acerrimè vituperandum propino.

12. Expenſâ fugacitate voluptatum, tædium tibi ſuſcita terrenorum. At iiſdem tenaciùs adhærens, & agglutinatus, nec proprio contentus elemento, in æquore æquè ac alibi, terrâ, maríque ſolatia piſcaris. Marcus Antonius piſcabatur ad littora Nili; cujus fatuitatem Cleopatra damnatura, ut reſipiſceret,

hamo addi juſſit ſiccum piſcem ab egregio urinatore. Romanum Regina jam jam piſcem prehendentem affatur: *Nobis, ô Imperator, Phariis, & Canopis Regibus calamos trade. Tuum eſt urbes, & Reges, & regna piſcari.* O Chriſticolæ! valedicto natantium piſcatu, animas cœlo lucraminor, capite vobis cœlorum regnum. Adæ filii virtutem deprædentur, piſcentur merita. Accipiter inhiat coturnici, homo integritatem morum anhelet, pietati ſe dedat, ſtudeat virtuti, ſtomachatus inania. Tuum eſt, litare Numini, amplecti probitatem: Cæteris animantibus datur ſtruere inſidias. Ita panthera ſe mortuam mentita, ſibi inſultantes, ludenteſque devorat ſimias. Hinc in ſe imbecillem, ſtultumque, inſidiantémque, uti Brutus in Tarquinios ſe probavit, quadrat: *Pardi mortem adſimilat.*

Plutar. in Anton.

22. Inficias neutiquam ibo, honeſtis ſolatiis afflictum animum recreari, ac curarum amara dulcari, nec non emolliri horridæ auſteritatis aſperitatem. Non tamen ignoro, Platonem ſuæ ſcholæ locum inſalubrem, peſtilentem, quem nulla cœli amici afflaret clementia, præfixiſſe: *Ut diſcipuli ſui* (teſtatur Divus Hieronymus) *nihil amarent, niſi ſapientiam.* Cautum quoque fuit, ne Pythagoricæ Sectæ diſcipuli, quo minus animi molleſcerent, Academiæ ſedem erigerent in fundo deliciis reſtagnante: *Ne animi molleſcerent, & à ſtudio ſapientiæ telluris deliciis detraherentur.* Quid ergo tantus, quà venationis, quà piſcatûs apparatus, ac ſtudium, quum nobis in lethi lynceo cœli ſapientia diſcenda veniat? Deus avertat, ac averruncet; Abſit, inter Chriſticolas regnare quod apud Sybaritas, teſte Solino: *Sybaritæ, ut meliùs voluptatibus indulgerent, plectebant eum morte, qui mortis mentionem feciſſet.* Aut ſuis inveherent cœtibus Philoſophum Antiphonem, qui propulſandæ cujuſvis mœſtitiæ profitebatur artem. Sepulchri tetricitas æternæ nobis gloriæ jucunditatem parit. Libitina ad tumuli marginem, longè diverſum, diſparémque piſcatum nobis ſuggerit. Jeremias inquit: *Ecce ego mittam Piſcatores multos, & piſcabuntur eos; & poſthæc mittam eis Venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cavernis petrarum.* Piſcatores, ac Venatores appellat Altiſſimus, qui lucrantur animas. Piſcatores gratiæ mortui reperiuntur? Mortis ſi ſuadebis recordationem, extemplo reviviſcent. Quàm

l. 2. con. Jovin.

c. 16.

nobilis,

nobilis, quàm dulcis, quàm fœnerarius hic contingit Piſcatus! O Piſcatus, ô captura longè pretioſiſſima! Quin imò ad Confeſſarii pedes illos deducas, ad Euchariſtiam; hicque duo Piſcatores eritis: Tu correctionis hamo, atque timoris, Chriſtus amoris rete. Hanc cogitationem efficaciter probat Divus Hieronymus in tertio Libro ſuper Ezechielem, ubi, dum de Chriſto ſermo inſtituitur, legit; *apparens per retia.* Retia contexta Oſeæ funiculis: *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.* Noli circa hoc procraſtinare, moras rumpe, nam inſtat à tergo mors. Mortis neceſſitatem, Narciſſe Piſcator, hautquaquam eluctando es; id quod ab alio Piſce ſymbolicè diſcere valebis. Quot annis unâ duntaxat vice, in Syracuſanis aquis lampuca conſuevit excurrere, nimirum vindemiarum tempore, cùm Bacchus turgidis muſto crateribus ſpumat. Suapte naturâ umbram appetit, ubi potiſſimùm Piſcatoribus capitur. Ultro Mortales, vergit ad lethum veſtra vita, ad mortis umbram inclinat ſponte, impellente nemine. Hinc Libitina in ictu oculi catervatim nos deprædatur, nos piſcatur. At piſces illa, nos animas piſcemur, illa vitas, nos merita. Verùm properè, hortatur viventium ſapientiſſimus Salomon: *Quodcumque facere poteſt manus tua, inſtanter operare.*

c. 11.

Eccl. c. 7.

NAUTÆ
AD
FONTEM.

CAPUT X.

1. VAnam gloriam, jejunæ aviditati copulatam, navigationis perfidos genitores ſugillo. Vagâ ſtabilitate cavæ in pino diſcurrunt potiſſimum mundi tractum. Navigatio proinde in ſalo natales ſortita eſt, ſpumeæ fortunæ periculoſo theatro, ut à Fortuna penderet: Infelixque vel à primis nuptiis, vento

to ſe deſponſavit, cujus afflatu tumentibus carbaſis, vanâ gravidata eſt aurâ, verâ vanæ gloriæ progenie. Semper eſt infans, incedere neſcia, niſi, reſolutis funibus, faſciarum vicem ſubeuntibus. Incedit per lubrica pedibus expers, lapſum deridens, quem neſcit. Excuſſis faſciis adulta volat, tandem ſpumeis in undis propriam teſtando canitiem. Rurſus reviviſcens, Phœnix audire meret, neſcio, an maris, aut venti, artiſve. Hoc haut vos gaudetis privilegio, Navitæ Narciſſi : Quippe navigantes ad tumulum, rogum haut offenditis, novæ vitæ Fontem. Veſtra ſenectus hujuſce farinæ metamorphoſibus minimè deſtinatur ; neque vana gloria, cum aviditate, quibus urgentibus ſolvitis; feretro ſubrogat incunabula, dum pro faſciis ſupremæ neceſſitatis linteum adornat. Anno milleſimo, quadringenteſimo, nonageſimo tertio apparuit Chriſtophorus Columbus ; & milleſimo quingenteſimo primo Americus Veſpucius in ſcenam prodiit. Uterque Oceanum ſulcârunt, ignotos invenerunt antipodes, abeundo Nautæ, revertendo Monarchæ. Opum cupiditas cum capitis diſcrimine, ad acquirenda Regna illos impulit, ad venandum novos mundos vana gloria calcar addidit, queis noſter erat anguſtus. At illorum nomen, ſicut & multorum decantatorum Navitarum evanuit; qui transfretârunt, ac tandem in lethi mari ſubmerſi periêre. Fama verò deponentium proprium nomen in tumuli cineribus, in facti immortalitate perennat. Magdalena, quæ flendo migravit in perennem empyræi fontem, crinéque ſparſo Solem ſe probavit, ſuorum radiorum exemplo mundo affulgentem; unguentum humi dejecit, quò per lubricam ſemitam, velocius ad Chriſti pedes decurrere liceret. Ut eò pervenit, novarum regnum offendit gratiarum, atque theſauros ſupra Peru. Tam egregium facinus ſibi immortalitatem famæ vendicat? quì verò hoc accidit? Inexhauſtâ cupiditate cœleſtium, projecto unguento, ad ſepulchrum cogitationis alis volavit : *Ad ſepeliendum me fecit*, effabatur Redemptor. En communis applauſus, en acclamatio Orbe toto diſſeminata! *Amen dico vobis, ubicunque prædicatum fuerit hoc Evangelium, dicetur, quòd hoc fecit in memoriam ejus.*
S. Mat. c. 26. Hoc expendens Angelicus Doctor, eructat: *Notate, quòd multi voluerunt devulgare nativitatem ſuam per univerſum mundum, & deleta eſt memoria eorum ; factum autem hujus non eſt deletum; & quid*

quid fecit ? [*Mittens autem hoc unguentum , ad ſepeliendum me fecit.*

2. Sanctus Ephræm Syrus nominis immortalitatem, famæque gloriam confert cum margarita : *Margarita pretioſa è mari eſt magnæ æſtimationis, non tamen cibum præbet, ſed gloriam, neque potiùs oblectamentum, ſed claritatem nominis.* Reſpuit adamantis, ſapphiri, ſmaragdique ſimilitudinem, pretioſorum lapillorum, utut primus ob ingenitam conſtantiam, ac fortitudinem æternitatis ſymbolum ſuſpiciatur. Myſteria ſcrutemur, quà generationem, quà eſſentiam ſpectantes. Concha unionis involucrum, licet Oceano obducta, uni patet cœlo, à quo præſtolatur potum : ac veluti Tantalus undis coronatus, ſiticuloſa, unam guttam duntaxat de cœlo deciduam ſuſpirat, ad unam ſtillam aſpirat avidiùs. Hauſtâ roratâ guttâ, ſuas repetit arenas, in matris viſceribus indureſcens, haut ampliùs tremula, ſed lucida. In hunc propemodum modum Erythræa concha, hunc nobis parturit pretioſum globulum, gemmarum pupillam : incertus animi, dicámne ſtellarum reliquias, aut ſtellam pectorum regiorûmque diadematum. Stellam nuncupabo, dum ad eburneum collum, candore conſpicuum, lucere videtur, haut ſecus atque in viâ lacteâ ſtellarum caterva. Margaritum, ac unio omnes in ſe theſauros uniens, ſuâpte naturâ nobilitate præfulgidus, gemmarii ab induſtriâ nullum mutuat ſplendorem, decus aliquod aſcititium emendicare erubeſcens. Nunc vela contrahito, Nauta Narciſſe; mihique (ſuppetit ſi facultas) denuda, queis in empyrei ſublimibus gemmis, Beatorum ornentur, ſplendeántq; coronæ? *Poſuiſti in capite ejus coronam de lapide pretioſo*, teſtatur David. At exponit Divus Bonaventura: *Iſte lapis eſt Margarita.* Ex quibus eluceſcit, empyrei poſſeſſionem noſtris à nobis meritis impetrandam eſſe, hincq; illius urbis oſtia margaritis conſtructa coruſcare : *Singuli portæ ex ſingulis Margaritis.* Demolientes culpam, ac probis operibus inſudantes, nobis cœlorum Regnum impetremus, non alienis adminiculis. Proinde Regius Vates ſuccenſet, citra laborem ad cœlorum Regnum aſpirantibus ſalutem : *qui dixerunt, hæreditate poſſideamus Sanctuarium Dei. Deus meus pone illos ut rotam.* Itaq; nobis laborandum in vita, pro impetrandâ poſt mortem gloriæ coronâ. Ne torpeamus igitur tanta digni hæreditate crediti. Tu verò

in Mar, pr. T. 3.

Pſ. 82.

vanæ avidus gloriæ, Narciſſe Piſcator, in remotiſſimas Orbis plagas tranſmittis, ac ſolvis, tempus dilapidans, cùm ob oculos ſit regnum cœlorum, quod cœcus haut aſpicis. Unio jacet in Erythræo mari, nec orcas, nec immania cete formidans, nec undarum turbans furore. Sin nubilus aër cœli ſerenitatem eripiat, atque funeſtet, hócque mugientibus tonitruis inhorreſcat, protinus palleſcit. Æquâ lance Mortales unum timeant Numen, à cœlo cuncta ſperantes. Terrenas calamitates declinare licet, cœleſtes non licet. Haut ſunt timendæ corporis aſperitates, queis anima ſepitur, ne pereat. Formidanda veniunt, unde proficiſcitur æterna regni cœleſtis jactura. Triballi bello ab Alexandro Magno quaſſati ultra Danubii ripas, reſpirare cupientes, componendæ pacis ergò ad Regem caduceatores deſtinant. Hos percontatur, quid illis videretur omnium humanorum terribiliſſimum. Ratus, reſponſuros Alexandri fulminantem dexteram, cujus fama terrarum Orbem, quà latè patet, impleverat; hoc accipit inopinum reſponſum: Nullus nobis pavor incutitur, niſi quòd, diſſolutâ cœli compagine, obrui poſſimus. Sic eſt, acerbatæ duntaxat Divinitatis furorem contremiſcamus, conſultum duco. Vela contrahe, Navita, meóque ingravatè imperio obſecunda. Campus pateret ampliſſimus de margarito ediſſerendi, quoties Divi Antonini Archiepiſcopi Florentini mutuato oraculo ingeminarem: *Maria ad modum Margaritæ genita eſt intra concham, id eſt, uterum Annæ, humilis matris ſuæ, ex cœleſti rore, id eſt, ex divinâ gratiâ, & virtute.* Rurſus ſi cum Leone Auguſto linguæ repagula ſolverem, cordis nunciæ, ad illam auſpicatiſſimam alvum, velut ad concham, converſus: *Ave, dico, ave, quæ cœleſtem*
Hom. in Ann. V. *Margaritam nobis expoſuiſti, per quam ab avitâ egeſtate liberati ſumus.* At latiùs evagari piget, evocatum Divo Ephræm Syro, ad perpendendam cauſſam, cur tam fama, quàm humana gloria aſſimiletur unioni. Itaque cenſeo ſimilitudinem utrobique militare, quoniam, ſicut in ſinu impolitæ, rudiſque conchæ margarita concipitur, ibiq; anguſtata moratur; pariter fama arcta nutritur in foveâ, vivitque cava in petra. Uniones appellaverim condenſatas auroræ lachrymas, effuſas inter ſuſpiriorum ſapphiros ob defunctæ mortis funus. Ita velificabor unionis humori. Itaque cum auguſta fama à margarito non abludat, funerum cenſenda filia. Cæterùm, hanc exhibeo germa-

manam rationem; famam, gloriamque ab unâ proficiſci virtute, noménque apud Poſteritatis applauſus perennare, mediis probis operibus; nil avitorum geſtorum fulgore, quæ extra nos, lucis afferente. Hinc Philo fatuitatem Gigantum redarguit, in erigendâ Babelis turri temerè effutientium: *Celebremus nomen noſtrum*: Quoniam illam fabricabant *quò meliùs impudentiam cum petulantiâ, cædes cum ſævitiâ, cum immoderationis voluptatibus immenſam concupiſcentiam, omneſque malas artes exercerent.* Gentilitas cœca nata ad replendum monſtris tam orcum, quàm mundum, propria pignora idolis ſacrificare minimè verebatur. Ita fecit Moabitarum Rex in quarto Regum Libro; quam impietatem æmulatos fuiſſe Iſraëlitas, David teſtimonium perhibet: *Immolaverunt filios ſuos, & filias ſuas dæmoniis.* Quo verò ſunt perciti ſtimulo ad perpetranda tam inhumana? Philo, Hebraicæ antiquitatis archivium, reſpondet: *Cupidine gloriæ in præſens, & famæ in poſteros.* At apud Poſteritatem viget illorum nomen, ac floret infamiâ famoſum; gloriam ſiquidem ab una virtutis radice pullulare, quis inficiabitur? Lethi verò cogitatio, virtutis fuerit radix. Igitur omnis gloria ex ſepulchris erumpit, naſcitur atque renaſcitur, identidem magnificentiùs germinando, ac triumphando. Perpendas, dum vela expandis, Navita, Mortales æquoris undas imitari, ubi unus fluctus alium impellit, omnéſque franguntur ad ſcopulum. Scylla, quæ debellandæ viventium audaciæ, ſuis latratibus maris excitat iram, ſuis in antris, hiantibuſque cavernis circumſcripta vacet, morte omni momento in edendis ſtragibus occupatiſſima, cujus impetum nullus eludat. Spectabis etenim contracto ſupercilio, in portu, ubi luſêre navigia, naufragia regnare, horrere funeribus littus, quod occupaverat riſus effuſior.

Gen. cap. 11.

c. 2.17.

l. de Abra.

3. Porrò ardentiùs amplectereris pietatis ſtudium, ſedulam virtuti navares operam, ni ſuperſederes recordatione, Navarchorum peritiſſimos pontum abſorbuiſſe. Anno 1520. ſuperato Herculeo freto, vaſto Oceano ſe commiſit Ferdinandus Magaglianus Luſitanus, omine dextro, victoriæ nomen primo navigio imponens, cui arriſit fortuna, auſpicatò ſiquidem Canarias attigit Inſulas, quæ fortunatæ paſſim audiunt. At lætum initium triſtis corrupit exitus, dum in Inſula Machian procellis jactatus, ſupremæ felicitati fecit ſatis. Omnia in mundi Euripo eva-

evaneſcunt, cum navibus Nautæ. Demades quà Orator, quà Nauta, transfretando nullum littus offendit, ubi lethum non conſideret; orandóque non exoravit illud, ut ſibi parceret. Canopus Menelai navi præſidens (Plinio teſte) æquè Nili fauces, Canopicæ ſonant; aſpidis morſu periit, quæ neque Cleopatræ dotatiſſimâ formâ florenti pepercit. Amaſides pariter occubuit Theſei in Cretam vector, horrendum debellaturi Minotaurum. Evanuit Pelorus, audax Hannibalis fugitivi Nauta. Palinurus Æneæ Navarchus tandem ſubmerſus eſt, ſymbolum illius, qui occaſioni ſe non ſubtrahens, demum in peccati barathrum devolvitur! *Qui amat periculum, peribit in illo.* Petitium mors rapuit, quondam ſupplici Pompejo ſedem in navi concedentem. Omnes lethi facti ſunt præda, eâdem in navi navigarunt Mortales. Quàm concinnè, quàm appoſitè in illos mei Silos Muſa ludit.

Qui rate fluctivaga percurris cærula ponti,
In pelago vultus, Navita, cerne tuos.
Monſtra vides, ſcopulos, ſyrtéſque, pericula mille:
Scilicet, haud Thetys, mors dominatur aquis.
Illa furit ſemper; ridet, ſed fluctuat æquor,
Semper & in pelago Naufraga vita tua eſt.

Rurſus quemadmodum cœlum terrâ viventium audit: *Placebo Domino in regione vivorum*: Ita proprium mortis habitaculum noſcitur terra; in regione, & umbrâ mortis. Regio eſt cimmeriis obſita, tenebris obruta, per quam vita peregrinatur: *Dies peregrinationis meæ parvi, & mali*; & dies veſtri, Navitæ, longè moleſtiſſimi, amariſſimique reperiuntur. Huic ergo peregrinationi meta ſepulchrum præfigitur, eſtque regio primâ obſcurior, per quam jam peregrè profecti ſumus; ubi nulla regnat amœnitas, nulla ridet jucunditas, & omnia tetricitas obſidet, cunctis dominatur horror. Quò tendimus, omnes intellexiſtis. Vobis ergo perſuadeatis, in tumulo deponendas faſtuoſas cogitationes; huc venire nullum non compelli. Baſilicinus Navita ſulcavit, miraque cataſtrophe, ac inopinâ Rex creatus eſt à Michaële Imperatore Conſtantinopolitano. Ita Mandroni Imperium obtigit Nautæ: Ex quo ortum adagium: *Fuit*

&

& Mandroni ficulna navis, in evectos arridentis fortunæ ſuffragiis, omni meritorum ſupellectile denudatos, ad dignitatis gradus, priſcæque conditionis immemores. Attamen uterque poſt fatum regna viduata lumine ingredi coactus eſt.

4. In hujus teſtimonium exclamat Sponſa: *Ego ſedebam.* Ita legit Carpatius; *in oculis ejus, tamquam ea, quæ pacem invenit.* Cur illa pronunciavit, *ſedebam*, non autem in ſenſu perfecto, *ſedi?* Reſpondet Carpatius: *Animadvertendum eſt, quòd tempore imperfecto utitur, cùm dicit, ſedebam, non ſedi, ut oſtenderet, nunquam nos hìc perfectè poſſe quieſcere.* Deſtinantur Navitæ prolixis itineribus, in longinquas, remotáſque Orbis plagas, nunquam quietis otio fruituri, niſi in ſepulchri portu. Hoc eſt, *via univerſæ carnis.* Hæcque ſolida cogitatio, anchoræ vice vanam gloriam firmabit. Mors Indiæ ſapit murem, crocodilo mortem molientem vitii; Libani redolet cedrum, expellentem cordis ſede aſpidem cupiditatis opum.

5. Quot, amabò, circumſcribuntur myſteria in inclyto ſceleſtæ Jezabel præcipitio? Legit periocha, *non invenerunt niſi calvariam, & pedes, & ſummas manus.* Inquit Stephanus Cantuarienſis: *Ecce Dominus voluit, ut extrema Jezabel conſervarentur; quia Dominus vult, ut præ oculis habeamus extrema, quæ in miſeria ſunt, & non media, quæ in gaudio ſunt.* Vita, vivendique norma, aut in navigando, aut nundinando, negotiandóve, medium eſt: nativitas, ac obitus extremum, Hoc haut ſpectandum non eſt, illud haut ſpectandum eſt. Hæc omnia ad unguem dilucidat, atque declarat Bercorius, concinno parallelo: *Cœlum habet duas extremitates immobiles; ſcilicet polum Arcticum, & polum Antarcticum, quæ ſunt ſtellæ immobiles, inter quas tota cœli ſubſtantia continuò rapitur, & movetur: Sic verò homo habet duas extremitates, ſcilicet nativitatem, & mortem: Iſti enim ſunt duo poli, id eſt, duo termini ſibi invicem contrarii.* Et paulo infra ſubnectit; *Mens noſtra continuò volvi per conſiderationem infra iſtas duas extremitates debet, ſcilicet, nunc cogitando de nativitatis utilitate, nunc de mortis aciditate meditando.*

6. Dionyſius Carthuſianus, prætactis album adjiciens calculum, affirmat, vitam peregrinationi ſimillimam occurrere, opes, mun-

dique cuncta medium ad finem, quemadmodum utimur equo ad ſuſcepti metam itineris: *Qui attentè, ac frequenter recordatur, & intuetur, quàm citò recidit à ſæculo iſto, & quamdiu æternaliter vivet in ſæculo mox futuro, non reputat vitam præſentem, niſi curſum, & peregrinationem ad vitam ſequentem; nec utitur divitiis, ac cæteris rebus mundi, niſi ut mediis neceſſariis pertingendi ad mortem ſalubrem, ac finem beatum.* Quòd igitur vita peregrinatio ſit, hanc mari, quam terrâ commodiùs inſtitui, ac auſpicatiùs, quis affirmabit. At Divus Bernardus lynceâ perſpicacitate præditus, uſque ad medullam penetrans, ſenſus reconditos detegit. Utrumque iter aſſimilat maris ſimilitudine vitæ proſperæ, terræ ſimilitudine vitæ calamitoſæ: Quoniam in navi citra moleſtiam vehimur, comedimus, potamus, indulgemus ſomno, cæteriſque naturæ ſubſidiis, aut ſolatiis. E regione tellurem emetientes modò aſcendere, modò deſcendere compelluntur, ſpineta ſuperanda veniunt, collium iniquitatem, depreſſa vallium, ſaltus, nemora, foveas, ſaxa, flumina deprehendunt; ut anhelantes, ſuſpirantes, ſudandóque itineris metam attingant: Quibus incommodis adjice ſitim, Solis æſtum, nives, frigus, pluviam cum grandine. Nihilo ſecius decipi ſe nemo patiatur: *Nemo noſtrûm, Chariſſimi, plana mollioris viæ ſuperficie delectatus, iter illud marinum ſibi commodius arbitretur. Magnos hic campus montes habet, inviſibiles quidem, ſed eo ipſo periculoſiores. Laborioſior fortè via videtur inter ardua collium, & aſpera rupium, ſed expertibus longè ſecurior, & deſiderabilior invenitur.* Æquoris tranquillitas invenitur tempeſtas; ridendo planctum amat extorquere. Spumeæ bulliunt undæ, voragines hiant, Scylla latrat, Syrtes occurrunt, brevia patent, ſcopuli ſurgunt, ſaxa latent, tot inſidiæ, quot pericula prorſus parantur, ut à navigatione prohibeamur, atque deterreamur. Sic fauſtitas perſonata, ſic bracteata felicitas ſuis procis conſuevit imponere! En roſam ſpinis gravidam, armatam ſentibus, Sodomæ malum, repletum cinere, favilláque, Sirenem homicidiis intentam! Hinc Divus Auguſtinus: *Periculoſior eſt res proſpera animo, quàm adverſa corpori.* *in Pſ. 50. cap. 15.* Igitur inter ardua collium, & aſpera rupium ſecurius eſt iter, quàm in mollioris viæ decurſu. Per aſpera eniti licet ad mollia, per mollia progredimur ad aſpera. Voluptatum terrenarum dulcedo,

cedo ciet amaritudinem; ærumnarum autem radix amara quidem reperitur, at dulcis eſt ejus fructus.

7. Ideo, teſte Divo Auguſtino, tantam fortitudinem Romanis indulſit Altiſſimus, *quia non erat eis daturus vitam æternam cum ſanctis Angelis ſuis.* Ex diametro decrevit, Joannes Baptiſta aridos horridi deſerti pumices calcaret, quòd per deſerti ſemitam, ſpinis ſparſam, ad cœleſtem Jeruſalem detur veſtigium moliri. Permiſit, Stephani caput obrueretur lapidum imbre, coronandum in empyreo fulgidiſſimo immortalitatis diademate; Sebaſtianus evolaret in cœlum ſagittarum alis; ſub Catharinæ pedibus fortunæ rota fracta jaceret, dum tyranni carnificis rota, ſuam in innoxiam virginem exercuit ſævitiam; Cajetanus ex nihilo victitaret in terris, in cœlo omnia poſſeſſurus; Franciſcus inter terricolas obduceretur ſacco, futurus areæ cœleſtis frumentum. Animæ ſolatia, futuræque beatitudines, ceu violæ inter carduos ſylveſtres proveniunt, circumdantibus ærumnis hilareſcunt. Dixit Archangelus Raphael Tobiæ: *Quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit, ut tentatio probaret te.* Neceſſum fuit, uti quatuor annorum ſpatio cœcitate laborares, luminibuſque viduarere, inque communi luce peculiarem tuarum tenebrarum noctem ſuſtineres. *Quia acceptus eras Deo.* Quoniam prædeſtinatis adſcribebaris, *neceſſe fuit, ut tentatio probaret te.* Ceu prædeſtinationis præmium, tribulationis fructus habetur. Unde verò tanta neceſſitas? Divi Pauli teſtimonium me fulciet: Audite (inquit ille) audite populi, Nationes, audite pacta Numinis immutabilia, ad prædeſtinationis ingreſſum: *Conformes fieri imaginis filii ſui.* Oportet tu evadas ſimilis Dei: Et, ſi tibi cordi eſt, prototypum ſpectare, ut depromas, obtutum defigas in duro trunco, cui fuit affixus, nec non miſericordiâ te tactum probato. Inter vivos omnibus deſtitutus amicis, æquo animo contumelias tulit plebis, Magiſtratuum ſævitudinem; Triginta trium annorum curriculo (ultra non extendit ætatem) nec momentum habuit riſui impendendum, &, licet hortum ingreſſus fuerit, non guſtavit, ut Adam, mali dulcedinem, at abſorbuit calicis amaritudinem. Hìc proditus eſt ab amato diſcipulo, conſtrictus catenis ut flagitioſiſſimus quiſque, iniquiſſimo Judici præſentatus. Quis verò, quæ pertulit opprobria, inſultus, lanienas, in plateâ,

cap. 12.

ad Rom. 8.

in aulâ, enumerabit, quis flagellorum aſperitatem dignè ſatis recenſeat? Pannoſus inceſſit digniſſimus purpurâ. Patibulum pro throno ſortitus, transfigitur clavis, dum ſceptrum geſtare meretur. En prototypum, en exemplar! Cúmque, *quos prædeſtinavit conformes fieri imaginis filii ſui*, velit ſui imitatores, una tribulatio hoc profectò præſtabit. Nobis inſculpit, ſculptoris ritu, imaginem filii Dei, calamitatum malleo, quatenus erigamur ut electæ ſtatuæ

Epiſ. 44 in paradiſi templo, affirmat Bleſenſis: *Quadratur lapis, ut ſine ſonitu mallei in templi ædificio collocetur.* Igitur novercantis fortunæ procellâ, Numinis ſimiles evadimus. Hinc eſt, inquit Apoſtolus, quòd manus divina, *flagellat omnem filium, quem recipit.* Rurſus

in Ep. ad Heb. Divus Chryſoſtomus: *Si flagellat omnem filium, quem recipit, qui non flagellatur, fortaſſe non eſt filius.* Propterea Raphael ad Tobiam: *Quia acceptus Deo, neceſſe fuit, ut tentatio probaret te.* Ineluctabilis eſt neceſſitas pro electis. Pinacothecæ empyrei ſtatuæ ſumus, ac ornamenta. Verùm quid? Effatur Tertullianus; *Eſt planè quaſi ſævitia, medicina de ſcalpello: Non tamen idcirco malum, quia dolores utiles affert.* Momentaneum eſt quod cruciat, quod delectat æternum, ac dolor, licet onerosus, proficuus reperitur: *Moleſtus eſt, ſed niſi eſſet, utilis non eſſet. Horrorem fructus operis excuſat*, teſtatur Divus Auguſtinus. Nunc audite, quid Jobus inſtituerit, qui probè noverat, quid Spiritui prodeſſet: Cujus utinam inſiſteremus veſtigiis, oppreſſi ſenſûs lenociniis, excœcati faſcinationibus philautiæ, de qua triumphata non gaudemus, dum regnat, & in Imperio eſt.

8. Arriſit Altiſſimo ſemel ſigna prædeſtinationis Jobi denudare Satan, qui cervicoſus illi dicebat: *Extende paululum manum tuam, & tange cuncta, quæ poſſidet.* Numen manum extendit, ac protinus Job degenerat in ulceroſum, iratæque ſortis ludibrium. Cunctis propemodum denudatus, cadaveri quàm viventi ſimilior, vix enim oſſibus hærebat; adamantino conſtantiæ pectore munitus, debacchantis adverſitatis impetum, furorémque retudit. Quippe liberorum etiam acerbam jacturam molliter ferens, ingruente bar-

Cap. 1. baræ ſortis procellâ, ocyùs *tonſo capite, cerruens in terram adoravit, & dixit: Sit nomen Domini Benedictum.* Obſtupeſco, Jobum ad tam infauſtum nuncium, capillos ſibi reſecâſſe; nam antiquitus tonſum

tonſum caput lætitiæ, jubilique habebatur Index. Fortaſſis oſtendere voluit, remotâ cæſarie, fluctus ſiniſtræ fortunæ malaciam induiſſe, projectóque crine, ſui eſſe juris ſubjectam fortunam, cujus apprehenderat capillos. Hinc Geneſeos curſum decurrenti occurrit, Joſephum, detractis captivitatis vinculis, ac in libertatem aſſertum, vindicatúmque, comam depoſuiſſe: *Eductum de carcere Joſeph totonderunt.* cap. 40. Quì proinde Joſephus ſibi capillos reſcindit? Anne quòd ærumnarum iliadibus oppreſſus, at calamitatum pondere, lætitiâ triumpharet, atque geſtiret? Fidem his omnino non aſtruerem, niſi ſuffragatorem nanciſcerer Origenem: *Totondit comam capitis ſui, non ut lugens, ſed ut luctum deponeret. Totondit comam, ſicut Joſeph cùm de carcere à Pharaone educeretur.* Hócque ſignum extitit jucunditatis, ſpectandóque certas ſuæ prædeſtinationis notas, inundabatur lætitiâ, dulcedine perfundebatur hilaritatis. Hinc quot lacerum corpus ſcatebat vulneribus, tot ora in Numinis præconia reſerabat. Nullo penè negotio dolorum acerbitatem abſorbebat, ac exhauriebat, ignarus futurum, ut dulciſſimum decerperet fructum. Hæc omnia ad amuſſim, ad trutinam expendant ærumnoſi, ſimulque ruminentur Divi Bernardini Senenſis oraculum: *Sicut fulgur tonitrua portat, ita proſperitas ſupplicia ſempiterna* prænunciat. Ser. 33. Fer. 5. poſt Dom. 2. Quad. E regione, dum detonat fortuna, fulmina vibrat, propinquam arridentis ſortis ſerenitatem præſagit. Ira proinde detono in puſillanimes.

9. Latiùs evagati ſumus ex compoſito, datáque opera, in ſolatium tam navigantium, quàm remigum, nec non ad triremes damnatorum; qui aut ex neceſſitatis duriſſimâ lege, aut piaculi gratiâ, inauſpicatam vitam vivere compelluntur, carentes omni prorſus dulcedine quietis, dum nunquam vacare conceditur perennè labori vacantibus, ac ſudore frontes occupatiſſimorum irrorante: Nunquam enim moleſtiæ temperant. Nullum è ſpe remedium, teſtatum reliquit Dionyſius Carthuſianus. Mortalium vita navigationem redolet, quæ pro magnifico non ſit, at oneroſa. Conſequens eſt, tutius reperiri terreſtre iter. Et quamvis, Navitæ Narciſſi, undas ſulcetis, vobis attamen datur telluris ſpectare tractum; ut intelligatis veſtram originem, veſtræque mortalitatis memoriam refricetis, dum de terrâ plaſmatos vos deprehenditis, in

quam mox reverſuri eſtis, haut ſecus atque prædeceſſores veſtri, unà cum ſuis nauticis inventis, ac machinis. Veteres Neptunum maris Deum appellare minimè dubitarûnt, quòd navigium invenerit, ut ut honorem Plinius arroget Danao, qui ex Ægypto in Græciam ſolvit, atque tranſmiſit, ac transfretavit. Nihilo ſecius Polydorus affirmat: *Verum hoc ego aliquando verius Noacho tribuendum judico, qui, ex teſtimonio Euſebii lib. 10. de præp. Evang. perdiu ante Danaum, & Neptunum fuit, & arca fabricata diluvio ſuperfuit, quam Beroſus navim appellat.* Tibullus Tyriis hoc adſcribit.

de inven. rer.

Eleg. 7. *Prima ratem ventis credere docta Tyros.*

Jaſon deinde navim oblongam invenit, cujus nos æmuli triremes fabricavimus. Inſignes ſe viros probârunt Neptunus, Danaus, Jaſon, dum pro alis vela pandentes, migrârunt monſtroſas in aquilas, per novum elementum volantes. Attamen unumquemque illorum ſic alloquar: *Non renovabitur ut aquilæ juventus tua.* Omnes periêre, ſerius, citiuſque ad unam lethi metam, ad urnam fatalem properantes. Exclamabo hìc cum Seneca in Agamemnone:

Victor ad Herculeas penetres licet uſque columnas,
Te terræ cum aliis pars manet æqua tamen.

Mors æqua æquat ſceptra ligonibus, rudentes, ſcalmoſque ligonibus, teſtibus Telchine Ægyptio, Brige, Atlante, Themiſtocle belli Duce Athenienſi, corbis inventore, Græco Alcibiade, qui navis partibus puppis, cor proræ nomen impoſuit. Periit & Icarus velorum inventor, Dædalus, Piſeus, hic antennæ, ille clavi inventor. Hinc ingeminanda Dionyſii Carthuſiani ſententia, *qui attentè, ac frequenter recordatur, & intuetur, quàm citò recidit à ſæculo iſte, & quamdiu æternaliter vivet in ſæculo mox futuro; non reputat vitam præſentem, niſi curſum, & peregrinationem ad vitam ſequentem: Nec utitur divitiis, ac cæteris rebus mundi, niſi ut mediis neceſſariis pertingendi ad mortem ſalubrem, ac finem beatum.*

10. Ut

10. Ut igitur evadat diſcrimina in vitâ, vel morte paſſim obvia, nemo non nervos omnes intendat; æqui, bonique conſulens, ſi nihil à mari, nihil à navigatione remotus, nonnullam ſimilitudinem illi exhibebo. Locach navigium ſolvens in Indico Oceano, exiguâ intercapedine incurrit in Inſulam Pentaram; in cujus conſpectu ad quadraginta Italica milliaria brevia regnant, ideóque clavus removetur. Navita Narciſſe, ad moralitatem inflectas hoc opus naturæ, utilitatis abyſſos offenſurus. Nam quiſquis inconſultus ſæculi navigat Oceanum, in exitu vitæ brevia reperit, clavum deponere compellitur; quandoquidem oppreſſâ ratione, capitéque torpente, naufragium immineat, quod vigilans evites. Vel brevia ventorum ſentiunt imperium, tyrannidi ſubjacent. Quomodo te tuearis, eludáſque periculum, piſcis erudit: *vidi, & ſæpe piſcatus ſum* (inquit Perottus) *piſcem hunc* (echinum piſcem impropriè dicit) *in ſcopulis quibuſdam maris noſtri aquâ contectis apud Antii reliquias, & juxta Bajas purpureo colore, ac viridi mixto: Uſque adeò grata oculis eâ varietate, ut, ſi colores durarent, nulla eſſet cum gemmis comparatio, ſed mortuo piſce colores tabeſcunt.* Sali videtur iris, at citò tabeſcens; uſque adeò letho decus omne devenuſtatur, formæ defloreſcit dignitas. Lucianus echinum tyranni proponit ideam: Sicut enim hic piſcis quò provectior ætate, eò ſpinoſum involucrum magis exaſperat; ſic ille annorum decurſu magis, magiſque deſævit. Aldrovandus tutæ navigationis ſpeculum, ac Hieroglyphicum exhibet, effando: *Ille ſiquidem imminentem tempeſtatem præſentiens, attractis lapillis ſeſe munit, arenáque navium inſtar ſuburrat, nè vi fluctuum ullâ vexari, jactarivè poſſit.* Diſce igitur validis amictibus te munire virtutum, quo minus animoſis tartareæ tentationis curis alliſus ad ſcopulos, lethi tempeſtate fremente, frangaris.

11. En novum maris periculum, quippe ſæpius vel in portu naufragium latet, interque firmatas catenas, captivitatis lethiferæ vincula. Hinc impendio minus, minuſque ſe quiſquam alto credet, non immerito ſuæ morti tradendus. Portus Meſſanenſis, ac Syracuſanus celebrantur; at uterque plurima navigia abſorpſerunt, quod & alibi accidere, fidei quis abſonum dicet. Quot, malùm! Mortales in ſupremo lethi puncto, quot humanæ vitæ portus, pereunt?

reunt? Nonnullus affirmavit, mortem eſſe piratam, vitæ inſidiantem, rapientémque. Proinde probè Secundus Philoſophus, Adriano Imperatori denudavit: *Mors eſt diſſolutio corporum, inevitabilis eventus, latro hominis, & reſolutio omnium.* Piratæ pernicitas, quàm perniciosa exiſtat, oſtendam. Circumactus pelagi erroribus caput, tandem ſub patrio tecto componit inter amicorum amplexus, diutinus peregrinus; dum ſocium in alterâ navi deprædantur piratæ ad littus alienum. Scias, homo, in corporis navi animam per hujus ſæculi Oceanum ſulcare. Mortem conſtituo portum. Juſtus deſcendit, ad uſque patriæ, nataliſque ſoli delicias penetrans; Divo Gregorio aſtipulante: *Patria noſtra paradiſus eſt.* Inauſpicate ree! Te expectat, tibi ſervatur peregrina terra: Tartareorum ludibrium piratarum, catenatùs barbarâ ſervitute ſordeſces, tyrannorum mancipium liquente potaberis plumbo, ſtipantibus prunis candentibus. Huic conſiderationi Divi Chryſoſtomi militat

Tom. 5. in Matt. auctoritas; *In hora mortis jucunda benè actæ vitæ memoria, quaſi tranquillitas poſt tempeſtatem: Sed quando, ſicut inſenſati, vitam agimus, in diſcedendo de hac vitâ, procul dubio aderit conturbata anima.* Crocodilus venenoſus limoſi Nili pirata in ſcenam prodeat. Aggreditur derepente, brachiis conſtringit, lachrymis interimit, dentibus conterit. Hinc ſiticuloſus canis ad littus inſidioſum contremiſcendo, *bibit, & fugit.* Igitur præ veneno, crudelitate, rapinaque lethum crocodilus meretur audire. Quem autem veſtrûm fugit, Abbatem Elenum Eremitam, jam jam Nilum trajicientem in crocodilum incidiſſe voracem; At Dei famulo pro navi deſerviens, appulit littori. En mortis crocodilum, en univerſi pirata, non uni inſidians oræ, ſed toti mundo! Sævus, crudelis, inexorabilis ex rictu, ac corporis habitu videtur. Attamen

De Aſſ. Virg. veritatis candori reſpondet; Libitinam probis eſſe cymbam: *Mors tibi cymba eſt* (inquit Damaſcenus) *qua trajiciaris ad æternitatem, ô Dilecta*: Sceleſtis eſt ſcapha Charontis.

12. His igitur argumentis compellimur carbaſa lacerare, remos projicere, navigationi valedicere, ac ad meliorem frugem redire; quod executioni mandantibus pudor abſtergitur, & humanarum ærumnarum conditur acerbitas. Num ventum proſperum præſtolaris, ut ſolvas, ut anchoram tollas? Ventum eligere

ducem

ducem non deſpicias, confidis, quid enim mortalium vita, præter ventum? Eſdræ dixit Angelus: *Menſura mihi flatum venti*: Nimirum vitæ curſum, *ventus eſt vita mea*, Jobus exclamabat. Tam autem momentanea reperitur, ut à morte vix abſit: *Veſtra, quæ dicitur vita, mors eſt*, effatur Seneca. Meo ne deſim muneri, progrediar ſpe fretus, futurum ut nemo gravetur, mihi ſuum tædium expugnatum iri. Vaſtum eſt inclytum Mangì Regnum, ſuóque continente nullatenus contentum, ſeptingentis quadraginta ſeptem Inſulis moderatur, ubi florent arbores ab ubertate, à fragrantiâ nobiliſſimæ. Hinc quiſquis in Indiam ſolvit, integrum annum impendit: Quòd duo duntaxat venti regnent, unus æſtate, alter hyeme. Ventus, qui velut nihil, ſex durat menſes, vitáque tua numquid momento perire poteſt? At ad ſex extendatur menſes; ſed tandem ſuccumbet exiguam poſt intercapedinem, per longinquas regiones peregrinando, quam reducem nemo ſalutet, ac gratuletur. Avis illa *Goæ*, dicta *Coguli*, merulo ſimilis, tam Vere, quàm æſtate modulatur, hunc edens ſonum, *vettanù*, *vettanù*; vernacula noſtra audit, diſcedo, diſcedo. In autumno verò, ac in hyeme, *ettanù*, *ettanù*; Quod valet revertor, revertor. Redeunt volucres, tempora redeunt; unus homo à nobis avulſus redire vetatur. Nautæ Inſulæ Taprobanæ, jam alto immerſi, paſſeres in hunc finem allatos libertate donant; quibus avolantibus (nam acum nauticam ignorant) in patriam revertuntur, dum duces illi viduatos repetunt nidos. Homo duntaxat in patriam contendere neſcit, eſto patrium haut deſerat ſolum, ubi cinis, atque putredo, exanimis moratur. Si fides adhibenda venit Ciceronis oraculo: *Ex vita diſcedendum eſt tanquam ex hoſpitio, non ex domo*; Apprime quadrabit in Nautas, ſemper irrequietos, nec unquam ſub patrio tecto morantes. Itaque diſceſſûs punctum jam imminet. Ubi ſunt apparatus? Jam claſſicum canitur, jam mors armata erumpit. Numen avertat, id nobis contingere, quod inopinanter impetitis! Qui paſſim novitate, quàm magnitudine periculi deterrentur. Hæc veſtrum animum pungant, ac invadant, ô Nautæ, ſcientes quid magnum eſſe mori, à quo diſceſſu pendet aut boni, aut mali æternitas.

Jonſton. in Thau. avi. c. 30

13. Hujus boni conſiderationi immorari delectet. Tu, Venete Nauta, poſtquam affatim natalis ſoli deliciis innatâſti, in-

ſtructâ trireme Adriaticum ſulcans, Meſſanæ appuliſti: Ubi, contracto ſupercilio, magnificentiſſimum portum, coronantia ſpectâſti palatia, nepotináſque moles, populoſam deinde luſtraviſti Neapolim. Cymbâ ancillante Tiberis fauces ingreſſus, Romam Italiæ Africam, quoniam *ſemper aliquid novi apportat*, obſtupuiſti, ſemper quid novi aſpexiſti, ſuperba palatia, ſumptuoſiſſima templa, fontes, ædificia, tempe, fortunæ varietatem, ſtatus, dignitates, pompas, theſauros diffundentes. Inde Liguſtricum ſinum decurrens, utrumque littus incolis refertum, almam Genuam, undique lectiſſimo marmore faſtuoſam admiratus es. Galliæ amœnitate perfuſus, Marſiliæ tractum cum voluptate metiris. Barcinonâ ſolvens, maritimæ Hiſpaniæ urbes ſalutas, quem Tagus ſuſcipit aureis arenis. Uliſſipone totius Luſitaniæ magnificentiam ſpectâſti; hincque Goë-verſus iter arripuiſti: Fructus mirâ præditos ſuavitate, Europæorùmque palatis incompertos guſtâſti. Deliciis inundatus triumphâſti, regiones luſtraviſti, gentium ritus notâſti, tam naturæ, quàm artis opificia, luxùmque ſpectando.

14. Tu, Syracuſane Navita, dixiſti, valete atagenes queis paſcebar; valete uvæ Appianæ, unde mihi robur conciliavi: Poſt multorum annorum curriculum revertar narraturus, quæ ſpectavi mirabilia, queis echo plaudat Dionyſii quàm inclyto erumpens carcere. Syracuſis Tunetum tendis, rudera proſtratæ Carthaginis ſpectaturus. Hinc Alexandriam petis, noſtri hemiſphærii mercium epitomam. Proram deinde dirigis Cæſaream verſus, ubi non te moratur balſami fragrantia, ſed Sidonem rapit, atque Tortoſam opera acu picta. Cyprum, inde Cretam perrexiſti, pergaviſus ſpectaculo Trojanorum camporum. Poſtea ad Helleſpontum declinâſti, Conſtantinopolis Regiam intuiturus. Anglus in Inſulas Canarias iter dirigit, ut oculatus Ulyſſes, ſuaviſſimam illorum paſſerum, pennatarum Sirenum, melodiam eludens, ad uſque Mexicum, Americámque penetrando. Huc ergo Navitæ, queis volupe, totum luſtrare mundum; cogitatéque omnes pulchritudines, omne pretioſum, omne ſuave, omne magnificum, quod variis in Provinciis diſperſum Mortales beare conſuevit. Omnia deliciarum genera conſpirent, ac confluant, Muſices ſuavitas, odora balnea, flores, plantæ, horti, maris deliciæ, ſcenarum pompa, choreæ, theatra, potûs dulcedo, fercu-

ferculorum ſuavitas, byſſinæ veſtes, tenuiſſima ſerica, urbium magnificentia, palatiorum majeſtas, gemmæ, theſauri, ora venuſtate florentia, purpurea labra, pupillæ vivaces, flava cæſaries, ſtellæ, Luna, Sol, quidquid amabile, gratum, acceptum, pretioſum occurrit, quidquid venuſti, rari, bonique vel noſtris, vel peregrinis climatibus circumſcribitur.

16. Hæc autem unio, ac aggregatum, nec ad milleſimam partem pertingit illius dulcedinis, boni, pulchritudiniſque, quibus fruemur in cœlis. Hæc unio appetitui tuo, tuo cordi tranquillando, ſatiando impar agnoſcitur, quod adhuc avidum fluctuat, inhiat, anhelat. Magnus Alexander, Orbis Dominus, ac Moderator, plures ſuſpirat Orbes, quorum ignarus ad littus Oceani deflet amarè. E regione Beati in Divinitate immerguntur, de qua Chryſoſtomus; *Fons eſt perenniter manans, divinarum virtus cognitionum.* Se ſéque immergendo, delicias, dulcedines, felicitatem incurrunt; quæ cor implent, animam ſatiant, vel ardentiſſimam ſitim extinguunt, ſuper caput aſcendunt: *Lætitia ſempiterna ſuper capita eorum.* Explicat Divus Vincentius Ferrerius: *Dicit Propheta, ſuper capita eorum, quia tanta eſt lætitia, quòd non poteſt comprehendi.* Itaque non levis fuerit momenti mori, à quo tranſitu beata, vel miſera pendet æternitas. Ex dictis igitur conjice, quantæ molis, quanti ſit ponderis, piè ſupremam clauſiſſe diem, evadere participem illius boni, cujus jactura, cujus privatio contingat amariſſima. Supereſt, tenaciùs amplectaris, toto pectore ſtringas, in ea te ingurgites, unde ad tantæ felicitatis poſſeſſionem avoles. Vanâ gloriâ, opum cupiditate navigium impellentibus, alto te committere non dubitas, cum capitis periculo longinqua petere, jactari procellis, allidi ad ſcopulos, diu, noctúque ſomni dulcedine abſtinere, hauſtu frigidæ contentum eſſe, curarum amara abſorbere: Nec probis operibus, pro lucrando cœlorum regnum, inſudas, leviſſima quæque pro æternæ gloriæ pondere, ſubire gravaris, detrectàſve? Siccine in corporis commodum fellea exhauris pocula, in animæ emolumentum vix pitiſſans? Stridentibus muribus tempeſtatem imminere cognoſcimus; Fortaſſis quòd ſentiant aërem conſtringi, aut quia frigus ſuſtinendo non ſunt, erumpens à ſolo, quod calcant, utpote tenui cute. Narciſſi Navitæ,

Hom. de orat. ani.

ſub moleſtiis ſtridetis, veſtrique ſtridores ſydera, quæ duces comitamini, propemodum incuſant immeriti; Præcavete noviſſimam tempeſtatem: Nunc portui appropinquandi ſatagitote. Muſtela ſubſultim natare conſuevit. Hoc vos præſtare prohibemini. Quiſquis medio naufragat in mari, perit. Saltu tentare appulſum ad oram, unico contritionis actu in ſupremâ luctâ, ſibi proſpicere, admodum arduum, nodoſumque haut temerè dixerim. Ex veſtro munere, quo fungi amatis, exemplum depromere licet; déque vobis, ac ponto Seneca verba connectens admonet: *Noli huic tranquillitati confidere. Momento mare evertitur. Eodem die, ubi luſere navigia, ſorbentur.* Pedetentim aurâ levi gravidantur carbaſa, lethum paritura.

16. In ſuſpenſo ſum, an transfretando attigeritis duas conterminas Inſulas, prope Reſmaceran. Unam ſequior ſexus duntaxat habent, alteram virilis; nec unquam coeunt, niſi Menſibus Auguſto, Septembri, Octobri. Maſculi uſque ad ſeptimum ætatis annum miſcentur matribus, deinceps tradendi genitoribus. Cæterùm agriculturæ ſolerter vacant, ſeorſum incolentes, ſolum nacti fœcunditate jucundum. Delectantur & piſcatu, cùm fretum illud unionibus ſcateat, odoróque ambaro præ copia cete inibi conſidentium. In memorato Inſularum pare, tam corpus, quàm animam adumbrare juvat. Dividuntur, neque conſpirant, niſi ut modicum, quod jure merito humanitati debetur, exigant. Negotiari licebit, ac mercimoniis indulgere, ſed quantùm ſufficit ſtatui veſtro. Cupiditatis effrænis audacia, párque ardor naufragium involvit. Ubi exulat moderatio, vitium regnet neceſſum eſt; Hoc autem corporis, animéque tempeſtatem eſſe, quis inficiabitur. Hinc Divus Baſilius, ſumptâ ſimilitudine veſtræ navis, teſtatum reliquit: *Sicut navim oneris magnitudine gravatam exiguus fluctus demergit: Eundem in modum hominum corpora aſſiduâ expletione degravata, facilè à morbis demerguntur.* Eandem ciet perniciem quælibet immoderatio. Themiſtocles genuinus in mundi theatro vir, dedignatus cum ſuis civibus ad littus deſcendere, ubi diſſipatæ navis ſpolia rapiebant, deprædabantur, ſibique dividebant, reſpondit in hunc modum, ſuam verecundiam, moderationémque objurgandi: *Tu tibi colliges, quia Themiſtocles non es.* Ex virtutis penu, quæ mei juris, depromo quod

Hom. 1. de jejun.

quód mihi ſufficiat, abſque eo, quòd piratarum more, maria deprædér, remotas decurram terras, ex naufragio colligam. Vel tantillum ſat erit hoſpiti in hoc mundo; cujus domus, ac ſedes extra hunc mundum locata perennet. Quilibet Navitarum, qui cœlo militet, aviditatem dediſcat Magiſtro Gentili, veritatique lubens aures accommodet. Saronem Nautam extitiſſe incultum, rudem, ac inurbanum, obvium eſt; hinc *factus* adagio locus, *Sarone magis nauticus*; Quum frontem inurbani Nautæ ferire delectat. Hic ergo acerrimus urbanitatis hoſtis, hic truncus, hic ſtipes (Saronem ſugillo) urbanitatis decus quoties intellexiſſet, oppidò illius in amorem, obſequiúmque raptus, ac accenſus, illi ſe mancipâſſet, ad meliorem frugem ſe convertiſſet, calculos revocans. Vos, qui ventis imperatis, indomitas frænatis undas, qui vobis moderemini, temperetis, ignoratis? Qui ad clavum ſedetis, non ſedatis animi tumultus, nec ad examen preſſiùs opera veſtra vocatis, vacatis dum prolixæ navigationi, vitæque non tam ſubſidia, quàm delicias, ac ſuperflua piſcando, mortis immemores voſmet probatis? Dionyſius Syracuſanus laureatam navim Platoni miſit obviam, quem hinc egredientem rhedâ excepit, ipſemet aurigans. Empyrei navis, paradiſi phaleris decora vos expectat; vos manet. Angeli Navitarum munere fungentur, Omnipotentis Monarchæ majeſtas, triumphantis adventûs pompas adornabit. Palatia auro radiantia, gemmiſque coruſca vobis deſtinantur, inter immortales cœleſtis aulæ Principes numerandis. Sin improbitati veſtram locaveritis operam, ad littus inauſpicatum exponi continget, Cocyti turbidas, ac graveolentes aquas veſtris lachrymis aucturi, Charonte atra, lubricáque navi obviante, Plutone, quem Furiæ comitentur, adventante, non ad obſequia, ſed ad æterna, queis mancipamini, tormenta. Amodò reſipiſcite.

PLEBEII
AD
FONTEM.

CAPUT XI.

1. ADam Dei filius, à quo non genitus, ſed factus eſt, matrémque cæterùm ſortitus ſolum Damaſcenum, certum nobis porrigit argumentum, nos, ſuos filios, originem ab eodem derivare principio. Natales etiamnum omnes ſortimur æquales, eodem modo primam lucem aſpiciendo, vitalémque auram ſpirando. Singuli ſiquidem maternâ ab alvo ignorantiam, peccatum, imbecillitatem, lachrymas, nuditatémque reportamus. At illius gremii cimmerias, animarum carcerem eluctatos divina Providentia arcano prorſus conſilio, illique duntaxat noto, fulguranti purpura vult involutos, alios obſitos paleâ, hunc ſceptro, illum ligoni deſtinat, unum urbibus moderando, civitates temperando, curandis provinciis, alterum exigendis pabulatum gregibus, unum deliciis, alterum ſudori, unde vitæ ſubſidia derivet: *In ſudore vultus tui veſceris pane.* Hìc ergo, Plebeii, inflexâ cervice adorantes tam alta, tam profunda myſteria, immortales Numinis abſolutæ numeris omnibus diſpoſitioni grates rependitote. Pannoſi ne conqueratis vices veſtras novercantiſque fortunæ ludibria. Divina miſericordia quantò minùs in vobis terrena locavit ſolatia, tantò magis *Strom.6* cœleſtium chariſmatum prodigam ſeſe denudat. In pauperculos quadrat quod Clemens Alexandrinus monumentis conſignavit de quibuſdam montibus incantatis, ad quorum ingreſſum obſtrepebat armatorum murmur, prope conflictus inſtituebatur, ſuper edita juga triumphales cantus audiebantur. Coloni, cerdones, Mechanici, fœx populi, cives paupertini, umbratiles naſcuntur flendo, præludentes domeſtico certamini calamitatum, unde amaro

totius

totius vitæ curriculo vexabuntur. En denique mortis furibundus conflictus! At protinus in cœlorum ſublimibus reſonant victoriæ jubila, dulces amaræ tribulationis fructus. Igitur triumphate veſtro in turbido ſtatu, qui ſerenitatem nubium expertem mox pariet.

2. Oneroſum accidit malleis ſubjacere, oppreſſum ſuper egeſtatis incudem. Hanc attamen acerbitatem potenter dulcorabit meditatio, te mox in libertatem aſſerendum, quoniam mors appropinquat, ac imminet tacito pede. Cœlum clamat, *ſuccidite arborem*: Lethùmque juſſa expleturum, alas expandit, vibrat volatum adjectâ ſecuri, *in eo paravit vaſa mortis*: Quidquid expoſui, pro vobis operatur, Narciſſi agricolæ. Quæ ſecuris veſtris manibus callum obduxit, truncum quoque vitæ truncabit, cùm apprimè robuſtum apparet. Hinc inſtantem, propinquámque mortem reducite ad calculos. Meus enim Agellius legit ex Græco: *paravit ſecurim mortis*. Quæ verba vobis incutiant formidinem, excutiant veſtris manibus ligonem, ſecurim, ac falcem, quæ tractatis. Horrendum quid homini mors eſt, animo ſi tractetur. Non Regibus parcit, non diadematibus, non ſceptris. Quì proinde, crudelis manibus elabentur agreſtes, quì violentiam eludent, eluctabuntur? An ignoratis, vinitorem in uberi vindemiâ uvam conterentem, præ gaudio, voluptatéque canere? Talem omnino ſe mors exhibebit, ſuffragante Jeremia. Exultat illa calcando in thalamis ruſticos, exultánſque modulatur: *Super te celeuſma cantabitur.* Quoniam de Primatibus, Plebeiſque, de ſucco, fœceque mortalium indiſcriminatim triumphat; Quis (inquam) ab illius ſecuri ſecurum ſe meritò jactet? Hinc Paſtinatores Narciſſi, veſtrâ ſorte contenti, detrectate mollibus delicatorum culcitris invidere, neque veſtros rapiant obtutus auro radiantes, baccatique tori, thronique pretioſi; minuſque in votis ſit, ligones cum ſceptris commutare: Regio ſiquidem culmini præcipitium accumbit, ac lethum accelerat. Mortis horrore impotens animus ſupercilium demittere, nec non exuere compellitur; tùque ſarritor, ampullaberis?

3. Hoc veritati conſonare, deprehendere licet in titulo crucis Chriſti. Inquit Divus Matthæus: *Poſuerunt cauſam ipſius mortis ſcriptam.* Quæ verò fuit fatalis hæc cauſſa? *Rex Judæorum.* Ipſiſſi-

Ipſiſſimus Chriſtus in fugam effudit ſe, ſtatim atque ſe coronandum agnovit, Regibúſque adſcribendum; Nam tunc temporis mortem reſpuebat. Cùm autem præfixum tempus advenit, extemplo amplexus eſt illam. Veſtras aures inclinate Divo Bernardo: *Sanè venturas aliquando turbas, ut raperent, & eum Regem facerent, fugiens legitur declináſſe. Nunc verò etiam non quæſitus adfuit, ut tanquam Rex Iſraël ſuſciperetur, & prædicaretur ab eis: quin etiam in hac ipſa præconia eorum animos excitavit. Et hæc quidem præparatio ad paſſionem fuit.* Igitur elucefcit, vel Reges mortis Imperio obtemperare, in quorum obſequium Medicorum turba vigilat, neque pharmaca deſunt. Ergo & vos brevi fato concedetis; jacebitiſque ſub terrâ, quam excoluiſtis. Si ad prædium me confero, veſtræ fidei, curæque concreditum, paſtinatam vitem deprehendo, putatos palmites, exquiſitaque ſolertia populo maritatam, quò ſtato tempore uberem miniſtret vindemiam. Æquè ſedulam navate operam animæ vineæ, ut tandem infirmitatum, lethique calcato torculari, copioſum reddat meritorum muſtum: Quæ cuncta fluent fonte cogitationis lethi. Homo, penes Davidem, arboris ſimilis habetur: *Erit tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum.* Hinc cœcus ille, cui Chriſtus lumen reſtituit, ac impertitus eſt, exclamavit: *Video homines, velut arbores ambulantes.* Proinde in Divo Matthæo legere eſt; *à fructibus eorum cognoſcetis eos.* Et alibi, *facite fructus dignos pœnitentiæ.* Quid autem inſtituendum, fructuoſa ut hæc arbor evadat? Circa radicem ſolum impinguandum venit. Modum edocet Virgilius in Georgicis:

Ser. 3. in Ra. Pal.

l. 1. *Effœtos cinerem immundum jactare per agros.*

l. 317. c. 9. Plinius itidem ait: *Nuper repertum, oleas gaudere maximè, cinere è calcariis fornacibus.* Ex diametro aſſerit Plato: *Homo eſt arbor inverſa*: Cujus capilli ſunt pro radicibus. Veſtrum igitur caput cinere lethi conſpergite: Immo cùm capilli noſcantur cogitationum ſymbolum, cogitationes veſtræ colliment ad tumulum, eò tendant, unde derivatis originem, ab humo, humandóſque vos ex-

in Gen. c. 3. penditote; ſicque virtutis fructus producetis, quoniam *arbores ſumus*

mus in agro Dominico conſtituti: Effatur Fulgentius, affulgens cœcorum mortalium mentibus. Abſint vota mutandæ ſortis, ut ut quæ vobis contigit, auſteritate, rigoréque peccare videatur. Vobis in cibum ſufficiant herbæ, quas veſtris excoluiſtis manibus; quandoquidem Adæ, Creatoris primigenio, totiúſque mundi Domino, ſat fuerit: *Felici homini tenuis ille victus ſufficienter extitit*, affirmat Rupertus. Tenui victui non deerit panis fruſtulum, quod ſufficiat; quippe cùm Altiſſimus identidem in egenorum hæreat contubernio, meminiſſe juvabit, quòd ſit *Deus Sadai ſufficiens.* Inſuper ad quid tam largus apparatus pro modico itinere? Ad quid tot penus eſculentis, cupediiſque redundantes? Unus duntaxat panis ſat ſuperque fuerit tam brevi viæ; cùm inſuper quàm plurimi nec unâ micâ guſtatâ, ſed modicis lactis ſtillis, præfixam attigerint metam. Lethum quà certum, quà præpes occurrit, præpediri neſcium.

4. Vos ruſtici, erumpente luce, diluculo herbas rore conſperſas offenditis. En veſtræ vitæ typus, *quaſi ros manè per tranſiens*: Protinus evaneſcit. Roris ad inſtar per artus ſudor effunditur, quo in ictu oculi evaneſcente, vietus, defloccatùſque fit homo, ac perit. Non quercûs naturam aſſumpſit annoſæ, nec incorruptionis munere lætatur, quemadmodum arbor, quæ ex defuncti Adæ labiis emergebat. Coloni ſciatis, nunquam talia producturam portenta, veſtri cultûs peritiam. Si quem libido ſubit hauriendæ plenioris notitiæ, in narrationis teſtimonium, Pinedæ paginas non gravetur evolvere *de rebus Salomonis. l. 15. cap. 14.* Adam, in cujus flagellum, deliciarum paradiſo ſubrogatus eſt aſperitatum infernus, graviſſimam ſibi ſarcinam impoſuit, atque bajulavit, quoniam colonus effectus, ubi licebat vitæ fructus colligere, Miniſterio brachium impendit, inflectens famulatum jucunditatis in inſtrumentum mœroris. Tandem ſupremæ neceſſitati, ex admiſſi multa, propinquus habebatur, poſt nongentos longævitatis annos. Hac evolutâ periodo, prolixáque catenâ, jam effœtus, jam languidus, jam occiduus, Seth imperat, deſcenderet in vallem Ebron, inſiſtendóque veſtigiis Adæ, ac Evæ protoplaſtorum, quæ nunquam occupaverat herba, rectà pergeret ad paradiſum terreſtrem, à cuſtode Cherubim non nihil olei miſericordiæ poſcens, quod inauſ-

picato delinquenti Numen ſpopondit, quia extorris fuerat pronunciatus. Seth illuc pervenit, Cherubim haud obſtante, quin amœniſſimum locum, voluptariumque ſpectaret. In umbilico inclytum Fontem aſpexit, quatuor in eximiæ magnitudinis flumina ſectum. Inſuper intuebatur proceram, ſpatioſamque arborem, frondibus exuberantem, at foliis denudatam, cortice viduam. Spectator lachrymarum rore madidus ſpectabatur; ſibi quippe firmiter perſuadebat, fatalem plantam præcipitis in parente lapsûs agnoſci Fontem. Tunc Spiritus ſupernus efflavit; aſpicere ne ceſſes, ſpectandi filum noli interrumpere; Eandémque arborem deprehendit adeò ſublimem, ac editam, uti cœlo ramos inſerere videretur, cujus apice inſidebat infans lachrymas vagitibus commiſcens, atque confundens. Seth in infante labem originalem agnovit poſteritatis totius; defixiſque præ verecundiâ humi luminibus, rurſus curvatos ramos deprehendit uſque ad imum, ubi Abelis animam adumbratam ſibi imaginabatur. Hoc ſpectato Cherubim declaravit illi, Verbum divinum ab Infante denotari: Plorabat ob Adæ reatum, quem attamen opportunè demoliturus erat, ac deſtructurus, quod promiſſum miſericordiæ oleum agnoſcebatur. Deinde Cherubim cuſtos Seth tria ſeminis grana porrexit, decerpta ex arbore vetita, mandans, ut illa ſubderet Adæ linguæ, poſt ejus obitum, qui contingeret triduo ab illius reditu. Seth ad unguem executioni cuncta mandavit; At vix humatus eſt Adam, cùm ſemina emiſêre trinum germen, cedri, Patris ſymboli, cupreſſûs, quæ filii ſymbolum, palmæ, Spiritus Sancti ſymboli. Hæ autem arbores, pullulantes in Adæ ore, durârunt ad uſque Noë ſæculum. Jericho filius Noë, curioſitate percitus ſpectandi Adæ ſepulchri, deſcendit in vallem Ebron, portentùmque obſtupeſcens, illas evulſit, in deſerto plantavit, ubi ſic coivêre, ac commiſerunt ſe ſe, ut unicum duntaxat truncum formârint, ramis attamen, foliiſque diſtinctis. Ab hac arbore Archangelus Michaël lignum mutuavit, Moyſi conceſſum in deſerto, quo dulcaret amariſſimas aquas: Quòdque Moyſes plantavit in monte Thabor. David cogens neceſſaria, gazaſque, devolvendas in Salomonem, conſtruendo Templo, curavit truncari tam prodigioſam arborem. Fabri lignarii nitebantur in caſſum; ſiquidem ad determinatam

men-

menſuram opus promoventes, lignum explanando non erant. David è veſtigio ad precum præſidium confugit; Cui cœlitus revelatum eſt, ex illo ligno quondam Redemptori crucem formandam venire. Hinc Regius Vates, erectâ marmoreâ baſi, medio in templo illud erexit inſigni veneratione, cæremonias adjiciens, ac thura. Regina Sabæ templum ingreſſa, jam Sibylla credita, lignum expendit, Salomonem affando: *Quod vides lignum, multorum mirabilium inſtrumentum erit. Quorſum igitur, aut qua ratione hoc loco à te habetur?* Cui Salomon: *Pater meus David multò me ſapientior, & æquior hujus ligni æſtimator, hoc loco ſtatuendum duxit.* Apicem imponit Pineda: *Ergo multis ultro citróque ſermonibus inter Reginam, & Salomonem de mirabili illo ligno conſertis; conſtanter tandem affirmarunt, fore ut illi aliquando Dei filius crucifigendus addiceretur.* Salomon vehementer ex ultro citróque conſertis colloquiis afflictus languebat, quòd intelligeret, fore, ut ſuus populus in Numen committeret, Deicidium committens. Anſam igitur ſubtracturus, lignum injecit puteo, cujus aqua piſcinam conſtituit, omni ægritudinum generi proficuam, ac medentem (erat enim præſentiſſimum remedium): Illam autem aquam quotannis moturus, Divus Michaël adveniebat. Tandem ex puteo lignum erutum fuit, aſcendentibuſque ad templum, loco pontis deſervivit. Hinc patet Myſterium, mediâ Chriſti cruce, Mortales in cœlum tranſire, redemptioniſque inſtrumentum extitiſſe os illud, quod malum comedendo, malum intulit mundo. Probè fateor, hanc narrationem plurimarum difficultatum involvi velo; nil attamen pietati, Religionique repugnans circumſcribit. Immo, cùm incompertum ſit, an ex cedro, palmavé Crux conſtet; ſatius crediderim, compoſitum exſurgere venerandum ex tribus adductis ſeminibus. At ſua ſit veritati ſedes. Cardo fuerit argumenti, Narciſſi Coloni, talià portenta, hujus farinæ miracula producere nequire ſolertiam veſtram, quemadmodum ab ore defuncti naſcuntur, ac proficiſcuntur.

5. Candida cyanus, ſylveſter, ac ſimplex, nemorum habitator mihi fuerit, atque camporum; quæ natalium ingenuitati morum ſinceritatem adjiciat, unde candidam ſe probat in ſpecie. Hæc cichorei inſerta germini, pellacis ſæculi ſymbolum exhibet, ſimplicita-

plicitate in duplicitatem degenerante. Cyanus autem ſemper erit talis; quoad colorem mutatur, germen autem utriuſque plantæ particeps haut evadit. Vobis igitur imponitis egregiè, coloni, olitores, admiranda efficere cenſentes, cùm ab uno duntaxat extincti Adami ore prodigia pullulent, coeunte in uno trunco plantarum trino. Ad tumulum, lethum expendendo, fœdera nectunt caro, Spiritus, mundus, cœlum. Ne deſumatis exemplum à palmis, à cedris, à cupreſſi, à quercubus, ab arbore mortui Adæ, multis ſæculis incorruptionem neſcientibus. Sicut Adam intra foveam corrumpimur, reſolvimur in putredinem. Roſa mali cortici inſerta, eodem florebit tempore, quo malum fructificat. Veſtro vos cordi lethi cogitationem inſerite; ſtatim virtutis actus florebunt, cùm mortis recordatio ſit immortalis planta, fœcunda talibus effectibus.

6. Neceſſum duco, Hortulani Narciſſi, expendatis, quòd, ſicut momento tot florum caterva flacceſcit, ac perit, æquè vos ſubibitis vitæ naufragium poſt anguſtam temporis periodum, veſtris cum floribus exſiccandi. Non neſcio veſtram ingenioſam ſolertiam, duret ut flos. Antequam folia dilatet, roſa legatur. In viridi claudatur arundine, circa medium ſecta, quæ tamen adhuc ſolo adhæreat, plantata. Arundo, ubi ſciſſura patet, ſuaviter chartâ ligetur, ut commodè, commodúmque aër exhalare queat. 1. *de vos.* Teſte Ruellio, roſa prolixiùs nativum vigorem, venuſtatémque cuſtodiet. Acuantur autem ſubtiliſſima ingenia, prorogandæ ad unum momentum vivacitati ſuæ ultra divinum decretum: Id omnino præſtando non erunt. Tam vos, quàm Monarchæ lethi legi ſubjacetis. Utrumque rapit, inopem ac divitem. En Silos ſuffragia;

Præterit haut vulgum mors dedignata minutum,
Præterit haut Plebeja veſcitur illa dape.
Æqua falce ſecat capita infima, & ardua: Fure
A tanto non eſt, credite, tutus inops.

Omnes mors expectat, *generatio præterit, generatio advenit, terra autem in æternum ſtat.* Cur ſolum non nutat, non vacillat, ſed

ſtat

ſtat inconcuſſum ? *Terra autem in æternum ſtat, ut ſepulchrum omnium viventium*; Inquit Divus Hieronymus. Unus Deus mortem neſcit, cætera ſepulchrum manet patens. Hinc Tragicus Sophocles;

Uni Deo nunquam ſenectus atra, nec mors imminet,
Sed alia miſcet domitrix ætas omnia.

Quod empyreum continet, mortem haut horret, cœlitibus illa non imminet.

7. Quod empyrei mentionem fecerimus, abs re minimè fuerit de illo prolixiùs verba facere, nihil recedendo à floribus, hortiſque. Granadilla veſtris vernat in hortis, è Mexicanis longè diſterminatis finibus accita, floridum hieroglyphicum eorum, quæ nobis in empyreo contingunt. Hiulco florum ore ſuſpirata, ſub terra cum cœlo certat, ſuo in ſinu admiranda recondens. Ubi quippe cœlum ob Creatoris interitum, circa meridiem Solis radios, ac jubar cimmeriis velavit, eclipſiſque funeſtavit horrore; æquo prodigio ſolum, rapto in admirationem alterius Hemiſphærii mundo, in paſſionis flore flagellorum, atque dolorum Ver exhibuit. Tellus novus Archimedes conſtituta, exiguo in floris gyro congeſſit, ceu quadam epitoma, cœlos, ſydera, cruciatus, atque tormenta, unde exanimatus corruit cœli, ſtellarùmque moderator. Hoc floreum, ac ſuave miraculum, in quo ipſi vernant, ac rident acerbiſſimi dolores, ſævi laniatûs cruenta flagra repræſentat; cujus extima per ambitum folia, in aculeos extenuata, ſpineæ coronæ memoriam molliter compungentia, ream pro nobis innocentiam in foliis albeſcere declarant. Nec una crucis deſideratur effigies, licet extremam ſævitiam floris indoles mitiſſima exhibere erubeſcat. Flos iſte, dum ridet Aprilis, plorare conſuevit, inter vernantes Maij pompas, atratus apparet. In vitam erumpens, mortis explicat inſignia; cui Flora langueſcens, lachrymarum præda, roris planctu parentat. At quò ampliùs cruentata folia dilatat, eò effuſiùs in riſum ſolvitur pratum. Flos iſte, olim Mexicanis in hortis crudeliſſima Calvariæ inſtrumenta figurans, noſtratibus hortis ornamentum conciliat, gemmæ, deliciæque

corrupti præſentis ſæculi ſuſpiciuntur, ac commendantur. Nunc ad empyreum revertamur. Meam vobis obſtringo fidem ac oppignoro ſic futurum in corpore beato, de quo dicitur: *refloruit caro mea.* Horridum in hoc mundo ſpectaculum extitêre Martyrum vulnera, at in cœli theatro jucunditatem voluptati mixtam creabunt. Veſtris manibus aſſiduus ligonum labor callum obduxit, pedem ſpinæ afflixerunt, ora Solis radii excoquêre, pruinis in hiſpidam degeneravit cæſaries, afflictionibus ſqualent labia. Verùm enim verò, in empyrei amœnis aliàm induetis faciem, affirmante Auguſtino: *Non enim deformitas in eis, ſed dignitas erit, & quædam, quamvis in corpore, non corporis, ſed virtutis pulchritudo fulgebit.* Vultûs deformitas ex laboribus, redundabit in cœlo in pulchritudinem, quæ fulgebit undique florida. Verùm antequam illuc detur eniti, nec non graſſari, ac eluctari, defungendi neceſſitas ineluctabilis urget. Delectent empyrei præmia, at in ſæculi emporio laborum pretio, ſupernam comparate gloriam; quos momentaneos propemodum offendetis, magiſque fluxos, quàm granadillam, vobis excultam; ideóque pondus diei & æſtus, vobis pariet æternæ gloriæ pondus.

8. Cuilibet ſuo in Miniſterio mors imminet. Quemlibet ars propria delectat. Hinc conferendi ultro, citróque colloquii patet campus, Narciſſi olitores. Gelſiminum vobis proinde porrigam, tam mundi vanitatis, quàm humanæ vitæ ſymbolum. Geſminum ab animæ ſuaviſſimæ prodiga expiratione exanimato ſimile, Floræ delicium appello; cujus halitus perquam gratus ipſum aërem pretioſum efficit. Breviorem quidem tubulum protendit, at longè, latéque nativam extendit fragrantiam, ac auram demulcet; tunc apprimè odorum, ſpecioſùmque, quum hiantibus foliis halat, ac patet, quod, inclinante, inumbrantéque veſperâ, contingere deprehendimus. Quiſquis perpetim mortem ob mentis oculos habet, animam virtutis ornatam monilibus habet, odorifer pietate ſuſpicitur. Hyacinthorum illa ſpecies, de qua Plinius teſtatum reliquit: *Ferè naſcitur in tumulis, quoniam fortiùs durat*: Edo-
l. 11. c. 10. cet, Mortales ad lethi recordationem ſuas dirigentes cogitationes vegetiores evadere, quò adamantino conſtantiæ clypeo, ut magnanimitate pectus decet armatum, ictus inſultantis fortunæ re-

tun-

tundantur, & retorqueantur: Ut unum ſapiant cœlum, dum terrena deſipiunt. Quippe per lethi memoriam, ancillante, obſtetricantéque mortis contemplatione, ad vitam pervenitur.

9. Amaranthum, ambretam, anemonen, hemerocallam, cythiſum, tuberoſam, jonquillam, ſuſianam, iridem, lilium, caltham, ranunculum, flammeam, pœoniam, phlogem, tulipam florum chamæleontem, heliotropium eorundem gigantem, cum rota odoræ familiæ regina; Armenicum malum, perticum duracinum, citreum, palmam, ficum, dactylum, Caſum, limonium malum, meſpilum, olivam, malum perſicum, prunum, pirum falernum, atque ſuperbum, malum Adamium, cum cæteris fructiferis arboribus veſtrâ ſolertiâ, veſtroque labore plantatis, ſudore irrigatis, ocyus peribunt, marceſcent, unà cum florum amœnitate, in areolas digeſtorum ingenio veſtro, myrtòque, ſepiente. Vos pariter exſiccabimini, decidetiſque: *Exſiccatum eſt fœnum, & cecidit flos*, plorat Iſaias. Cui acquieſcit Jobus, hominis vanitatem expen- *cap. 40.*
dens: *Quaſi flos egreditur, & conteritur.* Ingeminare liceat; vel *cap. 14.*
ipſa roſa florum regina ſalvari neſcit, quoniam

Una dies aperit, conficit una dies.

Homini mors certa eſt. Florum univerſitas ab humo ſuam trahit originem. Adultâ æſtate flores vertuntur in fructus, hique Solis præfervidi beneficio coquuntur. Ut floreat, ut fructificet anima noſtra, accerſendus Numinis amor, quo calore inflammati, bonis operibus inſudemus, ac mortem præſtolèmur intrepidi, duris in hac vita gaudendo.

10. Ubi regnat pauperies, ibi ſedem erexit, ſolium fixit probitas. Numen noſtram mendicitatem remuneraturum, perſpecto noſtro corpore cruciatuum lanienâ lancinato, lethum exantlatarum ærumnarum ſolatium immittit. Procul hinc mentis fluctuatio, unde in repugnantia raptamur; apage diſſipata cogitatio, quæ non facis ad noſtrum ſcopum! At reſarciendis, reædificandis, renovandiſque ædibus vetuſtis, neceſſum eſt, habitatores recedant. Tunc Architectus, tunc ſuperficiarius accedit, manum admo-

vens,

vens. Ut veſtrum corpus reformet Altiſſimus, vult abſentem animam. Divus Chryſoſtomus in illud Divi Pauli, *nolite ignorare fratres de dormientibus*; In hunc modum ratiocinatur: *Deus corpus noſtrum demolitur, & animum in eo habitantem, ut ex domo aliqua, ejicit, ut cùm aliam magnificentiore, & clariore opere re ædificaverit, illi majori cum gloria introducat.* En Præmium, en cauſſa lætitiæ appropinquante morte! Lethum horruerint divitiis affluentes, qui in hoc ſæculo congruâ mercede donati noſcuntur; nec non immemores ſuperni largitoris, uni corpori ſtudent, de anima nihil ſoliciti. *Mors eſt portus malorum, perfugium ærumnoſæ vitæ, effugium miſeriarum*; Inquit Tullius in Tuſculanis. Proinde vobis in pretio habenda eſt. Hinc Moyſes converſus ad populum Iſraël, exclamavit: *Teſtem invoco cœlum, & terram, quòd propoſuerim vitam, & bonum*: Legit Græcus, atque Chaldæus; *Vitam, & mortem*: Ceu idem ſit *bonum, & mortem.* Fratres Cleobis, ac Biton matrem ſupra laureatam quadrigam alacriter vexêre uſque ad Junonis, equorum munere fungentes, vicémque ſubeuntes. Genitrix autem in tam officioſi præmium obſequii, Deæ ſupplicavit, ſuis pignoribus, quod maximè proficuum illis eſſet, indulgere dignaretur: Repentinóque correpta fato jacuêre, quòd mortalibus cumulatior fauſtitas obvenire nequeat, ex amici cœli munificentia, quàm protinus ex ſæculi calamitatibus eripi. Ita Demoſthenes, Cicero, Plutarchus unanimibus teſtantur ſuffragiis. Hinc Salomon, *melior eſt mors, quàm vita amara.* Cui reſpondet Sophoclis oraculum: *Multò ſatius eſt mori, quàm vitam agere* l. 5. in Luc. *miſeram.* Divus Ambroſius autem: *Mors non eſt metuenda fortibus, eſt deſideranda ſapientibus, & miſeris expetenda.* Hinc Thracibus familiare, ſolemnéque extitit, penes Valerium Maximum, *celebrare læta funera, luctuoſa natalitia.* Appoſitè proinde exclamabat Euripides; *jam ſatis, ô vita duârſti: Deſine tandem.*

11. Mors terribilis, amariſſima, doloroſáque contingit, ſimulque gravis, niſi ejus ſpectentur effectus. Ipſiſſimo Chriſto timorem incuſſit, excuſſit ſanguinis guttas, ſupra quibus Ægeſippus perbellè; *Guttæ ſanguinis, corruentes in terram, verſæ ſunt in flores, qui fuerunt roſa candida, roſa rubea, & roſa violacea; & Angelus fecit de illis coronam, quam poſuit ſuper caput JEſu & JEſus confortatus eſt.*

Rurſus

Rurſus ex eodem ſanguine arbor emerſit, juxta teſtimonium memorati Apoſtolorum Diſcipuli; cujus frondibus legebatur inſcriptum: *O mors, quàm amara eſt memoria tua!* Si veſtris in hortis ſimiles vernarent roſæ, quis vobis fortunatior? Saltem contendite, laborate pullulent in veſtris cordibus, ſeriæque cogitationis foliis legatur inſertum; *O Mors, quàm amara eſt memoria tua!* Mallem per oculorum canales lachrymis irrigaretis lethi memoriam, quam flores, plantàſque tubulis. Quo vos dignantur honore ſuprema mundi Capita, olitores, dum Reginæ lectos flores pectori admovere non dubitant? Vos itidem illos in pectore geſtetis, ſingulis momentis humanæ vitæ fragilitatem, in eorundem vanitate perpendentes. Barbaræ Bojariæ Principi planta quædam, ſibi exculta, mox arefacta, propinquam mortem prænunciavit. Omnes flores, herbæ ſingulæ, queis invigilat induſtria veſtra, prodromos agunt veſtræ mortalitatis, citra quodcunque ætatis diſcrimen, ac Argumentum. Mors, quæ in Dei manu, jubetur decretis ipſius judicii, quod abyſſus multa. Homo in ſacris Paginis fructus audit (audite, Narciſſi, dicentem, audite dicenti, qui pomis præeſtis) *nativitatis fructus paſcunt*: Ita in Sapientia. *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam*: Sic in Pſalmis. Ideòque quidam fructus citiùs matureſcunt ut pruna, ac fraga; alii ſeriùs, quemadmodum ficus, cydonia; alii nunquam, ſed vi avulſi à ramis, in hyeme ſervantur, cujuſmodi reperiuntur quædam pira, ac poma. En cur mors variis temporibus ſuum exerceat imperium! quidam enim in juventute, quidam in ſenectute decedunt; Quoniam hi matureſcunt, quàmprimum acceſſit divini calor amoris, illi, præ vitio radicato, decoqui ſe ſe reluctantur. Hinc expletur tritum illud, *Principiis obſta, ſerò Medicina paratur.*

Drexel Prod. c. 3.

12. Non invitus meis aſſertis Divus Gregorius adſtipulatur: *Cogitemus unde oriendo cœpit* (impietas) *quæ ad tantam molem creſcendo pervenit. Invenimus procul dubio ejus originem parviſſimum ſemen.* Dum vitium germinat ceu tenerum virgultum, eradicetur: Adultum etenim ſcindi contumax fuerit. Ex minutiſſimo ſemine ulmus aſſurgit, quæ & fulmina derideat, omnémque cœli injuriam. Unde verò tantum robur, viſque tanta, ut ex pygmæo in gigantem migrârit? *Invenimus procul dubio ejus originem parviſſimum*

Hom. 26. in Evan.

ſemen. Caſſiodorus autem, poſtergatâ arborum ſimilitudine, Medici amplectitur; *More Medicorum ſævioribus morbis accelerata remedia tribuamus: Quando & hoc pietatis genus eſt, coërcere infantiam criminis, ne juveneſcat augmentis.* Seneca aliquando dicit, *vulnerum ſanitas facilis eſt, dum à ſanguine recentia ſunt. Vehementiùs contra inveterata pugnandum.* Recentia non recrudeſcunt, inveterata vehementiùs reſiſtunt. Ergo criminis cicuretur infantia, & frœnum injiciatur, quod minimè mordeat: Contra adulta ſiquidem vehementiùs pugnandum. Rurſus inquit Seneca: *Aſpice Rhenum, aſpice Euphratem, omnes denique inclytos. Quid ſunt, ſi illos illic, unde effluunt, æſtimes? Quidquid eſt, quo timentur, quo nominantur, in proceſſu paraverunt.* Judas æſtuabat auri ſiti; poſtea poſſeſſor evaſit: deinde eò avidita is proceſſit, ut, quò largiùs eo potiretur, Chriſtum prodiderit, æt rnumque Verbum interemerit. Hoc igitur exemplum nos admonet, poſteritatem erudit, mutuatâ à Caſſiodoro ſententiâ: *Admonet nos formarum cura præcipua, ut, quæ poſſunt noxiè creſcere, debeamus celeriùs amputare.* Modica ſi æſtimentur, nihil omnino videntur, adulta pernicioſa quæque parant, machinantur, adornant, moliuntur. Utinam ſic ſe geſſiſſet David in Abſalom, aut Abſalom erga ſemet ipſum, effatur O ſaureum. Ad parricidium raptatur hic mortalium facilè flagitioſiſſimus; dum adulta ſuâ iniquitate animatus, quò ſuam vertat perfidiam, ubi deſæviat, ignorat. In majorum capita cæde non dubitat animadvertere. Immortalis Deus! Quid non auderet, quid non tentaret adverſus domeſticos, ac familiares, quum patri non parcat; quid, inquam, non conflaret in peregrinos, inviſus domeſticis, chariſſimiſque? Parenti necem machinatur. Palluit purpura, ad ſubditum ſe purpurâ geſtientem involvere. Sceleſte Abſalom! Prophetarum Principem è medio ſatagis tollendi, quò minus tua ſcelera prædicentur. Quì mitiſſima ingenui juvenis indoles efferari potuit, quì ſuaviſſimum illud ingenium in viperam degenerare, mellàque in fella? En Chryſoſtomi declarationem, *Semper enim ſcelera, dum non reſecantur, increſcunt. Dum enim in Abſalom fratris occiſi facinus non vindicatur, in parricidium patris reciduum facinus iteratur.* In veſtra ipſorum capita derivatur culpa, crimen redundat, animarum curatores, atque paſtores; dum pullulantia commiſſi vobis gregis errata reſecando ſuper-

l. 3. de Gen.

Ser. 3. de Abſa.

ſuperſedentes, ut iterentur, iter aperitis. Principum interpello faſtigia, Rempublicam temperantes, Provincias curantes, etiam etiamque hortor, ſpartam, quam nacti eſtis, demandatàmque provinciam ornetis, pro virium facultate, adhibitâ contentione, ritè, probèque veſtro fungentes munere. Vobis onus incumbit dirigendarum ovium in viâ ſalutis æternæ. Cæterùm exacerbatæ Divinitatis dexteram, in veſtrum excidium armabitis, cujus fulminibus nil impervium.

13. In hunc ſcopum præſentiſſimum exhibeo remedium, crebram lethi recordationem. Ruminator, agricola Narciſſe, Cain, colonûm primum in mundo, naturæ tributum ſolviſſe, quem æmulati ſunt poſteri agricolæ, terram excolentes, in terram converſi. Solo varia ſemina credidere, ſepultàque rurſus ſoli reviviſcebant. Mortis ad inſtar metebant triticum, hordeum, avenam, fœnum: Ac denuo grana ſub terrâ condentes, rurſus multiplicata, & flaveſcentia colligebant. At fato conceſſerunt coloni, nec ampliùs reſurgunt, reſurrecturi in noviſſimo judicio ſolummodo, uti rationem deponant, num vitiorum urticas eradicaverint ex propriis cordibus, virtutes plantârint: Quæ neceſſitas neotericos itidem agricolas manet.

14. Ut ut agricultura ſub uno eodemque nomine veniat, attamen Vos Miniſterium illud, ſpectatis diverſis ſpeciebus, multifariam dividere minimè dubitatis. Sic à vineâ appellatur vinitor, agricola grana ſerit, alius præeſt pomariis, fructibùſque, oleribus olitor, floribus hortulanus. Omnes laborant, at diverſas ob cauſas; omnes ſudant nutriendo corpori; unus florum cuſtos aut alit, aut alitur vanitate. Quid pertinax ſtudium, labor improbus, evigilata ſolertia circa florum culturam, aut in olfactus, aut in oculorum ſolatium, delicias, atque lenocinium, certè in capillitii, pectoriſque ornatum? Inſuper coguntur ignis violentiâ intra cryſtallina receptacula, lachrymatam abire in fragrantiam, quò novum non deſit, atque deſideretur martyrii genus, eò crudelius, quò protractius. Suapte naturâ, ſpontéque cepæ proveniunt, olim in Ægypto ſupra cœleſtem mannam Hebræis expetitæ; quæ ſenſûs appetitum adumbrant. Has vos artis beneficio juvatis, his adeſtis; utque palati irritamenta ſuppeditetis, cupediis delicatas miniſtratis ſup-

petias, unde acutus ſitis ardor in falernum ſpumet, ac tandem deſpumet. Ita delicias arte veſtrâ guſtui ſtruentes, ſanitatem demoliri maturatis, atque contenditis; A quibus ſibi cavendum eſſe, Divus Leo Papa vehementiùs hortatur (Salvatoris oraculum ingeminans, ad Apoſtolos, qui veſtro de grege reperiebantur) *Cavete*, inquit, *ne fortè graventur corda veſtra crapulâ, & ebrietate, & cogitationibus ſæcularibus. Quod utique præceptum, dilectiſſimi ad nos ſpecialiùs pertinere cognoſcimus, quibus denunciatus dies, etiamſi eſt occultus, non dubitatur eſſe vicinus.* Hîc non ſolùm frugalitas præcipitur, temperantia ſuadetur, quæ proprium decet ſtatum, eſtque communis humanitati; ſed admonemur de repentino mortis aſſultu. Denunciatus ille dies, licet occultus, non dubitatur eſſe vicinus. In hyeme raptim defluunt aquæ canas per rupes. Multi evoluti ſunt anni; quilibet ſuam periodum, ac propius ab ultimo ſtare cognoſcitur. Quis contra torrentem nitatur? En lethi prototypum; ſed & torrente ſe velociùs præcipitat: *Quid eſt novi hominem mori, cujus tota vita nihil aliud eſt, quàm ad mortem iter*: exclamat Seneca.

Ser. 8. de Dei vehement.

15. Ne muſſitetis hortamentum, hortulani Narciſſi. Super oppreſſas plorâſtis herbas inundantibus aquis; Proceras arbores animoſis everſas curis alii defleant, fulminibùſque percuſſas. Laurum illæſam à fulmine nonnulli ſuſtinent, nec non bryoniam. Teſtimonium adſtruet auguſtum, Auguſti auctoritas; dum illi obnoxium ſe ratus, prætactâ herbâ, quæ ſepibus adjacet, ſecuſque ſemitam provenire lætatur, ac gaudet vulgaribus; arcem, ubi habebat, coronari curavit. At tam laurus, quàm bryonia, licet impervia fulminibus, exſiccantur, rediguntur in nihilum. Nonnulli mortem fulmen appellant, & appoſitè, cùm nos in cinerem migrare compellat. Exſiccantur naturâ coloni, paſtores, bubulci, agaſones, cùm circumpedibus, atque coquis, textoribus, minutæque plebis reſiduo: *Omnes eadem conditio revinxit* (exclamat Seneca) *cui naſci contingit, mori reſtat, intervalliſque diſtinguimur, exitu æquamur.* Nec deſideratur Tibulli ſuffragium:

Mors
Imminet, & tacito clam venit illa pede.

Lethum

Lethum ſe paſſim ubique mortalibus ingerit, quos muniat, atque tutetur, haut ſecus atque gallina pullos, adverſus alienam rapacitatem: *Quoties volui congregare vos, ſicut gallina congregat pullos ſuos.* Abrotoni ſuffitu ſerpentes eliminari, nec non viroſa reptentia, memoriæ proditum eſt. Contemplatio breviſſimæ vitæ veſtræ, quæ ceu fumus ad aërem evaneſcit, valebit retundere virus animi paſſionum. Salvia tam repugnat ſerpentibus, ut illius cinis impoſitus accenſæ lucernæ cubiculum repræſentet, veluti aſpidibus refertum. Sic Albertus Magnus cum Pandectario. Hanc herbam pariter ſerpentibus noxiam, lethalemque contingere, capilliſque nigrorem conciliare, in comperto eſt apud Plinium, Dioſcoridemque. Nunc ad moralitatem, non emunctæ naris Narciſſe. *l. 22. cap. 25.* *Capilli mortem oſtendunt*, affirmat Niſſerius. Nimirum lethi memoriâ, quod atratum agnoſcitur, antidotum præbetur morſibus animi incompoſiti, carniſque veneno vis nocendi adimitur.

16. Sanctitatem Chriſtiani nominis polluit, quiſquis, poſtergati animi cultu, ſe corporis voluptatibus mancipat. Nimium ſeveritatis haut me probavero, diris ſugillans delicatos, queis nulla religio, per ſylveſcentem pietatem, ad deliciarum inanium aucupium evolare; quorum jure merito ſenſatis ſit ſtomachus. In coquos rurſus laxatis inveho habenis, in titillantis ſenſûs protectores excandeſcere placet. Ut altiùs abuſum imbiberint animo, excutient ægrè, etiamſi nitantur; quippe contra inveterata vitia vehementiùs pugnandum, vixque eraditur, quod callum obduxit. Milo lacertoſiſſimus athleta, in Olympico ſtadio ictu nudæ dexteræ proſtratum taurum, citra fatigationem bajulavit. Quippe ab ineunte ætate aſſueſcens geſtando vitulo, in bovem adultum ſine moleſtiâ humeris geſtâſſe perhibetur. Quid conſuetudo valeat, agnoſcite. Nuntium igitur mittatis fluxis, pudeat agglutinari caducis, quò minus avellamini in aliena, comminante cœlo: *Et ſciet omnis caro, quia ego ſum Dominus*: Et alibi, *adducam malum ſuper omnem carnem.* O coqui, ſciatis oportet, tunc carnem coctam offendi, cùm facilè ſeparatur ab oſſibus. Homo cognoſcitur inflammatus Numinis amore, cùm in ſuprema lucta ultro ſe perituris abdicat, ac cœleſtem in patriam adſpirat. Supereſt, uti corde pietati deſponſato, perpendatur, quemadmodum ignis vobis

accenſus, in cinerem reducitur, æquâ lance cunctas voluptates & Mortales ipſos in pulverem eſſe redigendos. Quiſquis hoc executioni mandare maturat, laudum laureolis coronandus venit.

17. Arma validiora ipsâ mortis oblivione, in humanam ſobolem tartara vibrare non agnoſcunt. Cui evincendo ad periochæ præſidium, quæ ſacras Paginas evolventibus occurrit, confugiam:
Luc. 22. 31. *Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret ſicut triticum.* Itaque mente præſumens præſentiſſimam perniciem, efficacitatis ardore *rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Mortales itaque cribrandi veniunt? Omnino. Sicut enim triticum cribratur, excutiatur ut pulvis, ſimiliter orcus ſatagit nativo à pulvere hominem removere, videlicet à mortis recordatione, ſepulchrique ſordibus. Docet ergo
Orat. 2. Divus Baſilius Seleuciæ: *Furtim diabolus demit mortis terrorem, ut legis monumenta deprædetur.* Quod ſi benè vertat impietas, ex voto ſuccedat: *Vadit, & aſſumit ſeptem alios Spiritus nequiores ſe, & ingreſſi inhabitant ibi.* In hoc ergo vertitur viventium ſalus, ut ne morem gerant vanis cogitationibus; è regione, væ illis indulgentibus, ac adhærentibus.

18. Nullus plebeiorum lethum meditari non valet, illorum cuilibet, ſingulis cerdonibus id explendi campus patet ampliſſimus. Fabro lignario in arcis feretrum agnoſcere licet; Faber ferrarius in ferri duritia, in materiei, quam tractat, aſperitate, lethum agnoſcat inflexibile: Ac ſicuti metallum illud, dum calet, emollitur, ac cuditur, ſic amore Dei mortem dulcari. Cangio Magnano ſemel accidit apud Scythas ſolium aſcendere. Foveæ verò recordatio, ſemper cœleſtis aulæ Magnates efficit. Cuilibet datur in ſuo, quem profitetur, ſtatu, ac conditione, ad empyreum eniti. Homo bonus ſartor cœleſtibus inſertus cœtibus, perennè triumphat. Criſpinus, ac Criſpinianus calceis formandis addicti, fulgidiſſima cœli ſydera coruſcant. Quidquid textor inſtituit, ordiendo mortis effigiem invitus exhibet. Etenim quæ manibus tractat, variantur identidem, novam telæ faciem induentem. Sic homo *nunquam in eodem ſtatu permanet.* Rex Ezechias pariter exclamabat: *Præciſa eſt velut à texente vita mea. Dum adhuc ordirer, ſuccidit me, & de mane uſque ad veſperam finies me.* Itaque *vitæ humanæ accinitur perpetuò cantilena, eja, eheu!* Effatur Plutarchus apud Ariſtophanem: Tan-

Tandémque cum morte deſinit, finiſque continget fœnerarius, atque laudabilis, niſi cogitatio illi ſubtrahatur, quoniam ipſiſſimum lethum erudit. David, expoſitâ defungendi neceſſitate, ſubnectit: *Quoniam ſuperveniet manſuetudo, & corripiemur*: Aut, ut alii legunt: *Et erudiemur.* Legit Hebræus, *ſupervenit tonſio, & avolabimus.* Lethum meditantes, ad cœlum avolabimus, quoniam omne lucrum, proſperitas omnis à ſepulchro proficiſcitur. En Oris aureum aurei dictum in Opere imperfecto: *Sicut lana intingitur naturalem habens colorem, ut coloretur purpurâ, aut alicujus coloris accipiat dignitatem; ſic & nos in morte deſcendimus corporales, & reſurgemus ſpirituales.* Hinc Divus Paulus: *Seminatur corpus animale, ſurget ſpirituale.* *Super S. Matth.*

19. Vobis, quàm cæteris, Plebeii Narciſſi, Libitina congruit. Numen, ipſa æquitas, ſuffertim poſt funera veſtram compenſabit egeſtatem. Hìc ſpinæ, ibi roſæ, hìc laboris certamen, ibi triumphi dulcedo. *Ne timueris* (hortatur Propheta) *cùm dives factus fuerit homo, & cùm multiplicata fuerit gloria domus ejus.* Nullum intercedet diſcrimen inter mollibus, ſericis, pretioſiſque involutum, pannoſumque; *ne timueris, quia cùm interierit, non ſumet omnia. Vides viventem* (ratiocinatur Divus Auguſtinus) *cogita morientem.* Mors æquat omnem, niſi quòd ſtrictior ratio potentibus deponenda veniet. Plebeii verò ſupremam diem lætabundi præſtolantur, mortem provocant, cunctatricis ſegnitiam deridMent; cùm nil in mundo relinquet, quod ſubjaceat rapinæ, cujuſque jactura contingat acerba, ac fellea. Sic accidit Gerardo Divi Bernardi fratri, cujus cygneas voces Clarevallenſis adducit: *Vidi exultantem in morte, & inſultantem morti: Ubi eſt, mors, victoria tua? Ubi eſt mors ſtimulus tuus? Jam non ſtimulus, ſed jubilum. Jam cantando moritur homo, & moriendo cantat.* Vos ergo ſimilem ſubituri mortem, mortem haut ſuſpirabitis? Ab illo non abludetis, quoties ſuſque, déque calamitatum ſarcinam bajulabitis, cervicem jugo ærumnarum æquo ſubdentes animo. Corda veſtra Numini conſecrate, quantos quantos deditatis vos Altiſſimo, perpendendo, in ſtabulo primam lucem aſpexiſſe, vobis pauperiorem duxiſſe vitam, in veſtrum ſolatium crucis trunco affixum expirâſſe, mortem, eſto Deus agnoſceretur, non declinaviſſe. Cœlo militate, detur ut reſpirare *Pſ. 94.* *Ser. 26. in Can.*

poſt

poſt exantlatos labores. Hoc opus prolixiùs commendo, ſuſpicio, cætera mihi ſordent. In hunc modum, qui nauci credebamini homines, magni fietis, ac emunctæ naris fulgebitis: dum demorſos ſapitis ungues.

LUSORES *AD* FONTEM.

CAPUT XII.

1. LUſum appellaverim urceum, cujus adminiculo vitia animam amant irrigare, degeneret ut in aridam; aut ſatius immundum tubum, unde erumpant ſordidæ aquæ, ad fœdandum cor, mentem, conſcientiam illorum, qui, pellacis opticæ præſidio ſpectantes, luſum, recreationem, levamen laborum, ſolatium, ac condimentum commendare non verentur; vitiùmque ſub honeſti laxamenti feriarum curarum ſpecie perſonatum, quo otium fallitur magis otioſum, ac ſucciſiva momenta, proponunt. Quondam ad trutinam expendens hos conclamatos meus Joſephus Silos, teſſeràmque technarum theatrum agnoſcens, canendo luſorem affabatur:

Teſſera dum currit, numeras dum puncta, volveris;
Aſpicis haud vitæ currere puncta tuæ.
Horas dum ludo fallis, te ſæpe fefellit
Alea; ab hac diſcit mors inimica dolos.

Luſum fraudem dicis; at tuo à luſu mors imponere diſcit in tuam perniciem. En fraudes, Narciſſe Luſor! Æquè ac tu mors ludendo gaudet, hincque triumphando cuncta rapit, teque victum intrudit in ſepulchrum. *Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori.*
Aut

Aut vincis ludendo, perdiſve; Si perdis, inauſpicatus animam exhalabis; Si vincis, quidquid tibi parâſti, deſerere cogeris, quod oppidò vehementiorem tibi pariet acerbitatem. Mors appropinquabit, tecûmque luſum inſtituet inexorabilis. Luſum autem intellige. Virgilius deſcribit luſum turbonis.

Ceu quondam torto volitans ſub verbere turbo,
Quem pueri, magno in gyro, vacua atria circum
Intenti ludo exercent. Ille ictus habenis
Curvatis fertur ſpatiis: Stupet inſcia turba,
Impubeſque manus, mirata volubile buxum,
Dant animos plagæ.

Turbonem æmulatur Mortalium vita, dum movetur in gyro ſupra volubilem haut propitiæ fortunæ rotam. Proxima eſt fini. En lethum, quo flagellamur per deſerendæ ſubſtantiæ, cenſuſque recordationem. Accedit novum flagellum, quoniam conſanguineis, amicis viduandi venimus, avellendi à chariſſimorum amplexibus. En nova verbera, commiſſorum, ac mendorum horror, luſus ſynderesis, patrimoniique dilapidati, ſententiæ pavor: Tandémque, deficiente pulſu, defungendum eſt. De his locutus dicitur David, juxta Genebrardum: *Deus meus pone illos ut rotam*; *Deus meus pone illos, ut trochum.* Exagita, Deus, Luſores tormentorum acerbitate, *Deus meus pone illos, ut trochum.* Cùm diu, noctûque cogitandum foret de ſupremo illo tranſitu, amariſſimarum lachrymarum effuſione, ludis gaudemus. Mors certa, Luſus incertus haud unâ in ſede morantur. Boni conſulas ac æqui, quæ rurſus exponam, mactéque ſis animi, quo minus ludis in poſterum indulgeas. *Pſ. 37.*

2. Torquatus Taſſus hanc ſuis Proſis ſententiam inſerere non erubuit; Ludum certamen eſſe fortunæ nec non ingenii, inter duos, aut plures; Ecquid fortunæ, perfidiam non arguitis, non conjicitis ex fundo diſſipato, bonis amiſſis, domo paupertate gravatâ? *Væ vobis*, Luſores, intonat Jeremias: *Væ vobis, qui ponitis fortunæ menſam, & libatis ſuper eam.* Hìc Divus Antoninus Archiepiſcopus Florentinus, ludi tabulam intelligit. Præeſt fortuna; quæ verò inſanior, mutabilior, magiſque cœca Dea?

Fortuna ſæva læta negotio, &
Ludum inſolentem ludere pertinax,
Tranſmutat incertos honores.

Ita Venuſina Muſa modulabatur. Seneca verò: *Semper movetur, variat, mutat vices, & ſumma in ima vertit, & verſa eripit.* En mutabilitatem, inquit Divus Cyprianus: *Eaſdem illa pecunias nunc ad hunc, nunc ad alterum transfert: atque modò hunc victoria effert, illum victum mœſtitia premit.* Hinc ingeminat Seneca;

Quidquid in altum
Fortuna tulit, natura levat.

Tûque ejus præcipitiis lætaris, ejus vaframentis fidem præſtas, proditiones non evitas? *Gaudes de contumelia tua*, Luſor, juxta Ter- *l. ad uxor. de nup. c. 4.* tullianum. Quod, ut eluceſcat, latiùs evagabor, tûque ad luſum attende, mihique.

3. Lyranus, ad Orbis Imperium reſpiciens, quod ab exceſſu Nabuchodonoſoris de Chaldæorum poteſtate devolutum eſt in Perſas, obque occiſum Cyrum Perſis excuſſum, devenit ad Græcos; perennes ludentis fortunæ metamorphoſes in ſcenam exhibet, quòd perpetuâ volubilitate laborans, poſt obitum Alexandri, diviſum fuerit inter Philippum, Antigonum, Seleucum, atque Ptolomæum; Ac denuo Romanæ magnitudini ſubditum, de Capitolii vertice in exterorum manus fuerit deturbatum, expleto oraculo Sapientis: *Regnum de gente in gentem transfertur.* Itaque Deus invenitur *ludens in Orbe terrarum.* Luſit cum Jobo, quem percuſſit in opibus, ſubtrahens armenta, quæ campos populabantur, ita ut nec jumentum illæſum permanſerit ad conterendam herbam, quæ poſtmodum pullulavit inducendo ſterilitatem ſolo. Quærenti Domino, quis ipſum percuſſerit, Job hoc apponit reſponſum: *Irruerunt Sabæi, tulerúntque omnia.* Ecce, hoſtem arbitratur, qui non eſt. De cœlorum ſublimibus fulmina decidunt, gregem deſtruentia, & unde veniant, ignorat; *Ignis cecidit de cœlo, & tactas oves, pueroſque conſumpſit.* Cameli illi rapiuntur, ac perperam cauſatur Chaldæos, *Chaldæi in-*

invaſerunt camelos. Rurſus effatur, *ventus vehemens irruit à regione deſerti*. Tandem novo fulmine quaſſatus, vix oſſibus hærens, inter lachrymoſa ſuſpiria eructat: *Manus Domini tetigit me*: Punctum acu tangendo. Hinc Deus invenitur *ludens in Orbe terrarum*. Cùm & ipſe in atrio Pilati peripetiis ſubjectum ſe probaverit: *Et velaverunt eum, & percutiebant faciem ejus, & interrogabant eum, dicentes: prophetiſa, quis eſt, qui te percuſſit?* Suas Chriſtum velâſſe pupillas affirmabo, ut ſuos averteret oculos à mendorum turpitudine, in quæ irruebant coram illo plebs Hebræorum infamis. Hinc affirmat Iſidorus Clarius, quòd Chriſtus, in horto preces fundendo, *procidit in faciem ſuam, ut faciem occultare cogeretur* (urgente rubore, ac verecundiâ) *neque auderet illam in cœlum attollere. Hebræi verò*, in ſententia Divi Thomæ: *Velaverunt faciem, non ut eorum ſcelera non videret, ſed ut à ſe faciem ejus abſcondant.* Notate: *Non ut eorum ſcelera non videret*: Quippe propriam jactabant iniquitatem, gloriabantur perfidiâ, trophæa noxarum propalantes. Hanc deteſtor ultimam in filiis Adam fatuitatis lineam, nedum vacare luſibus, blaſphemiis, patrimonium prodigere, exiſtimationem lædere, ſed etiam inſignem ſe luſorem jactare, nec non cum vitiis mancipiis, ſcelerùmque pugilibus, flagitioſiorem ipſis in arenam deſcendiſſe. Ita apud Lucam inauſpicatus induſium ludendo omittens, in deſperationis barathrum incidit, in Infantem JESUM, in Deiparam injurioſus, dum utriuſque imagini, in pariete depictæ, inſultare atq; violentas manus injicere non erubuit. At illicò hiante abſorptus voragine incompertæ profunditatis, haut ſecus, atque Datan, & Abiron congruas cœlo pœnas dedit, atque luit. Grande proinde piaculum ludentium eſt, in quod Divus Cyprianus laxatis invehit habenis: *O aleatorum noxia ſedentaria, & pigra nequitia! O manus crudeles, & ad periculum ſui armatæ, quæ bona paterna, & opes avorum ſudore quæſitas, ignominioſo ſtudio dilapidant!*

Luc. c. 22.

4. Sed ad ludum fortuna tibi prolixiùs arrideat, tuiſque votis aſpiret, unde tuo lucro cumules tuarum ædium commoda; cuique tenuis erat victus, ac cenſus, deinceps largus, opiparuſque contingat. Verùm quòd fortunæ cataſtrophes ſingulis innoteſcant, lucrum exitioſum tibi futurum tam divino, quàm mente præſumo. Invaluit, ac inolevit plurimorum opinio, & adhuc viget, alchymiſtarum

officinis præeſſe dæmonem, vitra, gradus ignis, cæteráque, quæ in promptu, confundentem, ſuſque, déque vertentem; quò nulli liceat opes fabricare, ſed una, quæ in Numinis pugno, fortuna colatur. Alius quoque dæmon luſibus miſcetur, Divo Cypriano zabulon indigitatus: *purifica manum tuam à ſacrificiis zabuli*: Sicut ille Platonis, qui vocabatur theuth, *Spiritus malignus aſſiſtit, furorem punctis illis oſſibus, inſaniámque accendens.* Luſorum manus, diris devovendorum, ad ſui periculum armatas eſſe, quæ avita bona, ſudore parata, lapidant ignominioſo ſtudio; Mox annectendo eluceſcet exemplo. Neapoli celebris aleator multa aureorum millia, favente, propitiâque fortunâ, corraſerat. Quidquid repetitis vicibus illius beneficio luſor impetraverat, unius fidei jactui alearum committit; hincque inani ſpe lactatus, atque ſupplantatus, omnium poſſeſſione devolvitur. Ergo præ deſperatione aleis pugnum (terribile viſu) imprimens, ſpaſmo ſuperveniente fato concedit. Appoſitè Plautus eructavit: *Dii diligunt, adoleſcens moritur*: Ne ſeneſcat in vitiis, apprimè in ludis, vitiorum metropoli, ruinarum fonte; Cui qui litaverit, mancipium evaſit. Annorum decurſu luſus gliſcere conſuevit, aduſque occiduam ſenectam progrediens. Hinc Divus Auguſtinus pro more perſpicax: *Omnia vitia in ſene ſeneſcunt.* Hinc proteſtatur Cornelius Gallus, aſſerendo, quòd in ſenibus,

Crimen amare jocos, crimen convivia, cantus.

Aratrum tenentes, ne poſt tergum proſpiciamus, luſus expendatur. Theſauros vince, tuis invehendos laribus; nihilo ſecius egeſtate laborabis, inops in copiâ, mox in minutiſſimum pulverem reducenda. Ver, de ſubjugatâ hyeme triumphans, floribus coronatur, qui unà cum illâ protinus evaneſcunt. Sol ſexcentis radiis armatus, noctem debellat, uſurpatòque aëris throno, cœruleo in cœlo ſuum locat Imperium: at inumbrante veſperâ, jubar cimmeriis velare auſpicatur. Itaque cum Sol, ac tempora pereant, vitæ noſtræ curſum dimetientia, aſſerere conſultum duco, illis nos fugaciores occurrere, letho tenſum arcum jugiter ad metam dirigente. Quæ cogitatio prorſus valida foret ad Mortales luſibus

bus ſubtrahendos. Ludentium voces juſtorum auribus obſtrepant. Luſûs indulgentiâ tempus cum voluptate terimus, otium fallimus cum amænitate, tœdiúmque licet excutere; Sempérque dulce fuerit, ad hunc vomitum rediiſſe. Divus Bernardus reſpondet: *Pro vitando otio, otioſa ſectari ridiculum eſt.* Inconſul- *de Nat.*
tus luſibus vacas, ignarus, quid tibi cœlitus continget: *Lude-* *Dom.*
bam ego foris in platea, & in decreto regalis cubiculi ſuper me fe-
rebatur judicium mortis. Hìc ſiſte gradum, inquit Mellifluus, & *de Inſt. Dom.*
conſidera, quàm multi modò moriuntur, quibus, ſi hæc hora ad agen- *c. 63.*
dum pœnitentiam concederetur, quæ tibi conceſſa eſt, quomodo per altaria, & quàm feſtinanter currerent, & ibi flexis genibus, vel certè toto corpore in terram proſtrato, tamdiu ſuſpirarent, plorarent, & orarent, donec pleniſſimam peccatorum veniam à Deo conſequi mererentur. Tu verò, comedendo, bibendo, jocando, & ridendo tempus otioſè perdis, quod tibi indulſerat Deus ad requirendam gratiam, ad promerendam gloriam.

5. Atheiſtæ ad ſatietatem blaterent, quoniam impugnantibus animæ immortalitatem, primámque cauſam, ac cum illorum vita, omni re pereunte, ludus, crapula, voluptatéſque duntaxat ſuperſunt. Tu verò ad ſacrum fontem regeneratus, irrigatùſque, qui in fidei virgultum aſſurgis, detrectato ſedentiariis ludorum momenta impendere apprimè latrunculorum ludo, qui occupatiſſimos poſtulat, ac talis audit, quòd inſidiæ inſurgant, ac emicent. Hunc Palamedem excogitâſſe, dum arderet Trojanum bellum, perhibetur. Quam ludendi normam Græci patriæ invexêre, ſub Amazonum ſpecie certamen illud adumbrantes; Præcipuam ſedem in illo cum Reginâ Rex occupat; uterque verò, abſolutâ purpurâ, gregariis miſcentur militibus. Quod campum aperit ruminandi Divi Auguſtini ſententiam: *Aperi ſepulchra, & vide, an diſcernere poſſis, quis Dominus, quis ſervus, quis pulcher, quis deformis, quis dives, quis pauper?* Hincque funera, juſtáque vocamus *exequias, quia mors omnes exæquat.* Utque in latrunculorum ludo parcitur nemini, ſic lethum omnes indiſcriminatim aggreditur.

6. Pilam rotundam illam ſphærulam, qua luditur, ſpectemus, cujus inventor fúeritné Pythus, Nauſicave Phœnicum Regis fi-

 lia,

Ser. 48. *adFrat. in Er.* lia, in ſuſpenſo eſt. Galenus quodam libro hunc nobilem ludum commendat, quòd medio hoc exercitio quævis vel minima pars corporis, exerceatur harmonico quodam modo, tantaque dexteritate, ut puriores, vivacioréſque, in quo ſitus eſt ſoſpitæ cardo, reddantur humores. Ludus hic acceptus extitit, ac familiaris præcipuis Principum. Cæſar hac in palæſtrâ ſecum contendentibus, elargiebatur præmium bis quinquaginta ſeſtertios, præter pretioſas veſtes, atque gemmas, expertóſque præconiorum laureolis coronabat. Prætacti luſûs, ac literarum fautorem eximium fama celebrat Mecænatem. Publio Scævolæ, Lucio Cæcilio, in deliciis fuit, quod exercitium deperire videbantur. Famigeratiſſimi Philoſophi Lycon Trojanus, ac Thyſiphus Chalcedonenſis memorati oblectamenti tenebantur amore, in ſolatium laborioſiſſimorum ſtudiorum, quò daretur à ſeriis reſpirare. Apud Homerum vel mulieres hoc non abſtinebant exercitio. Spectatoribus oppidò volupe eſt hujuſmodi farinæ certamen pacificum. En typus ſæculi, en technarum theatrum! Amicis implicari credimus, inimicis ſtipati, *inveteravi inter omnes inimicos meos*; Efflabat Pſalmographus, aſſeverante Chryſoſtomo, *vita enim noſtra verſatur in certamine, & innumerabilibus inimicis plena eſt.* Pila diu, multùmque agitata, dextrorſum, ſiniſtrorſum, ſurſum, deorſum, in fine delabitur, quod & luſoribus accidet, deturbante letho: *In omnes homines mors pertranſiit, & ſtatutum eſt hominibus ſemel mori*; Effatur Doctor gentium. *adRom.* 5.

7. Cùm igitur Orbis lethi theatrum agnoſcatur, & amaritudine ſcateat, obſtupeſco, quì mortales inter fella mella legere laborent, atque maturent. Septentrionale pelagus quàm Meridionale, plures numerat piſces, ut ut calor frigore aptior generationi cenſeatur. Acutiſſimum Divi Baſilii ingenium gryphum hunc reſolvit. Licet mare Septentrionale rigore magis horreat, attamen dulcius habetur, aut ſatius, minus ſalſitudinis contraxit: *Hom.* 7. *in Exam.* Quo fit, ut ſquamea familia ingravatè illas diſcurrat undas. Divus Baſilius hos exhibet piſces, dicentes, licet linguâ viduatos; *Eamus ad Aquilonicum mare, illa enim æquoribus aqua dulcior eſt.* Cauſſam aſſignat innixus Ariſtotelis placitis, cur illa aqua abundantiore gaudeat dulcedine: *Dulcior eſt propterea, quòd modicam*

dicam Sol in eo moram trahens, non univerſum ſuis exhaurit, abſumitque radiis, ſed quod poculentum eſt. Quoniam autem me minimè latet, eructâſſe Chryſoſtomum: *habemus pro mari mundum*: Ideo ſuſtineo, Mortales catervatim volare ad dulcem ſolatiorum aquam, perpaucos ad amarum amariſſimæ lethi contemplationis mare. Verum tamen vobis dulcis videtur, juvenes, luſibus mancipati, quoniam juſtitiæ Solem neſcitis, procul à luce gratiæ, cœlique calore. Veſtræ blaſphemiæ, calamitatum ſcaturigo, ærumnarum, queis oppreſſi languetis, iliades involvunt, ut exanimes, cordéque denudatos vos deplorem. Quid igitur ſtatuam, pectori veſtro cor ablatum, animámque reſtituturus, qui commodùm ab uno ludo receſſiſtis, cùm ad alium properatis vecordes? Lethum pensâſſe juvabit, tenebráſque ſepulchri, voſque futuros triumphantis Libitinæ trophæa. Quid manebit manes ludentium, quæ lux illorum umbris affulgebit? Cur Caleb popoſcit ardentiùs à Joſue civitatem Hebron? *Da ergo mihi montem iſtum, quem pollicitus eſt Dominus, te quoque audiente, in quo Enakim ſunt.* Sanè cor vivere nequit, animâ abſente. *Caleb, id eſt, cor; Hebron, vel Chebron, id eſt, tranſitus.* Lethi meditatio, ſupremi memoria tranſitûs, mœſta foveæ cogitatio, humani cordis vita noſcatur, ac anima, cujus ſalvandæ omnis tangatur dulcedine. *Joſ. 14.*

8. Quoties ſiniſtra fortuna non adeſt luſoribus, quæ lamenta cor, tetricitate corruptum, non evomit, non egerit? Ecquid, effatur Pictorius, ô matres, extincta pignora deplorare non ceſſetis?

Dilaceras crines, fletúmque ululatibus imples,
Mœſtaque ſanguineis unguibus ora notas.
Credis an extinctos huc poſſe reſurgere natos?
Flere obitum, eſt addere vulnera vulneribus.

Conſultius eſt, veſtros defleatis maritos, pietati defunctos, vitióque vivos, illis parentate lachrymis, injuſta ſolvite juſta; forſitan dabitur, ut reſurgant miſericordiâ tacti diſſipatarum ludo Miniſtro ſubſtantiarum. Chilon, Corinthum delegatus, pangendi,

gendi, ſanciendique cum illâ Republicâ fœderis ergò; provectiores ætate aleæ ludis indulgentes offendens, ſtomachabundus imperfecto diſceſſit opere, Spartanorum ſplendorem offuſcare dedignatus, gloriæque labem aſpergere, cum Luſoribus ſocietatem ineundo. Grande dedecus aleatorum! Hic ludus ſuper inconſutiles Redemptoris amictus exercitus, extitit longè acerbiſſimum tormentorum, quod Chriſtus in duro crucis trunco pendendo ſuſtinuerit. Hinc, à cœleſti Patre ſuppetias implorans, rogavit, ne cunctaretur, nevé moras necteret, at è veſtigio auxiliatricem ſibi dexteram porrigeret; *Diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem. Tu autem Domine ne elongaveris auxilium tuum à me, ad defenſionem meam aſpice.* Hìc ſubnectit Divus Bernardinus Senenſis, fulgidiſſimum triumphantis Eccleſiæ Sydus: *Quid eſt baractaria ludorum, niſi laniena, ubi minutatim conciduntur carnes filii Dei, unde lamentabiliter dicebat; Super veſtem meam miſerunt ſortem. Tu Domine ne elongaveris auxilium tuum à me, ad defenſionem meam aſpice.* Probri ideam exhibiturus Propheta Regius effabatur: *in cathedrâ peſtilentiæ non ſedit*: Legit Tertullianus, *in cathedra Ludentium.* Luſor autem urbis, & Orbis peſtis habetur. Similem Panormi repentinus rapuit interitus Anno 1664. Quominus innocens illa civitas corrumperetur; Sicuti graſſantem illam luem, obviis quibuſvis in ignem tumultuariè projectis, extinguere, compeſceréque conſuevimus. Hinc Jacobus Lobranus anſam arripuit exercendæ Poëticæ venæ, unde in Luſores fluerent probra;

Vivitur, an pictis vita hæc præterfluit umbris,
Cum variet miſeras per ſua puncta vices?
Credimus in nugas dubium traducere tempus.
Tempus abit, nunquam quod fuit ante, redux.
En equidem ſubito præcens ruit alea caſu,
Naufragium præjit icta tabella ſuum.
Quantum vera prement miſeram infortunia vitam,
Si luſiſſe etiam jam periiſſe fuit.

Eutra-

Eutrapeliæ, urbanitati, feſtivitatique inter ſororantes virtutes eſt locus. Licet moderatus ludus, citra lucrandi, diteſcendique libidinem, tam in proprium levamen, quàm in amicorum ſolatium, recreandis animis, quò reſpirare detur ab onere negotiorum, & dulcentur, amara curarum. Etiam Socratis auſtera Sapientia, inclinavit ſe de tantæ mentis culmine, ut equitaret in arundine, diſcurreretque cum impuberi turbâ juvenum, morem ſuis geſturus natis. Alcibiades puerile, ridiculumque deriſit ſpectaculum, cujus Socrates retudit audaciam, effando; *Noli cuiquam dicere, quod modò à me videris, donec ipſe tibi etiam liberos procreaveris.* Non etenim dedecet ſapientem parentem, ſuis cum liberis colludere, virginitateque, nondum expleto teneri pudoris curriculo, maturâ toro. Nimium verò ludi ſtudium quis non ſugillet? En Regem Ptolemæum, Lusûs gratiâ graviſſimis Regni negotiis ſuperſedentem, capitalique ſententiâ criminoſum damnantem; cujus uxori Berenici ſtomachatus eſt: *Non ſic obiter advertendum animum eſſe* (inquit Regina) *cùm de hominis ſalute diſceptaretur; Sed cogitandum, & relinquenda ludicra. Non enim ſimilem eſſe caſum talorum, & corporum.* Nunc mihi exclamare liceat, ſiccine, Luſor, animæ commodis indormis, vanis, imminente fato, ſolatiis invigilans?

Ælian. l. 14. de var. hiſt.

Eſt commune mori, mors nulli parcit honori.
Debilis, & fortis, veniunt ad funera mortis.

Cùm naufragium te manet ineluctabile, ludo delectaris? Ignoráſne, te ludente naufragium naufragio copulari? De Rebecca gravidâ legitur. *Collidebantur in utero ejus parvuli.* Legunt alii; *Ludebant*: Divus Hieronymus; *Proludebant.* Symmachus: *In ſimilitudinem navis ferebantur*: Non enim abludit ludus à naufragio. Apud Albanos naſcente maſculo, protinus affines infantem donabant armis, dicendo: *Armeris miſer, quia ad bellum, non ad otium veniſti.* Conclamate Luſor, dum vel in luſûs otio bellum incurris, quod ſegniter in tuum armatur excidium. Vaces, immunis occurras quoad hoc pernicioſum exercitium: Occupatiſſimus deprehendaris circa pietatis cultum.

9. Lamentis, quæ veſtris obſtrepunt ædibus, ubique perſonant ad ſubſellia, ad roſtra, quæ liberè liberi veſtri evomunt, ob à vobis ludentibus dilapidata, diſſipataque patrimonia, aurem accommodate, ludi mancipia. Nedum prodigatur avita ſubſtantia, ſed inſuper Luſui materia miniſtretur famulante furto. Tityus, addictiſſimus pilæ ludo, ſimulque compilationi, licet nunquam ob hanc cauſam compactus in carcerem, intempeſtâ nocte, tenebriſque inumbrantibus obumbratus, atque munitus, ab argenteis ſtatuis brachia avellebat. Interrogatus, ecquid in Campo Martio ſe non commiſceret luſoribus, medio Tityo Terentio Veſpa reſpondit: *Hac nocte brachium fregit.* Lepidum æquivocum. Non autem eſt jocus, luduſque, à ludo creari furtum, ab utroque reatum, blaſphemiam, deſperationem, animæ jacturam, nobiles filias tantorum parentum, triumphantibus tartaris, ringente cœlo. Luſor fato concedet, ejuſque ſepulchro affigent epitaphium Orphei, hoc unico expreſſum vocabulo: *Luſit.* Luſit inter vivos, impræſentiarum torquetur: Vixit otioſus, nunc bello infeſtatur; vicit nummos aureos, modò perdit animam. *Luſit, & ludit.* Quid ages infelix? Quadraret celebris Saluſtii ſententia: *Quoniam vita, qua fruimur, brevis eſt, memoriam noſtram, quàm maximè longam efficere ſtudeamus.* Hoc autem impetrare licebit lethi memoriâ obſtetricante: *Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori.* Penſato, ut luſu abſtineas, ſeriis ſedulam naves operam;

Prima, quæ vitam dedit, hora tulit.

Obſervavit Divus Gregorius Magnus ſuper Pſ. 114. quòd perennis infernus hujus vitæ cruciatus ſit *prolixitas mortis*, agonve plurimorum annorum. Quæ conſideratio idonea remoram faciendo luſui reperitur, utque operibus, quæ virtutis fulgor illuſtrat, inſudemus. Tandem de ludo, prolixiùs verba minimè contexam, ſuadet rationis imperium; quandoquidem hoc in gemino Narciſſi ad Fontem Volumine, lethi recordationem, haut interrupto narrationis filo ſuggerenti mihi ſcopus fuerit præfixus, non ludicra, non luſum, at ſeria, ponderoſáque exhibere. Operi coronidem

nidem impoſui, ac apicem, nec non ſupremam manum admovi, filii Adæ, quîs ut parenti parentandum erit; in quorum commodum perpetuo curſu, commodùm Libitinam in ſcenam dedi ſingulis dominantem! Necdum attamen exſiccatâ venâ, & adhuc laſſitudinis ignarus, quum ſuppetat facultas de fato per prolixiſſimam annorum catenam ediſſerendi. Quippe ſi mundus fortè durabit adhuc plurimorum ſæculorum curriculo, te non fugit, in tot annorum fugas ſingulis penè momentis Libitinam ad libitum, ſuum exercere imperium.

DIXI.

INDEX
VERBORUM RERUMQUE
Notabilium quæ in hoc Opere continentur.

Prior numerus Tomum, poſterior Paginam indicat.

A

ABEL, ac ejus obitus I. 189.
Abraham, & cur poſt Saræ funus illi ſe numen haud ſpectabile exhibuerit? *Tom. I.* 13. *ſeq.*
Abſalon ad quercum, I. 22. Quò ductus fuerit à Politica, II. 46.
Abſtinentes celebres, I. 225.
Acceggia, I. 128.
Accipiter, ejuſque natura, II. 180.
Acis, ejuſque fabula, I. 78.
Aconitum, ejuſque natura, II. 75.
Acredula, ac ejus indoles, II. 57.
Adam, cur de terra formatus, moxque indormiverit, I. 17. cur pelle indutus, *ibid.* cum Numine loquitur in Paradiſo, 42. ejus obitus, ac portenta poſt illum, II. 203.
Adrianus Imperator, ac ejus epitaphium, II. 2.
Adulatio noxia, II. 92. Adulatores feris ſimiles, *ibid.*
Advocati perditi Spinetis ſimiles, I. 93.
Æmilius Papinianus, ejuſque reſponſum, II. 45.
Ætas hominis collata cum anni temporibus, I. 16.
Æthna, I. 193. Ejus ignis 207.
Agnus vegetabilis, herba prodigioſa, I. 49.
Aquila cervum timet, I. 165.
Albertus Magnus mortem aſſiduo contemplatur, I. 117.
Albertus Comes de Wallenſtein, ejuſque politica, & obitus, II. 42.
Alexander Magnus obiit annorum 32. I. 6. ejus jocus, 25. ejus opes, quî vixerit, ac ſupremam diem clauſerit, 81. ejus dictum, 91. Vulneratur, 102. cum Oraculo Verba contexit, 104. reſponſum, quod à Philoſopho accepit, 166. Senex illi porrigit mirabilem lapidem, 171. bibax crapuloſus, 222. ejus facinus, II. 60. quid philoſophi ſenſerint in illius funere, 83. Mater epiſtolam illi dat objurgatoriam, quæ ſua erat manu, 103. aſſentatores expellit, *ibid.* 104. Gordium nodum ſolvit, 116 ejus audaciam retundunt caduceatores Triballi, II. 184. quod reſponſum hauſerit ab oraculo, 12.
Alexander VII. Pontifex, ejuſque arca plumbea, I. 38.

Alexander Judæorum Rex, ejuſque avaritia, I. 180.
Alexander Rex Scotiæ, ejuſque funeſta choræa, I. 131.
Alforas, piſcis, ac ejus ingenium, II. 176.
Alphonſus Toſtatus, ejuſque tentatio, I. 51.
Aman, ejuſque præcipitium, I. 169.
Amaſis Rex, ejuſque lorica, I. 46.
Ambarum odorum, ejuſque generatio, I. 166.
Ambitio, Senum vitium, I. 22. lethi cogitatione domatur, 23. ejus damna, 48. *& ſeq.*
Amor, num emolumento fuerit, aut damno creatis? II. 158. proprius amor peculiare annoſorum vitium, 160. frænatur lethi ſpeculatione, I. 20.
Amurathes Imperator fratrem peremit ex politices præſcripto, II. 44.
Amurathem Sultanum Imperatorem enecuit immodicus potus, I. 222.
Anacharſis, ejuſque dictum de Navigantibus, I. 3.
Anaxarchus, ac ejus obitus, I. 67.
Angeli ad Sepulchrum, I. 11.
Animantia bruta calamitates prævidentia, I. 83. Muſices amica, 136. obediunt Deo, 215. num rationalitate polleant, II. 130.
Antichriſtus, ejus vita, morſque, I. 82.
Antigonus, ejuſque factum, II. 111.
Antiochus in ægritudine humiliatur, I. 170.
Antiſthenes, ac ejus dictum, I. 156.
Apelles, ejuſque dictum, I. 139. quî deceptus fuerit, 146. ab Ageſilao Rege adjutus, II. 84.
Apis, II. 130. Ejus indoles, *ibid.*
Aquila Volutatur in cinere pugnatura cum cervo, I. 165.
Aranea, II. 124. quî viperam enecet, I. 231.
Arbor Indiæ mira, I. 58. nata ex ore Adæ, II. 203. Helmontii, 17.
Ardea, avis, paſcitur cinere, I. 200.
Argentum vivum, ſeu Mercurius, II. 89.
Arion, ac ejus eventus, I. 136.
Ariſtoteles quomodo mortuus, I. 121. quid exararit moderaturus iram Alexandri, 208.
Aromata cur in India proveniant, I. 127.
Artaxerces, ac ejus ingenium, II. 85.
Aſam Sultanus indulſit hoſti, I. 215.
Aſtrologia judiciaria Vana, I. 116. Aſtrologus mortem meditetur, *ibid.*
Aſtyages, ac ejus ſævitia, II. 104.
Avari cæci ad agnitionem terrenorum bonorum, I. 175. nunquam opibus ſatiantur, 180. *& ſeq.* animam amittunt ob liberos, 183. poſt funus ſimiles inopi, 184. Niſi renuncient avaritiæ mortem ruminando, pro conclamatis habendi, 186. à Domitiano vix abludunt, 187.
Avaritia præcipuè laborant decrepiti, I. 23. Avari animum, ut libuerit, regit, movet, ſollicitat, *ibid. & ſeqq.*
Augurium quid, II. 13.
Aula volubilis, II. 69. Mari ſimilis, 88. Aulicus in ea, *ibid.* Campus certaminis 90. Quomodo S. Petrus Damianus Aulicos depinxerit, 74. Ab aconito non abludunt, 75. Sunt naves in æquore, 88. in Deum duntaxat ſuam ſpem jactent, 87. Invidi reperiuntur, 77. Cani ſimiles, 78. Sunt ſceleſti, oblocutores, 75. *& ſeq.* Avaritiâ peccant, 82. Quaſdam inſulas imitantur, 84. Ampullantur, 85.
Auſpicium quid involvat, II. 13.

B

B*Aldus* Juriſconſultus quomodo fato conceſſerit, I. 99.
Bartolus Juridicus, quî hinc emigrârit, I. 99.

Baſiliſcus I. 210.
Baſſianus Imperator fratrem tulit è medio. II. 45.
S. Bernardinus Senenſis, ac ejus ſententia I. 37.
S. Bernardus, & quî ſe allocutus fuerit. I. 58.
Bezzahar I. 209.
Boguca Inſula fonte gaudet juventutem impertiente II. 1.
Bona terrena, I. 76.
Cæſaries ad mortalitatem inflexa I. 149.
Cæſar quî flumen tranârit I. 83.
S. Cajetanus, ejuſque geſta II. 96.
Cain, ac ejus invidia I. 189. occiditur, 212.
Cajus Caligula, & ejus fatuitas II. 104.
Cambyſes Rex animadvertit in judicem I. 99.
Campus, atque deſertum. I. 176.
Candaules, ac ejus hiſtoria II. 151.
Canis II. 78. Ejus ingenium *ibid.* Indus I. 190. Depictus 147. Canes portentoſi, II. 78.
Cantus I. 131.
Caper occiſus à S. Michaele ſpectante Adam II. 29.
Cardinales illuſtres defuncti I. 40.
Caryophyllum I. 92.
S. Carolus Boromæus perpetim mortem expendit I. 42.
Carolus V. ejuſque factum I. 86.
Cato, ejuſque ſtratagema, I. 34.
Cenſtonthi avis 400. Vocibus inſtructa II. 92.
Cerrus planta exotica I. 44.
Cham Catayæ quî inauguretur Dominus I. 80.
Chamæleon I. 119.
Chimæra mons, ejus proprietas, ac fabula I. 207.
Chorea I. 131.
Chriſtus ſuadet nobis lethi memoriam I. *in Proœmio.* ſanguine manans 64.
Cibus Veterum qualis extiterit I. 225.
Cinis ſolo fœcunditatem conciliat, I. *in Proœm.* revocat apes profugas *ibid.* Viperæ cinis ejuſdem morſibus medetur I. 94. Quid præſtet cinis circa corvi ova 223.
Civitates inclytæ deſtructæ I. 75.
Clodius Albinus crapulis addictus I. 221.
Clotharius Imperator, ac ejus facinus II. 118.
Coguli avis II. 195.
Cœleſtinus abdicat ſe Thiara I. 35.
Comici animarum excidium II. 148.
Commercium quid præſtet, II. 112.
Concionatores celebres I. 118.
Conſcientia horologium æmulatur II. 133.
Conſideratio propriæ conditionis à peccatis avertit I. *in Proœmio.*
Convivia lugubria I. 222.
Coqui lethi ſe memores præbent II. 215.
Corona Regia quid ſibi velit II. 34.
Corpus humanum in cælum evadere poteſt II. 135. quot ægritudinibus obnoxium II. 3.
Corvus longævus II. 98.
Crapuloſi famoſi I. 222.
Creata inſenſata Numini obtemperant I. 215.
Curioſitas vitium Vehemens I. 157. in fæminis potentiſſimum *ibid.* in ſtatuam convertit uxorem Loth 158.
Cygnus. II. 35. ejus obitus I. 131.
Cyrus Rex, ejuſque apologus I. 136.

D.

Danubius, ejus latitudo, quod aquæ tributum invehat ſalo I. 181.
Dæmon erga nos exercet quod in obſidione inſtitui ſolet I. 113. cur ſerpentis ſpeciem induerit. Evæ apparens 149. Venatoris munere fungitur II. 166. præſto eſt officinis Alchymiſta-

rum, ludiſque 222.
Delphin, ac ejus natura II. 177.
Democles, ejuſque factum, II. 100.
Democritus ſolatur Darium ſuper uxoris obitu II. 27.
Deſertum, ac campus I. 176.
Deus largitur, conſervatque regna, non politica II. 38.
Diluvium Oecumenicum I. 133.
Dina, ejuſque formoſitas, I. 158. honoris ſubit damnum præ curioſitate 159.
Diogenes, ac ejus effatum I. 19. ejuſdem reſponſum II. 140. 110.
Dionyſius Tyrannus, ejuſque facinus II. 99. Phæbi ſtatuæ barbam aufert 59.
Doeg, ejus politica, morſque II. 36.
Domus igne ſuccenſa I. 171.

E

Echinus piſcis II. 193.
Echo II. 124.
Elephas digladians adverſus Rhinocerotem I. 211.
Elias quadrigæ impoſitus II. 2.
S. Elzearius, ac ejus Vita I. 111.
Elzir Urbs cum 365. portis I. 7.
Epaminondas, ejuſque dictum, I. 113.
S. Ephrem, datur illi reſponſum I. 60.
Ephemeron animal I. 32.
Epithimbidiæ aves I. 4.
Equites Jeroſolymitani hoſpitales, ac eorum elogium I. 110.
Eva non obtinuit finem politicum ob quem malum guſtavit II. 28. Dæmon illam decipit I. 150.
Exercitus mutuò pugnantes I. 214.
Exercitus Pharaonis ſubmerſus I. 218.

F

Fama proba proficiſcitur à lethi recordatione II. 185.
Faſten, ac ejus natura II. 92.
Fatigar mons, ejuſque proprietas I. 171.
Fax accenſa, ejuſque fragilitas I. 6.
Felicitas quid, & ubi invenienda II. 112. felicitas Salomonis *ibid.*
Ferdinandus magaglianus, ac ejus hiſtoria II. 185.
Filii Jacob venundando Joſephum, haud potiti ſunt illis, quæ in votis erant II. 43.
Flores, eorumque varietas II. 209.
Flumina miræ conditionis I. 97.
Fluxus, atque refluxus maris I. 185.
Fœmina ſaltans I. 131. gravida extincta 159.
Fons oculis proficuus infirmis II. 12.
Fontes miræ naturæ I. 97.
S. Franciſcus, ac ejus inopia II. 123.
Fructus prodigioſus II. 75.
Fulmen, ac ejus proprietas I. 95.

G

Galeazzus Mantuanus, ac ejus exceſſus II. 120.
Galenus morborum Imperator II. 20.
Gemmæ quædam ubi generentur I. 174. mira in quibuſdam vis, ac virtus 205.
S. Geneſius, ac ejus hiſtoria II. 150.
S. Gerardus, primus Rector Equitum hoſpitalium, ac ejus vita I. 110.
Germanicus extinctus, ac ejus cor. II. 117.
Geſminum II. 208.
Gloriantes malitia patent probris. I. 216.
Goliath, ejus certamen, ac obitus II. 161. I. 105.
Granadilla flos Paſſionis II. 207.
Gubernatores lethum ſuis oculis proponant I. 89. Moriuntur 90. ſimiles tonitrui & fulguri 95. Similes Tauro, Jordani 96. Illorum multa 89.
Gula efficit effæminatum I. 226. mortem generat 222, ejus deliciæ momenta-

neæ 221. Vitium peſſimum 229. guloſi minimè longævi 220. in ciborum copia lethum offendunt 222. Guloſi celebres 221. 225.
Guſtavus Adolphus Suecorum Rex, ac ejus obitus I. 106.
Gyges, ac ejus hiſtoria II. 151.

H

Habitus pravus, ac conſuetudo ægrè deponitur, & exuitur I. 192. 25.
Harpagus, ejuſque aſſentatio II. 104.
Harpya, ejuſque natura II. 97. I. 185.
Hebræi fruſtrati ſunt Chriſtum perimentes II. 27.
Heliogabalus, ejuſque gula I. 225.
Heliotropium I. 55.
Henricus Rex Galliæ, ejuſque ſancta Politica II. 44.
Henricus II. Rex Galliæ deſideratus in pugnæ ſimulacro I. 102.
Henricus VIII. Rex Angliæ, ejus Vita, & obitus I. 196.
Henricus Bojus, ejuſque geſtum II. 87.
Herbæ, earumque mirum ingenium I. 58.
Hercules purpuram invenit I. 40.
Herodes, ejus politica, atque mors II. 39.
Heroſtratus Dianæ templum accendens I. 217.
S. Hieronymus mortem recogitat I. 43.
Hirudo, ac ejus ingenium I. 180.
Hirundo, ac ejus indoles II. 92.
Hiſtriones celebres II. 147.
Homerus, & ejus obitus I. 124. ejus oraculum, 115.
Homo quid? II. 71. In humana conditione velut in fonte ſemet explorat I. *Proœm.* omnium memor ſuimet obliviſcitur *ibid.* inter comparationes ſuam deprehendit conditionem I. ut navis velox oritur 167. Similis luteo vaſi 12. Ejus ætas cum anni temporibus collata, 16. Temporis ſpolium 105. Cur naſcatur capillis inſtructus 149. Suam perpendat originem 167. De terra formatus liberalitatem ut coleret 179. Ut vivit ita moritur 206. Similis favillæ II. 163. Variis inſulis aſſimilatus 84. Ejus mores collati cum diverſis fluminibus, atque fontibus I. 97. Vitreum ſe exiſtimet II. 32. Eodem loci ſtare neſcit 134. Ne ratiocinetur de ſibi ignotis II. 69. Torrenti ſimilis 142. quid valeat *ibid.* Velut aqua ebulliens II. *Proœm.* ut terebinthus 5.
Homines inſignes erroribus obnoxii II. 58.
Horatius Cocles, & ejus reſponſum I. 109.
Horologium II. 132. Solare I. 19.
Hortus I. 220.
Hypocriſis quàm obſit, ſalutis ſpem amitit II. 66. Similis hiſtrioni, ac lacui 53. nemo ſtudeat hypocriſi. 58.
Jaſon, ac ejus navigatio I. 175.
Idololatriam Carthaginenſes invexêre II. 75.
Jejunantes inclyti I. 225.
Jeruſalem à Romanis deſtructa II. 27.
Jezabel, ejus politica ac obitus II. 37.
S. Ignatius de Loyola, ejus ſeceſſus, ac ſanctitas I. 110.
Imperium Pontificum ſpatioſum I. 27. Romanum cui deſerviverit *ibid.*
Infernus II. 126.
Inſignia Vexillorum apud varias Nationes I. 109.
Inſpirationes Numinis cur nonnunquam fruſtrentur II. 116.
Inventa Medicinæ II. 6.
Inventiones rerum variarum II. 132.
Invidia ſerpens animæ I. 231.
Joab Abſalonem transfigit, I. 107.
Job ſauciatus II. 190.

S. Joannes Baptiſta, ejus pœnitentia, morſque I. 200.
S. Joannes Gualbertus hoſti parcit I.218.
S. Joſaphat, ejuſque converſio I. 62.
Ira quid I. 207. Lethi cogitatione mitigatur *ibid.*
Iris, ac ejus ſigna I. 220.
Iſraëlitæ pugnant cum Moabitis, I.106.
Judas, ac ejus vivendi norma I. 96.
Judices cogitationem dirigant ad mortem I. 91. Illorum conditiones 92. Similes naſturtio, ac caryophyllo, tonitrui, fulguri, tauro, Jordano 92. & *ſeqq.* eorum ſupplicium 99.
Judith II. 168.
Julianus Apoſtata & ejus obitus I. 170.
Juvenis ſimilis navi, inopinanter naufragium patiens, I. 2. Illius dies inſtar navis onerariæ fructus vehentis 3. à tergo lethum geſtat 5. æmulatur facem accenſam 6. Roſæ ſimilis. 8. Haud ſecus atque ſenes extinguitur. 9. Ad cadaverum ſpectaculum Vanitati renunciat 12. Emendationis ſenibus capacior 13.
Juventus, ac ejus qualitas. I. 13.

L.

L*acedæmones* recens nato polypum dono mittunt II. 30.
Lamas, eorum cæremoniæ, I. 128.
Lampuca piſcis II. 181.
Lanapinula piſcis I. 114.
Laſcivi, vel in valle Joſaphat reſuſcitati peccare averent 192. In pœnam nanciſcuntur inopinatum interitum 195. & *ſeq.* Amittunt famam, vitam, animam 197. Locuſtis ſimiles 202. Proditi & occidi à venuſtate 204. Smaragdus illos de fatuitate objurgat 205. Laſciviâ marceſcit animus 199.
S. Laurentius, ac ejus obitus I. 67.

Legatus Venetus reſpondet Imperatori I. 10.
Leo Armenus Imperator II. 30.
Lepus, ejus ingenium II. 33. Ubi multiplicetur 174.
Libertas cunctis anteſtat I. 56.
Liffardus Monachus, ac ejus facinus II. 161.
Lilium Sylveſtre & domeſticum I. 26.
Literati quò vibrant obtutum, mortis imaginem deprehendunt I. 123.
Loligo piſcis, ejuſque natura I. 43.
Lucifer ſuperbiâ tumidus I. 169.
Lucius Lucullus, & ejus gula I. 226.
Lucius Piſo, quî ſe ſubtraxerit capitali ſententiæ I. 214.
S. Ludovicus Rex & ejus oraculum I. 214.
Luſcinia I. 127.
Luſus II. 218. pilæ 223. Latrunculorum *ibid.* Turbonis 219.
Lynx & ejus indoles II. 127.

M

M*agdalena* cur olitorem, non angelos de Chriſto mortuo interrogat I. 11. Sibimet ornandæ vacans 153. Ad bonam frugem revertitur 154. Chriſti pedibus provoluta 155. II. 182.
Mandragora lethi Symbolum I. 122.
Mare circa littus I. 21. Mare ſeptentrionale, quàm meridionale piſcibus fœcundius, curque, II. 224.
B. Margarita de Cortona, ejuſque converſio I. 160.
Margaritum II. 183.
Maria Virgo ſimilis margarito II. 184.
Maripeta Indiæ canis I. 192.
Martyrium pro Cœlo non eſt ſupplicium I. 69.
Maximinus Imperator crapuloſus I. 221.
Medici fatum avertere nequeunt I. 122. Blandiuntur imponuntque moribundis *ibid.*

ibid. tam pauperi quàm locupleti medeantur oportet II. 18. Sturnorum æmuli 19.
Medicina, ejuſque origo, & natales II. 6. Ejus Inventores *ibid. & ſeq.* quàm vana & incerta 11.
Membra humana & peculiares ægritudines II. 3.
Mercator in mercibus pœnam, non felicitatem incurrit II. 114. Dæmone pejor 115. Paradiſus illum haud certè manet 116. Ejus niſus, ac opes araneæ tela 124. Vanitas itinerum 127.
Michael Balbus & ejus hiſtoria II. 30.
Miles armatus expenditur quoad moralitatem I. 100.
Militia, ejuſque inopinus exitus I. 105. *& ſeqq.* miles inter arma mortis argumentum depromit 108. Qui decedat belli *ibid.* cicatricibus inſignitur, ne mortis oblivíſcatur 109.
Miniſtri reperiuntur flagitioſiſſimi, cùm hypocriſi laborant II. 58.
Mores hominum fluminibus, fontibuſque aſſimilati I. 97.
Mors juvenum veluti inopinum navis naufragium I. 2. Gaudet acerbis veſci fructibus 5. ullam neſcit legem 6. 9. Semper præſens, nunquam futura *ibid.* præſtat ut ex ſuorum aſpectu cadaverum renuncietur Vanitati 12. Propinqua credita commovet 34. Probis accidit dulcis 39. Tam terribilis offenditur, uti vel ſuperos moveat 42. Nobis oculos aperit 55. Juſtis pro natali eſt 66. Quid ſit 70. Nulli parcit *ibid.* atterit præcipuos quoſque 83. Doloroſa nec non terribilis 103. II. 210. Omnes æquat I. 108. Contra ſemetipſam arma miniſtrat 20. Frænum vitiis injicit 113. In crine adumbrata geſtatur 149. Individua eſt vitæ comes *ibid.* ſegnem reperiri poſt ſpectatum cadaver ingens piaculum 235. Declinari nequit II. 2. Præmium eſt probè actorum 210. Varios ludos ludit 218. Ejus cogitatio admodum proficua 222. Oratorum longe efficaciſſima 57. Paſſiones retundere valet. 215.
Mortuus vivo copulatus Mezenzio Tyranno I. 198.
Mulier in capillis geſtat lethi ſymbolum I. 149. Probæ mulieres haud indigent pretioſis amictibus & ornatibus aſcititiis 152. Mulieres venuſtate florentes extinctæ 156. Mortem præ oculos habent ob graviditatem 160. Mulier à planta pedis ad uſque capitis verticem laqueis ſcatet II. 168. Seſe corruſcis ornatibus, ceruſſiſque componens onerat ſe reatibus, ſuam conſcientiam dehoneſtando, devenuſtandoque 160.
Mundus haud gaudet felicitate II. 112. eget 122. Non eſt aliquid, at alicujus imago *ibid.* mundus ſemper ſit, & ejus ſimilitudo 5.
Muræna Craſſi, II. 178.
Muſica quid cœleſte ſapit I. 126. Nota prædeſtinationis 128. Ejus partitio ſpectatis tonis 129. Quoad inſtrumenta 134. Malis medetur, iram lenit 135. Ejus diviſio in mundanam, humanam, organicam *ibid.* brutis arridet 136. Muſici probitatem ſpirent 128. Illorum vita muſicæ ſimilis *ibid.* calamitatibus plena *ibid.* Muſici inſignes 132. Cur nonnunquam improbi muſici 131. Muſica inſtrumenta 134.
Muzza Arabs ſuperciliosus I. 165.

N

NAbuchodonoſor, & ejus inſomnium I. 18.
Narciſſus, ejuſque ſpecies I. 140.
Naſturtium avaro ſimile I. 92.
Navis in tempeſtate I. 167. Naves famoſæ

ſæ I. 3. Navis ſpeculum vitæ Juvenum I. 2.
Naufragium Jonæ II. 177.
Navigatio II. 181. Navigatio trium Navarchorum totum orbem peragrantium &c. 185.
Nautæ periti II. 182.
Nero, ejuſque fatum I. 218.

O

O. Giotti quid I. 141. In illo pictoribus æternitatem adumbrare licet *ibid.*
Obedientiæ cultus apud milites I. 59.
Obſidio Urbis I. 112.
Onocrotalus, avis, I. 235.
Opes ſecum deferre poſt funus nulli datur I. 24.
Otis, ac ejus aucupium II. 166.

P

PAlatium Principis II. 112. 91.
Panther II. 50.
Papilio I. 48.
Paracelſus, ac ejus interitus II. 2.
Paradiſus, quàmque magna ſit ejus felicitas II. 197.
Paſſer vitulinus, ac ejus ingenium II. 165.
Patientia magis in ſecundis, quàm ſiniſtris I. 30.
Pavo I. 164.
Peccatum fons mortis I. 150. Peccatores jactantes reatus ſuos objurgandi 216.
Pelagia Antiochena, & ejus hiſtoria II. 152.
Peninſulæ Lydiæ ſaltant I. 135.
Perdices ubi domeſticæ II. 51.
Petra igniaria II. 163.
Petræ pretioſæ quædam ubi locorum generentur, mira in aliquibus vis I. 175.
Philautia vitium ſenibus proprium I. 20. Lethi recordatione compeſcitur 22.
Philippus II. Rex Hiſpaniarum, & ejus obitus I. 87. Ejus effatum 182. Quid illi litteratus expoſuerit I. 236.
Philippus III. Hiſpaniarum Rex, ac ejus exceſſus I. 83.
Philippus Macedo, & ejus interitus II. 35.
Philoſophi veteres quid tentaverint hauriendæ ſcientiæ gratiâ I. 120.
Pictor tempus exhibendo non eſt I. 139. Neque ſemetipſum 140. Abſtineat à formandis obſcœnis picturis 143. Pictura ejuſque laus 138. Obſcœna concitat & obeſt 144. Picturæ celebres 138.
Pigritia quid I. 233.
Piſcator inſtructus arundine I. 38.
Piſces non tam longævi quemadmodum aves I. 150. Muſicâ delectantur 136. Cur in Sacrificiis illis non erat locus II. 110. Piſcis 267. annorum, 177.
B. Pius V. ac ejus oraculum moribundi I. 39.
Plato, quî animam efflaverit I. 121.
Plinius, ac ejus interitus I. 123.
Pœtæ percelebres ne laſcivis pangendis verſibus venam indulgeant I. 124.
Politica proba, improbaque II. 26. Improba magnos dedecet 28. Politicus ut uranoſcopus 25. Improbus Politicus, & ejus interitus *ibid. & ſeq.* Politicus ob politicam in omnibus hallucinatur 39.
Pollionium herba, II. 17.
Pompeius, ac ejus temperantia I. 229. Suas Victorias in templo Minervæ incidi curat, 108.
Pontifices letho patent I. 28. Modicùm vitalem ſpirant auram, *ibid.* cogitationibus conſumuntur 29. Sunt veluti defuncti 32. Parcos ſe probeat fruendo mundanis 36.
Portus maritimi celebres II. 193.

Praxis quid præſtet I. 234.
Prædeſtinatus audit quiſquis legem implet I. 118.
Prædicans diſcit à letho prædicare I. 118. Chamæleonti ſimilis 119. Ne ſcurram agat ex ſuggeſtu 120.
Præſagium quid II. 13.
Principes ament liberalitatem II. 84. Mechanicâ gaudentes 135.
Protogenes, ac ejus linea I. 141. Ejus pictura 147.
Publius Syrus, & ejus argutiæ II. 149.
Pulchritudo mulieris 202. Caduca 148. Naturalis anteſtat artificioſæ 152. Ejus tituli 156. quid ſit *ibid.* I. 17.
Pyrrhus, ac ejus mors, I. 111.
Pythius, ac ejus opulentia II. 128.

Q.

Q*Uinſai*, ampla Civitas II. 122.

R

R*Achel*, ac ejus obitus I. 234.
Raymundus Lullus, ejus vita morſque I. 202.
Reges defuncti I. 70. *& ſeqq.* ſpumæ ſimiles 73. Cur purpurâ induuntur *ibid.* ut cæteri Viventium moriuntur 74. Secum animo Libitinam peragant 80. Reges politici quî defungantur *ibid.* Lucraturi ne bellum gerant 81. Hæredum haud memores occurrant *ibid.* Regna, ac urbes vanitate plena 75.
Regia II. 91.
Regio depicta, & moralitati deſerviens I. 141.
Religio clauſtralis ſemper ſuſpicienda, commendandaque I. 54. Religioſus moratur in Religionis horto 55. Suum eſt de morte cogitare 56. Libertate privatur *ibid.* oportet ut obtemperet 59. Religioſus ſuperior affabilem ſe præbeat 61. Miſſiones amplectatur 69. Religioſus hypocrita peſſimus II. 55. Acredulæ ſimilis 57.
Rhinoceros pugnat cum Elephanto I. 211.
Romani, eorum fortuna & magnitudo I. 107.
Roſæ ſimilis juvenis I. 8.

S.

S*Alladinus*, ac ejus obitus I. 84.
Salamandra, ac ejus natura I. 212.
Samſon, ejus impudicus amor, & exceſſus I. 195. Ejus obitus II. 96.
Samuel redivivus I. 103.
Sanguis Chriſti in horto, in flores ac plantas converſus II. 207.
Saul hypocrita II. 64.
Scapha Charontis, II. 194.
Scena quî reperta II. 146.
Sciniphes quid II. 106.
Scitale ſerpens I. 204.
Sebaſtianus Luſitaniæ Rex ac ejus hiſtoria II. 102.
Sejanus, ejus politica, nec non occaſus II. 40.
Semiramis ac ejus ſepulchrum I. 183.
Seneca extinctus, I. 122.
Senetius quidquid obviaſſet magnum appetebat II. 60.
Senes lethum habent affine I. 5. Avent vulnerari, 16. Jam mortuis adſcribendi veniunt, *ibid.* illis incumbit onus mortem ruminandi, *ibid.* Propriam mortem agnoſcunt in juvenum interitu, 18. Similes navi anchorâ viduæ, 24.
Silurus, ac ejus indoles II. 176.

Simonia, quàm improba II. 127.
Siren quid ſibi velit, ejus occaſus I. 131.
Smaragdus II. 119.
Socrates, ac ejus oraculum, ejus doctrina diſcipulis habita inviolabilis I. 121. 122. 172.
Solicitudo in operando Numini arridet I. 234.
Somnium quid II. 15. Somnia famoſa 13. Vana, caſſa, mentitaque *ibid.*
Somnus imago mortis, I. 121.
Sopranus Muſicus I. 137.
Soroactis avis II. 164.
Spectatores, autores, actores obſcænarum mædiarum lethaliter delinquunt II. 147. *& ſeqq.*
Statuæ celebres I. 143.
Strages bellica I. 106. S. S. Innocentium 68.
Stratagemata militaria I. 104.
Struthio I. 173.
Superbia quid I. 163. Præcipites agit mortales *ibid.* Angelorum ruina 169. Urbium atque Nationum pernicies 172. Superbi ſimiles pavoni 164. Ambaro odoro 166. Navi in tempeſtate 167. Bovi 168. Rei conflagranti 171. Sunt bulla 173. damnati *ibid. & ſeq.*
Syracuſæ, ac illorum amplitudo II. 100.

T

TÆda accenſa, ejuſque fragilitas I. 5.
Talpa, & ejus mors I. 176.
Tapura ſerpens I. 220.
Tempeſtas maris II. 134.
Tempus I. 139. Tempus vivendi non datur, ſed naſcendi & defungendi I. 4.
Terra inſtabilis ut mare I. 76.
Textores lethum cogitatione volvant II. 214.
Thales, in foveam prolabitur, I. 116.
Theodoricus conſpecto piſcis capite, expirat I. 223.
Theologus lethum expendat I. 117.
Timandra, & dictum de eo, II. 169.
Tinnus, ac ejuſdem piſcatus II. 178.
Torquatus Taſſus I. 124.
Tribulatio prædeſtinationis teſſera II. 189.
Turris Babel I. 84.
Turtur, ac ejus indoles II. 170.

V

V*Alentinianus* Imperator ob immodicum potum ſuccumbit & occumbit I. 222.
Van helmont, ac ejus arbor vitæ II. 17.
Vanitas mundanorum I. 71. Vanitas muliebris 151. Compeſcitur lethi memoria 152.
Udalricus, ac ejus legatio II. 72.
Venator II. 163. *& ſeqq.*
Venena ubi naſcuntur, & antidotum ſortiuntur I. 209.
Verbum Dei cur nullatenùs audiatur II. 116.
Veſpaſianus, ac ejus avaritia I. 23.
Vindictæ appetens occiſus moritur I. 211. Homicidia jactat ſua 216.
Virgilius æternitatem decantat, I. 125.
Vita morſque muſici I. 128. 131.
Vita humana volat navis inſtar fructibus gravidæ I. 3. Similis faci accenſæ 5. Fragilis, 6. Civitati Elzir 7. Breviſſima *ibid.* quid ſit 17. Illius brevitas agnoſcebatur in Adam *ibid.* quàm miſera 6. Punctum dico indiviſibile

121. Clepſydram æmulatur 124. Ab ore mendacii mortalibus promiſſa fuit 150. Similis horologio 19. Comædiam ſapit II. 145. Peregrinationem redolet 188. Polliono ſimilis herbæ. 17. Cur hac ætate brevior, quàm evolutis retrò ſæculis 21. Somnio ſimilis. 16.
Vitium radicatum ægrè extirpatur I. 191. Niſi compeſcatur pullulans, adoleſcit II. 211. Ejus origo *ibid.*
Unio, ejus generatio, ac natura II. 184.
Uranoſcopus piſcis II. 25.
Uſura quid? II. 116.
Vulnera Martyrum venuſta in Paradiſo II. 208.
Vulpes verſicolor in variis orbis plagis I. 47.
Wenceslaus Rex, ejusque reſponſum I. 57.

X

X*Erxes* ſuperbus Rex I. 164.

Z

Z*Elotypia* quid II. 114.